tuit: ſed coronæ ſe Dñi reſeruauit. Quam læto ſinu vos mater eccleſia de prelio reuertentes excepit; quã beata, quã gaudẽs portas ſuas aperuit, vt intraretis de hoſte proſtrato trophea referentes? Multitudo veſtrã gloriam ſequitur: & veſtra veſtigia comitatur. Eadẽ in illis cordis ſinceritas, eadẽ fidei integritas; & cęleſtium præceptorum radicibus vſos, & euangelicis rationibus roboratos: non exilia præſcripta, non deſtinata tormenta, nõ rei familiares, aut corporis terruerũt ſupplicia.

Ioãnes Epiſcopus in Sermone de marty.

Qui ſanctorum. Lectio octaua.

QVi ſanctorũ igitur glorias, frequenti laude colloquitur: eorum mores ſanctos imitetur. Aut imitari debet: aut laudare non debet. Propterea ſeipſos nobis prebent exemplum: vt ex ipſis proficiamus. Delicatus es tu chriſtiane miles:

... promereri: qui h... noluerit ſuperari. Nec ho... poterit vincere ... qui atrocit..., voluerit dimicare ... victoria militis peremptio eſt hoſti ... & perẽptio hoſtis, gloria eſt imper...toris. Denique in certamine chriſtiano, aut ſuperſtes miles hoſte proſtrato beatus de prȩlio redit: aut hoſtem victor moriendo deuincit.

Siquis vult homilias de infraſcriptis accipiat. Secundum Matthæum. Lect. vij.

IN illo tempore: Videns Ieſus turbas, aſcendit in montem. Et cum ſediſſet: acceſſerunt ad eum diſcipuli eius. Et aperiens os ſuum: docebat eos, dicens. Beati pauperes ſpiritu. Et reliqua. ca. 5.

Homilia Beati Hylarij Epiſcopi.

COngregatis igitur pluribus turbis, montem conſcendit, & docet. In paternæ ſcilicet maieſtatis poſitus celſitudine, cęleſtis vitæ præcepta conſtituit. Nõ enim ęternitatis inſtituta, niſi in...

nobis. ... qua congre
dimur: qua ... coronamur:
Quē per Prophetas prędic... um, per Dñm
cōmissū, per Apostolos gestū, sācti Mar-
tyres exhibuerūt, & palmā acceperūt: in
fide stabiles, in dolore patientes, in que-
stione victores. O martyres sancti; mem-
bra vestra felicia vinculis infamibus liga
uerunt tyranni: sed ornamenta sunt ista
non vincula. O pedes feliter vincti, qui
non a fabro sed a Dño resoluuntur; & iti
nere salutari ad paradisum diriguntur:
ad præsens in sæculo ligati, & celeriter
ad Christum itinere glorioso cursuri.

Idem in epistola de lapsis. Lectio vij.

Repugnastis o martyres sācti forti
ter seculo, spectaculū gloriosum
præbuistis Deo: secuturis fratribus fui-
stis exemplo. Religiosa vox Christum
locuta est: illustres manus sacrificijs sa-
crilegis restiterunt. Ora sanctificata cœle
stibus cibis post corpus Domini: idolo-
rum reliquias respuerunt. Frons cum si-

si putas te posse sine certamine triūpha-
re. Exerce vires, dimica atrociter, & in pre
lio concerta. Considera pactum, condi-
tionem attende: militiam nosce. Pactum
quod spopondisti; cōditionem qua acces
sisti: militiam cui nomen dedisti. Deniq;
considera, te pręsente Deo cum hoste pu
gnare. Fauet ille vt vincas, fauet vt obti-
neas: cum pugnas pręsens est. Quantum
virium de eius præsentia concipis: tan-
tum inimico debilitatis accedit. Tu eri-
geris in virtutem: hostis incidit in debili-
tatem. Tibi arma diuinitus ministran-
tur: illi malitiæ tela franguntur. Lec. ix.

Tibi conspectus Dei virium adhibet
incrementa: hosti adimit nocendi
venena. Tibi Angeli plaudunt: illi formi
dinē adhibent. Tibi fortitudo tribuitur:
hostis malitia infirmatur. In tua pugna
Dñs congreditur: & victoria tibi ascribit.
Quid formidas; quasi tua virtute dimi-
cans? Apprehende arma, procede in bel-
lum: fortiter dimica. Non potest impera

nitate positus tradidisset. Deniq; ita scriptum est. Aperuit os suũ,& docebat eos. Locutum eum fuisse promptius erat dicere; sed quia in gloria paternæ maiestatis institerat,& ęternitatẽ docebat: idcirco ad motũ spiritus eloquentis, obedisse ostenditur humani oris officium. Beati pauperes spiritu, qm̃ ipsorum est regnũ cęlorũ. Exemplo Dñs docuerat humanæ ambitionis gloriã relinquendã, dicens, Dñm Deum tuũ adorabis: & illi soli seruies. Et cũ se per prophetas populum humilẽ,& ad verba sua tremẽtẽ,pręmonuit esse lecturũ: in spiritus humilitate perfectę beatitudinis posuit exordiũ. Lec. viij.

IGitur humilia spirantes,idest,se homines recordantes,in cœlestis regni possessione constituti sunt: conscij sibi ex sordentibus, ac tenuissimis se principijs coalitos,in hanc formam perfecti corporis procreari;& in hunc sentiẽdi,contuẽdi, iudicandi,agendi sensum, Deo profe

gnũ erit no[...]psi hæreditabunt [...]æ hæreditatem pollicetu[...],eius corporis, quod ipse Dñs assumpsit habitaculum. Et quia per mansuetudinẽ mentis nostræ habitauerit Christus in nobis: nos quoque gloria clarificati eius corporis vestiemur.

Secundum Lucam. Lectio septima.

IN illo tempore: dixit Iesus discipulis suis. Cum audieritis prælia,& seditiones bellorum nolite terreri. Oportet primum hæc fieri: sed nondum statim finis erit. Et reliqua. c.21.

Homilia Beati Ambrosij Episcopi.

VErborũ cęlestium nulli magis quã nos testes sumus: quos mũdi finis inuenit. Quanta enim pręlia,& quas opiniones accepimus præliorũ? Hunni in Alanos, Alani in Gothos, Gothi in Taifalos, & Sarmatas insurrexerunt. Hos quoq; in Illyrico exules patria Gothorũ exilia fecer[...] & nondum est finis. Quæ

DE OPTIMO REIPVBLICAE STATV

LIBRI SEX, IN DVOS TOMOS DIVISI.

Quibus acceſsit Apologeticus Liber de Apoſtolicis Traditionibus.

AVTHORE F. GREGORIO NVNNIO CORONEL LVSITANO

ORDINIS EREMIT. S. AVGVSTINI Profeſſore, & Sacræ Theologiæ Doctore.

TOMVS PRIMVS

Ad Illuſtriſsimum, & Reuerendiſsimum D. D. ASCANIVM COLVMNAM S. R. E. CARD. AMPLISS.



ROMAE,

EX TYPOGRAPHIA EXTERNARVM LINGVARVM

Apud Iacobum Lunam Anno M. D. XCVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Typographus Lectori.

ERrata, quæ ab scriptura, quæ ab interpunctis, aliqua irrepserunt; agnosco, nec miror: etenim me hominem esse scio; & propterea labi & errare posse, haud cunctanter fateor. Nec tu, homo cùm sis, mireris. Eiusmodi tamen illa omnia esse, quæ, & ob difficultatem Typographicæ artis, facilè condonari debeant, & à quouis, etiam parum docto, nullo negotio corrigi possint, procul dubio reperies. Possem equidem ea in vnum collecta tibi proponere, quod & aliquos præstitisse video, & nos ipsi sæpè fecimus: consultò tamen nunc omissimus, quòd vanus omninò labor à viris eruditis iudicetur. Tu æqui bonique consule. Vale.

OMnia Iudicio, Cenſuræ, & Authoritati SANCTAE ROMANAE, & CATHOLICAE ECCLESIAE, pro qua, & in qua militamus, & Sanctiſsimo eius Antiſtiti CLEMENTI OCTAVO, qui nũc illi piè & ſanctè præeſt, ſubiecta eſſe volo. Cuius benedictioni me, meoſque conatus commendo.

Vocabo seruum meum Eliacim filium Helciæ, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo cõfortabo eum, & potestatem tuam dabo in manu eius: & erit quasi pater habitantibus Hierusalem, & domui Iuda. Et dabo clauem Domus Dauid super humerem eius: & aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat.

ILL^{mo}. ET R^{mo}. D. D. ASCANIO COLVMNAE S.R.E. CARD. AMPLISS.

ETSI animātium generi, quod irrationale appellatur, nullam datam rationem sapientiores intellexerint, Illustrissime Princeps, & Cardinalis amplissime: si quis tamen omnium anim-

man-

mantium industriam, solertiamq. diligenter inquirat, vtque Deus sua prouidentia ijs omnibus suppeditet, quod haberent à ratione, illa si præditæ essent, (in illis enim propensiones, & naturales proprietates omnia efficiunt, quæ ipsa ratio efficeret) is profectò non eas planè rationis expertes esse, verùm alijs parcius, alijs liberalius rationem à natura tributam suspicabitur. Vt exemplum de multis vnum seligam, Araneæ textura potest ne quidquam elaborari cura maiore, ingenio acutiore, arte præstantiore? Quanta verò industria, quibus stratagematibus escā

illa

illa ſibi paret, dici vix poteſt. Nonnunquam enim foramen tela circũdat, vnde ex inſidijs feram adoriatur: ſæpe etiam, in medio aere, ductis in orbem tenuiſsimis paribus filis, telam retexit, in cuius centro collocatur, ac inde, venandi occaſionẽ nacta, velociſsimo curſu, eò ſe confert, quò prædam attigiſſe perſentit. Itaque, ſi retis perfectionẽ, ſi fila tenuia, ſi proportionẽ contexturæ, ſi ſitum ad venationem accommodatum perpẽdas, omnia hæc indicare, aliquid rationis in his animantibus ineſſe, forſitan videbuntur. Verùm cùm homo natus ſit ad contemplandam

veri-

veritatem, & ad eas artes excollendas, quas qui adipiſcitur, & benignè exercet, is ad ſimilitudinem Dei, rerum omnium conditoris, à quo bona manant omnia, proximè accedit, inter omnia animantium genera principatum tenet, & rationis, mentiſq. præſtantia longè omnibus antecellit. At, cùm artes, & ſcientiæ plurimæ ſint, in quibus excellere poteſt hominis induſtria; nulla tamen laudabilior, & humano generi vtilior, ea videtur eſſe, quam Græci φιλοσοφίαν, à ſtudio ſapientiæ, nuncuparunt. Rurſus, cũ ipſius Philoſophiæ partes multæ ſint, omneſque præclaræ, nulla

ta-

tamen ad vitam rectè, & ordine traducendam, & ad tuendas, atque augendas nõ modò priuatas domos, verùm etiam Ciuitates ipſas, accommodatior, atq. aptior ea meritò iudicatur, quæ Politica dicitur. ὅσῳ γὰρ ἂν εἰς πλείονας τὸ καλὸν διαχεῖται, τόσῳ αὐτὸ τὸ χρῆμα γίνεται κρεῖττον. Quo enim bonum in plures diffunditur, eò melius efficitur. Politicam autem eam intelligo, nõ quæ in ciuili tantum inſtituenda Republica verſatur, ſed quæ ita ciuitatem temperat, & diſponit, vt ad Chriſtianam Religionem potiſsimum fouendam, eiuſque præceptis ciues imbuendos dirigatur. Hæc in primis

b om-

omnibus Philoſophię partibus excellit. Ad hanc ego, vt cæteris magis neceſſariam, mihique propter vitæ meæ rationem accommodatiſsimam, ſtudium, curamque multis ab hinc annis contuli. Multaq. euoluens, aliqua didici, quæ ſi mecum tantum retinere voluiſſem, iure, meritoque me omnes accuſarent, quòd Philoſophiæ non ego, ſed meiipſius, amans eſſem. Feci igitur libenter, vt, quæ longo labore collegeram, collecta digererem, digeſta in publicum (vt Philoſophiæ gratus eſſem) ederem. Et, cùm ſuperiora libenter fecerim, hoc, vt, edens, ea tibi, Illuſtriſsime

Prin-

Princeps, dicarem, libentiſsimè facio. Neque verò, vel ſi nulla à Te in me, familiamque Auguſtinianam, cuius profiteor inſtituta, collata eſſent beneficia; aliter poteram, ſi, quid publica res Tibi, familiæque tuæ debeat, attentè diſpicere voluiſſem. quod debebam. Ita enim iam quondam Heroes Tui, poſterique in amplificãdo & illuſtrando Chriſtianæ Reipublicæ ſtatu omnes ſuas curas & cogitationes collocarunt, vt, cùm in illius vtilitatem nati ſitis vniuerſi, ſi publicam rem vobis aſſumeretis, id veſtro iure quodammodo vobis vindicare videremini. Hinc pu

blicæ illæ acclamationes pro incolumitate familiæ, quòd videlicet ſentiat populus, quantum ornamenti, quantum commodi ex ea ſibi oriatur. Quid ego vetuſtiora commemorem, à Tuis præclarè acta? Vnius Martini V. memoria felicia nobis tempora repræſentat. Vir nempè optimus in maximo Concilio Conſtantienſi, ab vniuerſo Orbe Chriſtiano ad ſupremum in terris faſtigiũ fuit delectus, qui Rempublicam Chriſtianam, & ſchiſmatum, & bellorũ turbinibus afflictam, recrearet, cõſtitueret, gubernaret. Tribus Pontificibus abdicatis pacem Eccleſiæ red-

reddidit: bonarum literarum ſtudioſus, & peritus admodum, literatos maximè fouit, & aluit. Iuſtiſſimus, Tyrannos, qui publicam quietem infeſtabant, & viatoribus inſidiabantur, ſuſtulit. Prudentiæ laude inſignis, breuis in dicendo fuit, cautior in agendo, vt rem factam prius cernerent homines, quàm ab eo cogitatam putarent. Multa quoque inſignia eius geſta non paſsim obuia leguntur in epiſtolis à ſe in Pontificatu ſcriptis (quem librum diligentiſsimè & amantiſsimè ſeruat Aldus Manutius) quæ eum de Patria, Romana Eccleſia, & Republica Chriſtia-

ſtiana optimè meritum manifeſtè oſtendunt. Ex recentioribus verò verſatur nobis præcipuè ante oculos Marcus Antonius, Pater Tuus, domi belliq. illuſtriſsimus: quem æternum Capitolium duplici honore decorauit. Sacra enim Aedes trophæa, & ſpolia, ex hoſtibus Christianæ Religionis erepta, inuictæ fidei teſtimonium, ſeruat. Et Senatus Romanus, benemerito Duce ouante, ſingulari totius Orbis plauſu excepto, ei ſtatuam erexit: qua & ſua in eum, & illius in patriã, & communem omniũ parentem Romanã Eccleſiam, ſtudiũ, & pietatem poſteri admirarentur.

Po-

Posteà, gloria onuſtus, à Catholico Rege Philippo honoribus auctus, optimè nedũ domo propria (vel te vnũ relinquens ſummæ virtutis æmulum) ſed & Republica Christiana inſtituta, Barbari hoſtis iugo calcato, ad cælum euolauit. Hoc Patre genitũ te conſpicimus Illuſtriſsime Aſcani, decus Vrbis & Orbis. Neq. Maiores Tuos vllos, neq. Patrem Tuum, Te intuentes deſideramus. Tu nobis veteres illos Romanos, quibus magna hæc Roma gloriatur, refers. Tu exemplum omnibus præbes, nõ modò rectè, ſed etiam honorificè, & laudabiliter agẽdi. Ad quam gloriam

hanc

hancquoq. laudē adiunxiſti, quòd doctis hominibus ita faues, vt foueas mirificè ipſa ſtudia literarum: ita diſciplinas omnes colis, nō modò vt ingenium, ſed ipſas etiam excolas. Quæ animi dotes præclariſſimæ in Te vno omnes munia ſua obeunt, atq. officia non deſerunt. Adeò certè, vt etiam ſi nō eſſes ex Heroibus illis oriundus, in quibus ſemper gloria ſyncera, honoris ſplēdor, decus verum, enituit; animus tamen tuus, pulcherrima virtutum maximarum cohorte circumſeptus, ampla omnia, illuſtria, excelſa, quæ ad communem vtilitatem ſpectarent, iure ſuo ſibi vendi-

dicare, & præſtare deberet. Mecū verò quàm feliciter agitur, qui in tuo amore ſum, cùm me, meaque omnia tibi tuenda ſuſceperis, qui fratrem quoq. meum germanum Ambroſium Nunnium, tunc Regis Sebaſtiani beneficio D. Iacobi, poſteà Regis Philippi fauore Ieſu Chriſti militiæ inſignibus cōdecoratū, dum in Hiſpania cōmorareris, hilariter, & benignè (quod ſemper ſoles) ſis amplexus, & ad amicitiam tuam adſcripſeris. Iure igitur Tua Tibi reddo. Tua, quia ad cōmunē cauſam pertinēt. Tua, quia, quidquid à me proficiſcitur à Tuo fonte manat. Fac Tu, quod facis,

vt in me amando constans existimeris: conabor ego, ne in ingratũ hominẽ, in immemorem saltem, beneficium hoc tantum contulisse videaris. Deus Opt. Max. felicissima Tibi omnia concedat: vt, Te felice, boni, quos vehementer amas, Tuosque dicis, felicitate, & ipsi perfrui possint. Ex cœnobio Augustiniano Calendis Aprilis. M. D. XCVII.

ILL^{mæ}. & R^{mæ}. D. T.

Addictissimus

Fr. Gregorius Nunnius Coronel.

AD PROCERES CHRISTIANAE REIPVBLICAE

Authoris Præfatio.

CHRISTVS Iesus, Sempiterni Dei filius, qui, vt captiuos in libertatem vindicaret, & tenebris inclusos in lucem restitueret, ac tempus illud votis omnibus expetendum (quo Parentis sui numen erat hominum generi placandum) aduenisse prædicaret,

in terram missus est; ab Spiritu Sancto in se insidẽte apprimè eruditus ad Regia munera prudenter obeunda; & ad Ciuitatem Sanctam sapienter instituendam, & feliciter administrandam viribus Diuinis impulsus, nihil esse, quod Christianæ Reipub. maius adferat nocumentum, nihil, quod impensius deuitari oporteat,
Ad Tit. c. 3. *quàm id genus hominum, quos Paulus hæreticos appellat, nos manifestissimè docuit. Cùm enim nusquam à Tyrannis, quos in eos, qui sibi fidem, & nomen dedissent, sæuituros præuidebat; vt ipsos à recto Religionis tramite deterrerent & auocarent, cauendum nobis esse dixerit: palam tamen, ne vnquam è memoria hominum excideret, nobis præscripsit, vt subdolos hæreticorum sermones, cùm ob illorum calliditatem, tum etiam ob animorum suorum ferocitatem omninò declinemus. Nam, quemadmodum nautæ scopulos illos, quos sub aquis sciunt delitescere, maiori fugiunt diligẽtia, quàm eos, quos longè apparere vident: ita sanè, quorum maleuoli animi sub tegumento aliquo beneuolentiæ latitant & occultantur, inimicos sapienti viro magis quàm eos, qui statim, quales sint, se produnt, euitandos esse, doctissimus Nazianzenus*

Zenus iudicauit: quoniam, vt Ambrosius cautè aduertit, caput petunt, iugulum inuadunt, vitalibus vulnus infligunt, corpore saluo animam interimunt. Quamobrem, dum ego animo alias contemplarer, in quot se torquet spiras humani generis hostis (Verumenim Dei cultum, & Religionem simulato primùm obsequio, mox vi, & armis, post multiplici falsorum Deorum cultu, iterum boni specie ampliore tentauit euertere) eam nocētiorem artem esse ratus sum, qua verbi Dei, Sacræque Scripturæ falsa, & ementita vsurpatione illius ministri nouam doctrinam mortalium animis callidè inserunt. Vnde Ambrosius, hæreticorum ingenium, & naturam proprijs quasi coloribus exprimens, eos esse dixit, qui per verba legis, legem impugnant: proprium enim sensum, *inquit ille*, verbis legis astruunt, vt prauitatem mentis suæ legis authoritate commendent. Sciens enim impietas authoritatem legis multum valere, fallaciam sub nomine eius cōponit: vt, quia res mala per semetipsam acceptabilis esse non potest, bono nomine commendetur. *Quam sententiam, in eo libro, quem pro Catholicæ Fidei antiquitate aduersus profanas om-*

Naziāz. in vita Basilij. Ambros. in Luc. libr. 2. c. 10.

Ambr. in c. 3. episto. ad Titum. 2. Petr. c. 3. 2. ad Timot. c. 3. 2. Cor. c. 11.

nium hereseon nouationes, ante annos mille edidit, Vincentius Lirinensis præclarè amplificauit. Saluatoris enim nostri sapientissimum illud documentum, Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, *æquissimè perponderans, inquit, ouium vestitum, non nisi sacrorum Vatum, & sanctissimorum Apostolorum esse proloquia, quæ ijdem ouili quadam synceritate agno illi immaculato, qui tollit peccatum mundi, tanquam vellera quædam texuerunt. Sæuos autem lupos rapaces, sensus hæreticorum feros appellat, & rabidos, quibus caulas Ecclesiæ semper infestant, & gregem Christi quaqua poßunt dilacerant.* Vt autem, *ait*, facilius incautis ouibus obrepant, manéte luporum ferocia deponunt lupinam speciem, & sese Diuinæ Legis sententijs, velut quibusdã velleribus, obuoluunt: vt, cùm quisque lanarum mollitiem præsenserit, nequaquam aculeos dẽtium pertimescat. *Quod certè Irenæi, Tertulliani, Epiphanij, cæterorumq. veterum Patrum, qui illorum dogmata retulerunt, ac refutarunt, monumenta testantur.*

Matth. c. 7.

Vincen. Lir.

Eisdem prorsus vestigijs nostris etiam tempori-

pori-

poribus exorti Pseudoprophetæ insistentes, mirum est, quàm magnam Christianæ Reipub. cladem intulerint. Lutherus enim, Caluinus, Bucerus, & his, alijsque portentis prognati impij quidam, & maximis sceleribus coinquinati homines ita, ablegata Catholica Religione, in eius locum somnia, fabulas, & deliria temerè subrogarunt, vt Germaniam, Belgiam, Heluetiam, Poloniam, Angliam, Galliam etiam, maxima ex parte deturparint, fœdarint, corruperint. Longe tamen ab illis antiquis noui isti Orbis magistri dissimiles extiterunt. Nam, cùm omnes hæretici, vt tradit Hieronymus, inani quadam, & vana hypochresi (quæ alieno potius, quàm proprio cultu, vestitu, & specie induta in hominum conspectu versatur) virtutis & honestatis sectatores sese assimulare consueuerint, vt Catholicorum consilia perspecta planius dissoluere, impietatem verò suam inuehere acrius possent, veteres illi Catholicæ Religionis hostes nihil, quod pium, quod honestũ, quod cum virtute prima quasi fronte coniunctum non appareret, se vnquam amplexuros callidè profitebantur, sicque pectoris sui venenum fundebant, & incautos animos in summam detrudebant

bant

bant miseriam. Qua enim alia ratione potuissent imperitorum mentes allicere, nisi ficta specie sanctitatis, & innocentiæ? Virtus enim, natura sua, omnes ad se inuitat, & allicit. Quod cùm versuti homines intelligerent, virtutis personam induebant, vt se ignaræ multitudini, nullo, vel minimo saltem negotio, insinuarent. Vt igitur aucupes aues, vel esca, vel auium ipsarum garrulitate instrumentis aßimulata, decipiunt, ita astuti, & callidi doctores illi, per speciem ementitæ sanctitatis, laqueis simplices homines, & nihil hostile suspicantes, impediebant. Parum enim improbitas aperta nocere potuisset, cùm nihil sit illius aspectu deformius, nisi formam honestatis, & innocentiæ geßisset. Vnde dici vix potest, quantum illi ieiunijs, orationi, quantum omni vitæ sanctitati, & continentiæ sese operam dare finxerint. Alij enim se Apostolicos, id est, veros Apostolorum successores, & sectatores; Alij Catharos, id est, mundos; Alij Oratores, id est, semper orantes; Alij Thaboritas, id est, Dei gloriam videntes; Alij Adamianos, id est, Adæ innocentiam imitantes; & alij aliis præclarißimis eulogiis suas factiones nominare, & insignire ausi sunt, Lõge profecto

dißi-

dißimiles recentiores extiterunt hæretici: nam & virtutem ipsam, & omnem eius speciem, ac simulationem omninò contempserunt, & fœdè conculcarunt, totosq. potationibus, ebrietatibus, ac profusis in omnem luxuriam libidinibus sese miserè tradiderunt. Ieiunia, preces sacras, cælibatum, quicquid denique honestatis gereret speciem, penitus abiecerunt; & sola verbi Dei, & Sacræ Scripturæ falsa & ementita vsurpatione omnes errores, & nugas, instar antiquißimorum Pseudoprophetarum, vestire, ac condire student. Hæc, *inquiunt*, dicit Dominus: *cùm nihil magis à Diuinis oraculis alienum sit, quã quæ ad pellicendos populos illi pro Dei verbo paßim inculcant.* Hiere. c. 23.

Et hæc quidem nõ sine magno Catholicæ Reipub. detrimento iam diu grassata est pestis, & (proh pudor, & dolor) aliquorum Principum vicio, aliorum verò ignauia nondum extincta, geminos tandem, qui vniuersam deuastarent Catholicam Politiam (Machiauellum, & Antimachiauellum intelligo) enixa est. Quos ego eo deteriores reliquis omnibus existimaui, quo sæuius in Ciuitatem Sanctam, à Christo Domino exædificatam, & Rempub. suam optimè in-

 stitutam

stitutam bellum mouerũt. Cùm enim cæteri Lutherani, & Caluiniani, e quibus isti prodierũt, in pellicendis rudibus, & ignaris populis toti versentur, hi auertendis à Catholica Religione Principibus, ac viris Primatibus totos sese dederunt: quòd, ijs ab auita fide deficientibus, facilè vniuersam Christi Religionem conuelli posse sperauerint. Verũ enim uerò, qui istorum consilijs Fidem aliquam adhibuerit, quantumcumque solidum Principatum, Rempub. Regnum, Imperium suo subiaceat regimini, labefactari, & cadere, se etiam ab antiqua Religione vel omninò alienum fieri, vel non ita rectè, & syncerè, atque prius, de ea sentire, proculdubio persentiet. Quod enim, amabo vos, pestilentius consilium Christiano Principi dari potuisset, quàm, vt, spreto alieno iudicio, suæ ipsius prudẽtiæ innitatur? Pietatem, & Religionem, quam etiam nõ habeat, præ se ferat? si quid in Religione falsum sit, comprobet, ac firmet, dum id prosit fouendæ qualicunque Religioni? Religionem ethnicam præferat Christianæ? Doctores Christianæ Religionis nihil faciat? De Romana Catholica Ecclesia peßimè sentiat? Mosis authoritatem, & Leges vi, & armis, non Fide, ac

Apud Ant. Possevin. in caut de lib. Macchiau.

Deo

Deo nixas fuisse credat? Fortunæ, & casui felicitatem, non virtuti, & Religioni veræ tribuat? Vt belli iustitiam in ea, quam quisque putat sibi esse, necessitate statuat? Maximis iniurijs violet aduersarios, vt omnem penitus pacis spem, ac desiderium eis præcidat? In Prouincijs subactis Colonias sic collocet, vt veteres ablegentur incolæ: quibus autem mutatio grauis sit, omnes subuertat, & familias funditus euertat? An hoc non est, Mahometismum sensim inducere? Non tamen impius, & scelestus homo hìc gradũ stitit: vlterius enim progressus, Principi cõsuluit, vt eas Prouincias, vel Ciuitates, in quas sine bello acriter velit animaduertere, prauis moribus repleat: &, stultum esse, putare, veterum iniuriarum obliuionem nouis beneficijs induci, haud asserere dubitauit. Principi item Tyrannum aliquem insignem imitandum, contemnendamq. crudelitatis famam, modò in officio ciues contineat, impiè tradidit. Expedire magis, vt metuatur, quàm vt ametur. Leonis, & vulpis induendum ingenium. Immanitatem vno impetu, sensim verò exercendam beneficentiam. Factiones esse alendas inter subditos: tollendos autem de medio boni publici

amantes. Pessima denique omnia (horret animus dicere) arte, doloue, & ruina subditorum esse patranda. Quæ omnia impius Machiauellus tam Optimatibus, Proceribus, Regibus ipsis, quàm ijs, qui à consilijs eorum essent, tanta auiditate obtrudere studuit, vt, hoc percepto invenenato, ac pestifero sermone, plerique, sese ingentes politicos, & consiliarios æstimantes, & Principum nonnullorum corda miserè turbauerint, & eorum optimè aliàs constitutas Respublicas, ruptis Iuris, Naturæ, & Religionis repagulis, facili negotio pessum dederint.

Cùm autem vniuersa hæc eiusmodi sint, vt ab ethnicis Philosophis iam olim sapienter, à Christianis verò multo ante quàm à Machiauello collecta essent, sapientißimè fuerint refutata, erupit nihilominus quidam e Caluinianis Geneuæ, qui, celato proprio nomine, librum edidit, quem Antimachiauellum inscripsit: in quo se ita velle eum impugnare callidè finxit, vt Apostolicam Sedem loco mouere, Catholicā doctrinam omnem radicitus euellere, atque, vt vno verbo dicam, vniuersam Christianam Rempub. aperto Marte oppugnare & expugnare tentauerit: quippe qui de illius pernitie,

& vltimo exitio, præcæteris rebus omnibus, se iã diu cogitaße scriptis suis palàm ostendit. Nec Procerum modò, & Principum, sed priuatorum etiam hominum corda hæc pestifera & tetra bellua inuasit; adeò certè, vt vniuersæ Christianæ Reipub. angulos omnes occupare, & nefario scelere fœdare impudenter molita, quàm multos suæ impietatis incendium, vel omni, vel aliqua saltem ex parte attigerit: ita sæuè per Christianum Orbem serpit, & diffunditur. At, quod nam his tantis incommodis remedium esse arbitrabimur? Præclarè Paulus hac de re, ad Galatas scribẽs, dixit: Vtinam abscindantur, qui vos conturbant. *Resecandæ profectò sunt putridæ carnes, inquit Hieronymus, & scabiosa ouis à caulis repellenda, ne totum putrescat, & intereat. Nec acerbum hoc ille existimabit, qui diligenter, & acuratè perpendet,* τῶν φαρμάκων οὐδὲν τόσην ἐπενεγκεῖν ταῖς πληγαῖς ἀλγηδόνα, ὡς τὰ οὕτως σωτήρια. *Nulla remedia tantum dolorem afferre vulneribus, quàm quæ verè sunt salutaria; qui autem Reipub. curam suscipiũt, eos non tam singularium commodis, quàm vniuersitatis incolumitati consulere debere. Quamobrem Socrates, Philosophiæ parens, & Philoso-*

Ad Gal. c. 5.

Hierony. in Comment.

sophorum omnium facile Princeps, cuius etiam mores maximè commendantur, Atheniensium iußu veneno extinctus est, quòd noua cuiusdam Religionis author extitisse visus fuerit: & Atheniensium Senatus Phidiam, sculptorem præclarißimum, de Mineruæ (quam bonarum artium Deam falsò eße credebant) simulachro faciundo non satis honorificè in curia loquentem, à se magna cum ignominia repulit; ac demum Locrenses nouam quandam legem, quoniam omnium ordinum consensu firmata non fuit, legislatoris sanguine abrogandam eße statuerunt. Quid ergo? Nonne æquiori iure in Christiana Republica grauißimo plectendos esse supplicio illos existimabimus, qui suis perniciosißimis dissensionibus, & nouitatibus ita Proceres, & optimates viros pelliciunt, vt, fucato quodam, & inani vel conseruandi, vel propagandi status sui studio turpiter delusi, priscã & veram Religionem despicatui habeant? Aequißimo sane iure existimabimus. Nam & Moses falsos Doctores lapidibus obrui iußit, & Rex Babylonis in igne frixit eos, qui in nomine Domini fallaciter vaticinabantur, quæ sibi mandata non fuerant. Paulus quoque hæreticum

Valer. Max. lib. 1 de Relig.

Demosthen.

Deut. c. 13. 17. 18.

Hiere. c. 29.

Ad Tit. c. 3.

cum

cum hominem post vnam atque alteram admonitionem omninò deuitari edicto sanxit. Ecquis igitur tanta petulantia elatus est, qui eos audiri velit, & contendat, qui, cùm sint hæreseon fœdissima labe coinquinati, sunt etiam Deo, hominibusque perduelles, & Reipublicæ teterrimi hostes? Qui, contempta priscorum doctrina; explosis legitimis Euangelicæ veritatis interpretibus, nouos quosdam nouarum sectarum magistros, & nouam Religionis normam inducunt? Qui, vetustissimis Ecclesiæ moribus, & decretis rescissis, nouis studet documentis? At hoc singulare, potissimumq. est hæreticorum studium, & in hoc vno maximè gloriantur, se nouum aliquid, quamuis humano generi perniciosissimum, edidisse. Sunt enim hæretici omnes nouitatis amatores, & vetustatis hostes. Hinc sanè, hinc, impudentissimo fuco, tot spurios partus, tot nothos, suppostitios, & adulterinos librorum fœtus emittunt, vt falsa pro veris, nouitia pro antiquis, ignaris, & incautis hominibus venditēt. Idcirco ludunt in Scripturæ Diuinæ campo lasciuiunt verborum, & sententiarum luminibus illis, quæ Σχήματα Græci vocant; variant Lectiones, luxuriantur copia,

&

& loquacitate, & ita inuoluunt, & permiscent omnia, vt nulla sit nunc apud eos sacræ illius priscæ Religionis facies, nullum venerandæ, & colendæ antiquitatis vestigium: nullum Ecclesiasticum cælestis sapientiæ peculium: nullus castæ, & incontaminatæ Apostolicæ illius Traditionis thesaurus: nulla paternorum reuerentia decretorum: nullus diuorum, aut hominum metus. Hinc est, quòd inanem, nugatoriam, & commentitiam Politiæ imaginem introduxerint; vniuersam verò toto terrarum Orbe diffusam Christi Rempublicam simulachrorum cultus, atque summæ superstitionis ausi fuerint arguere: & illius fundamenta, hoc est, Apostolicam Sedem labefactare, atque conuellere supra vires laborauerint. Quid enim aliud (proh Deũ immortalem) quid, inquam, aliud est, omnem Romanorum Pontificũ, & augustæ illius Sedis Apostolicæ dignitatẽ maiestatẽq. violare, atq. imminuere: Sacerdotium peruulgare, apertius dicam, cum hominibus omninò profanis, adde etiam cum pueris, mulieribusque communicare; quàm nõ modò omnem Christianæ Reipublicæ splendorem contagione doctrinæ pestiferæ obscurare, verùm etiam ipsam Ciuitatem Sanctam

ctam

ctam à Christo exædificatam conuellere, atque, sublata penitus Religione (sine qua nulla Respublica potest consistere) in sempiternum commouere? An miserrimi, & infelicissimi homines isti non animaduertunt, Ioannem tradidisse, eos, qui talia agunt, ex Deo non esse: quia soluunt Iesum, & Antichristi sunt? Quod si, qui Christi Rempublicam discindunt, qui Christianam disciplinam commutant, atque dissoluunt, qui Maiorum instituta conuellunt, satellites sunt, & administri Satanæ, Antichristi sunt, & soluunt Iesum: profectò, qui, repudiatis vetustißimis illis viris, (Magno videlicet Athanasio, Hilario, Gregorio Nazianzeno, Basilio, Chrysostomo, Cyrillo, Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Gregorio Magno, cæterisque Catholicis, & eruditißimis Patribus) profanis, seditiosis, & turbulentis, ac sceleratis hominibus ducibus, & magistris vtuntur, timendum sibi esse perpendant velim, ne cum suis antesignanis ad perditam Mahometis sectam, vel ad vanos ethnicorum ritus, aut, quod longè detestabilius est, ad Atheismi impietatem, & impudentiã desciscant: quandò ijdem omnĩa Catholicæ veritatis mysteria, non aliter atque immundæ 1. Ioan. c. 4.

e Harpyæ,

Harpyæ, suis impietatibus fœdare, & omnia humana, & diuina miscere, perturbare, cõfundere, & Christianæ Reipublicæ faciem prorsus immutare conantur.

Quocirca, tanta præsentium malorum, ob perditorum hominum audaciam, his temporibus Christianæ Reipublicæ impendente colluuione, quantum communis salutis intersit, hæc Catholicorum Principum, & Procerum omnium auribus crebro inculcari, ab ipsa temporum nostrorum conditione, à ratione ipsa malorum, à periculo ipso Christi Politiæ imminente, nos admoneri, æquè perpendi. Quamuis enim nulla ratione verendum sit, posse eam ullis impietatis fluctibus penitus obrui, quæ perpotentis Dei manu fulcitur, nutu regitur, & authoritate, atque imperio continetur, vt illorum tamen saluti, & incolumitati, qui ob intestinas difficultates, & domesticorũ hostiũ insidias in lubrico maximè versantur, (quorũ lapsu cõmunis Reipub. salus grauiter læderetur) studiosè, & opportunè consulamus, à Maioribus, à Patribus, ab Heroibus nostris, viris sãctissimis, & acceptissimis Deo, qui in instituẽda, atq. optimis moribus, & sanctionibus excolẽda Christiana Republica ita sedulam

lam nauarunt operam, vt in eo omnes suas curas, & cogitationes collocarint, diligenter edocemur. Si verò summi, & sapientissimi Imperatores, etiam integra, & quieta Republica, eos semper magno in honore habuerunt, quos pro communi vtilitate, atque ex veritate duntaxat loqui cognoscebant; fieri certè nõ potest, vt illis, qui oppugnantur, & labefactantur, non modo cuniculis, sed apertè à domesticis hostibus, & in ijs rebus, quæ ad veram Religionem, & Christianæ Reipub. maiestatem attinent, sit iniucundus sermo, quem non à mercenario authore, sed à fideli, & beneuolo proficisci animaduertunt.

Cogitanti igitur mihi, post Orientis Imperij amplissimi interitum, Pannoniæ Regnum, totius olim Christianæ Religionis firmissimum propugnaculum, miserando casu fractum, & comminutum fuisse: Germaniam ferè vniuersam nouam sacrorum rationem suscitasse, nouos mores, nouam doctrinæ, & vitæ normam in Rempublicam induxisse: Britaniam pariter omnem è sinu, gremioque sacrosanctæ communis parentis Ecclesiæ abstractam: Heluetiorum tot pagos & ab antiqua patrum institutione, & à Republica Christiana desciuisse: ipsam etiam Gal-

liam, quæ alias semper fuit quasi alumna, & nutrix veræ pietatis, tamdiu turbulēter tumultuari: ac denique in Christianum Orbem (quod equidem sine lachrymis dicere nequeo) vitiosas, & corruptas consuetudines, pessimos, & teterrimos mores, hæreticorum opera, sensim irrepsisse: communem præterea hostem, Orientis Tyrannum, nobis, terrore potius, quàm prælijs, perturbatis, & deuictis, Christianis Principibus diuisis, nullaque ex parte sibi ipsis constantibus, instare: mihi, inquam, (cui, omnium minimo, datum non est communibus rebus aliter opitulari) cogitanti, vt externis hostibus, & domesticis perduellibus insidiatoribus iam dudum laboret Christiana Respublica, ingrauescatque in dies non externum modo, sed intestinum etiam malum, vt illi, si fortè ad eorum manus mea hæc perueniant scripta, quibus moderandi, & regendi Orbis quasi quasdam habenas tradidit Deus, ad præstandum Christianæ Reipub. grauiter laboranti id, quod officij sui est, sedulò excitentur, consilium fuit Vrbis frequentias, turbasque vitare, & Romæ, tanquam in solitudine aliqua ab hominum consuetudine longè remotissima degere: & ita Deo, & sacrorum Libro-

brorū lectioni vacare, vt, quicquid inde, quod Christianā Rempublicam aliquo modo iuuare posset, haurirem, id omne in communē conferrem vtilitatem. Quo factum est, vt, quam ex adspectu huius Orbis terrarum emporij, & ex interfluente Vrbem Tiberi, ex amœnißimis collibus, ex ædium, & ædificiorum magnificentia, viarū descriptione, antiquis operibus alij percipiunt, oblectationem ex sacris monumētis capiendam ego mihi proposuerim. Sunt quidem, fateor, illa &, iucunda, & splendore prædita: ad hoc tamen acrius, & maiori cum voluptate (si quā miser rerum status secum patitur) præsentium malorū contemplatio me impulit, quòd Augustiniani mei instituti ratio id etiam iure suo postularit. Spem autem, desideriumq. meū haud frustratus est euentus. Cùm enim decimus sextus iam agatur annus, ex quo è Lusitania Parisiorum Lutetiā, decimus ex quo Lutetia Romam appuli; ita post datam Religioni operam Musæo nostro me addixi, vix vt, cùm Romæ sim, Romam vnquam vel à limine salutauerim. Et quia in hac peregrinatione mea, non sine magno animi mœrore, cognoui, quantum in Christiana Repub. serpit hæretica pestis, (quæ simu-

simulata facie sensim multorum corda labefactare, & euertere molitur, vt plurium etiam aperto vultu prostrauit, obtriuit, contudit fidē, & virtutem omnem) operam me haud lusuru existimaui, si ita, quæ ad Nouatorum somnia, & deliria confutanda potissimum spectant, ex diuinis oraculis, & sacris priscorum monumētis hausta literis comprehenderem, vt simul, quantum præceteris omnibus, quas vel mente quidem excogitare potuerunt veteres sapientes, vel reipsa instituerunt Politias, Christiana emineat Respublica, rudi saltem Minerua explicarem. Verùm enim verò telæ aliàs à me orditæ ratio exigebat, vt (quoniam veram Christi Ecclesiam, Romanam esse, decem libris ostendi: hancque corpus vnum, omnibus suis partibus aptissimè copulatis, & cum capite connexis, luculenter tradidi: & corpus hoc non naturale, sed mysticum, ad naturalis tamen corporis similitudinem mirificè conflatum: eius verò regimen hominibus à Deo commissum Monarchicum, temperatum tamen ex Aristocratia, et Democratia, quo gubernationis genere, propter humanæ naturæ corruptionem, nullum aliud Christianæ Reipublicæ salutarius excogitari

po-

potuit, copiosè docui) quibus dotibus hanc suam muniuit Rempub. quibus eam auxit beneficijs, & fauoribus locupletauit, quod tantum superesse videbatur, deinceps aperirem. Hæc ergo ante omnium oculos sex libris comprehensa propono: quos de optimo Reipublicæ Statu idcirco inscripsi, quòd, quis optimus cuiusuis humanæ Politiæ status censeri debeat, & in quo Christianæ Reipublicæ perfectio, decus, gloria, & salus maximè collocata sit, copiosa oratione demonstro. Non solum autem fructus operis, ad quem in primis omnis labor noster refertur, si fortè aliquis futurus sit; nec loci opportunitas, quæ maxima est, (ita enim Romæ mihi solitudinem præparaui, vt tamen illustrium & doctorum virorum, quibus illa referta est, consuetudine frui, & cum illis statas horas esse possem) sed consideratio temporis ad hoc perficiendum me etiam impulit. Cùm enim humana omnia à tempore rapiantur, vt nos ex eo aliquid inuicem rapiamus, quod in vitam proficiat sempiternam, nostra interesse probè cognoui: præsertim cùm & appropinquantis diuini iudicij terribilis quædam expectatio augeri efflagitet studia Religionis, & nouorum hæreticorum fraudulētia mul- Vinc. Lirin.

tum

tum curæ, & attentionis indigeat. Hanc itaque cùm in meæ imbecillitatis iuuamen, & eorum, qui mecum de se vel demissè, vel modestè saltē cogitant, vtilitatem, suscepissem cogitationem: in hoc vno salutem, & incolumitatem Christianæ Reipublicæ, eiusque optimum statum situm esse intellexi: vt cognoscat vnusquisque suum certum, ac proprium munus, ad quod vocatus est: Pastores pastoris officio fungantur, & oues ouium. Sunt quidem Pastores in terris signiferi, & duces populi Dei, quibus in primis delatæ, atque concreditæ sunt præfecturæ totius Orbis. Pastorum munus est, explorare, constituere, atque præscribere, quid Reipublicæ, quid cōmuni vtilitati expediat. Cæteris verò pijs omnibus, qui ouium locum tenent, & ad gregem Domini spectant, fas est obtemperare, iussa capessere, dicto audientes esse: nam illos posuit Dominus custodes, & conseruatores Ciuitatis sanctæ: illos dedit Deus speculatores domus suæ.

Liceat iam nobis hìc paulisper sistere. Quid est, inclyti Proceres, quòd, cùm singulis ætatibus aliqua magna, & turbulenta discordiarū, & seditionum tempestate iactatam fuisse Christianam Rempublicam nequaquam infitias iri possit,

poßit, imbres tamen, nimbi, procellæ illæ haud fuerunt eiuſmodi, vt miſeriam, & calamitatẽ extremam minitarentur: nunc autem & longe plurima eidem aduerſa, atq. infeſta ſunt? Etenim, vt turbinibus, turbulentißimiſque tempeſtatibus, tonitruis, fulminibuſque in medio pelago nauigium, ſic Chriſtiana Reſpublica, dißenſionibus, hæreſibus, tumultibus agitata, huc atque illuc impellitur, omniaq́; vim & mortem intentare videntur. Quid, inquam, eſt, Inclyti Proceres, vos rurſus appello, quòd & domi, & foris tot contumelijs afficitur, tot calamitatibus iactatur Chriſtiana Reſpublica? Dicam liberè, vt mea fert natura, quod Cyprianus ait: Hoc eo fit, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec Magiſtri cæleſtis doctrina ſeruatur. *Quid ita? Præclarè ille quidem. Initium namque hæreſeon, & ſchiſmatum eße Romani Pontificis contemptum, procul dubio intellexit.* Neque enim, *inquit idem,* aliundè hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt chiſmata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Chriſti cogitatur. Cui ſi ſecundum magiſte-

Cypr. lib. de vnit. Eccleſ.

Cypr. epi. 55

f ria

ria Diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo dissidio vnitatis Christi Ecclesiam scinderet; nemo sibi placens, ac tumens seorsum foris hæresim nouam conderet.

Colligamus igitur. An est aliquis Christi charactere insignitus, qui non vehementer exoptet, vt de stimulatoribus, & concitatoribus seditionum, de commentitiæ Religionis interpretibus, Christiana Respublica triumphos agat? Vt, qua ex parte collapsa est morum disciplina, in antiquum statum, in pristinam dignitatem restituatur? Vt infestissimos hostes, & domesticos, & exteros, expugnet, prosternat, extermimet? Exoptant certè omnes. Sic reor. Ergo agite (per Deum immortalem vos rogo, obtestorque, Proceres Inclyti, quos horum omnium desiderio teneri credo, spero, confido) agite, inquam, si hanc summam felicitatem Christianæ Reipublicæ exoptatis, vt, quæ sunt Dei, Deo; quæ Cæsaris, Cæsari reddantur. Aucta est enim (legite temporum historias, sapientibus loquor) maximè Christiana Respublica, & per vniuersum prope Orbem radices egit, & propagata est, nullis Barbarorum excursionibus vastabatur, aut vexabatur tunc, cùm sanctissimi Romani Antisti-

tistites diuinæ Religionis cultores, & moderatores, de pace, de moribus, de communi salute, deque optimo statu Reipublicæ agentes, religiosè audiebãtur; & quod, siue legis præscripto decreuissent, siue paterno affectu admonuissent, id firmum, & in perpetuum ratum omnes habebant. Vtinam hæc rursus Christiana obseruantia, & religiosa modestia in Christi Republica reuiuiscat: quæ si vnquam summis Regnorum Moderatoribus necessaria fuit, ne populorum suorum salus aduersariorum incursione periclitaretur, atque ne Prouinciarum suarum iura hostili gladio violarentur, nunc profecto, nunc, Christianæ Reipub. Proceres, qui rerum clauum tenetis, & à quorum nutu cæteri omnes pendent, nunc sanè vobis necessaria est, cùm sanctiss. Pontifex Romanus CLEMENS VIII. vestro indiget auxilio, vestrã expectat, & exposcit opem, vt tantis Europæ incommodis, & detrimentis obuiam ire, & tantopere afflictis & profligatis Rom. Imperij rebus (quibus inuicto, & excelso animo seriò cõsulit, & prospicit) mederi possit. Nisi enim & hæreseon pestem, tanquam Reipublicæ strumam, execet, & ita vniuersam Christianam

Politiam ad pristinum reducat splendorem, vt, rebus suis optimè compositis, & domi, & foris secura pace, & quiete perfruatur; profectò & Ciuitates, quibus praestis, & Respublicae, quas moderamini, & Regna vestro commissa regimini, & potestati, & Imperium ipsum, cuius salutem curare tenemini, in maximo versantur periculo. Non enim Respublica aliqua vel exercitu ab hoste impetitur, vel domestico tumultu conuellitur, quin & vicinae quoque Prouinciae detrimentum patiantur. At nunc ita in Romanum Imperium vndique immanis, & barbarus hostis inuadit, vt totius Christianae Reipub. deflagrationem minitetur: Catholica verò Religio apud quàm multas Christiani nominis vrbes, atque Prouincias intestinis dißidijs tam indignè labefactata est, atque conuulsa, vt, si vos maturè non opitulemini vtrique, & sanctißimi Pontificis iußis, monitis, consilijs modestè, & religiosè obtemperetis, & hanc in aliquam contaminatam superstitionē, & illud cum maxima Ciuitatum, Prouinciarum, & Regnorum vestrorum calamitate ad summum interitum ruere neceßè sit. Non est autem, quòd mihi aliquis hanc dicendi libertatem

tem vitio vertat, sed potius cur communis salutis studium, & desiderium meum excuset, si laudare nolit. Cum autem summi etiam gubernatores in magnis tempestatibus à vectoribus nonnunquam admoneri soleant, vestrum sanè erit, quæ ipse, qui in eadem naui vobiscum sum, eadem tempestate quatior, & eisdem fluctibus obrui timeo, de optimo Reipublicæ statu, de communi salute, de Religione hisce libris, tanquam quibusdam internuncijs, vobiscum agere institui, æqui bonique facere; atque etiam pro vestra in Rempublicam diligentia, proque admirabili vestra sapientia, & prudentia, pro vestra quoque humanitate, proque magnitudine periculi, attentè considerare: & quæ Gregorius Nazianzenus disertissimè insinuauit semper præ oculis habere: δεῖν τοὺς βασιλεῖς παρέχειν τῇ ὀρθοδοξίᾳ τὸ κράτος, αὐτὸ τοῦτο παρ' ἐκείνης, καὶ δὴ καὶ μεῖζον ἀντιληψομένους. *Oportere Reges Orthodoxæ Religioni robur afferre, illud idem ab ea, & quidem auctum recepturos.* Orat. 21.

At, si hæ Procerum Christianæ Reipublicæ partes sunt, Vobis profecto, Ecclesiastici Præsules, vsque adeò incumbit, speculari, & custodire domum Dei, & languentium vires reficere,

re,

re, & morbis mederi, ac pestem resecare, vt si, muneris vestri obliti, hæresis, quæ, tanquam tetra, & immanis bellua, vineam Domini inuasit, aut prauorum morum, qui non aliter atque spumantis maris fluctus Rempublicam inundare videntur, ferociam perhorrescatis, &, de vestra tantùm incolumitate soliciti, Ciuitatem Domini sine præsidio direptionibus relinquatis, terga detis, & in fugam vos conyciatis, præpotens Deus, qui vos dedit speculatores domus suæ, è manibus vestris occisorum animas sit re-
Ezech. c. 33. *quisiturus, quia prospexistis insidias, & non insonuistis buccina, & signum è specula non dedistis, vt populus custodiret se. Nunc ergo, lectissimi Pastores, sacratissimi Præsules, Duces strenuißimi, & sapientißimi, iustitiæ, & pietatis arma capite, viriliter, & fortiter in adstipulatores, & defensores nouarũ sententiarum agite. In eos, qui Christianam disciplinam, qui Maiorum instituta commutare & conuellere nituntur, acriter animaduertite, coercete eorum temeritatem, audaciam frangite, eorum conatus omnes comprimite. Hoc vobis sit præcipuum studium, hæc præcipua cogitatio. Si enim vos estis Præsules Sacri, Regale Sacerdotium, Gens Sa-*

cta,

Ea, Genus Electũ, Custodes Vineæ Domini, Sal terræ, Lux mundi, Duces cæcorũ, & Pastores animarum, vt verè estis; par equidem, æquumq́ est, tandem, his præsertim tẽporibus, munus vestrum agnoscere, atq. exequi. Cõuertite, obsecro vos, conuertite oculos in præsentem Christianæ Reipub. & Religionis statũ. heu, quantum à priscis illis & heroicis Fidei, & Religionis nostræ temporibus distat? Horreo dicere: at, silere nequeo. Vinea Domini, quæ, summa diligẽtia per purgata, altissimas iam olim radices egit, cuius propagine in dies multiplicata terra repleta est, cuius vmbra montes operuit, cuius proceritas cedros Libani superauit, quæ palmites suos ad Solis occasum protulit, & ad ortum vsq. propagines extendit, quæ Principibus admiranda, hostibus metuenda, magnitudine Imperij latissima, & fructuum vbertate florentissima erat, direptionibus, magna ex parte, patefacta est, atq. exposita. Vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam: Exterminauit eã aper de sylua, & singularis ferus depastus est eã. *Psal. 79.* *Haeretici, tanquam apri, ex syluis in eam impetum ferunt, illamq́ deuastant. Impij, & scelerati homines, cùm pessimis moribus omnia corrũ-*

pere

pere, & replere conentur terram iniquitate, tã-quam immanes belluæ, illã quacunque possunt depascuntur: nullus hostis exoritur, nullus Ty-rannus exurgit, qui eam conculcare, proterere, & summa truculentia, & diritate eam confi-cere non moliatur; adeò certè, vt Christianæ di-sciplinæ ratio non parum conuersa; & immuta-ta videatur Christianæ Reipub. facies. Ve-strum igitur est, Præsules sapiẽtissimi, vestrum sanè est, ne omnia in dies in peius ruant, vt, ex quibus rebus Rempub. maximè laborare pro-spicitis, eis etiam maximè medicinam faciatis; &, vnde inflicta, & imposita sunt vulnera, in-de etiam medicamenta depromantur. Non aliunde (vobis hoc certum, compertumq. esse, minimè dubitandum est) maius passa est detri-mentum Christiana Res, quàm ex eo, quod di-scessum est ab institutis Maiorum: hæc igitur duntaxat ratio superest, hæc vnica via, qua om-nibus incommodis mederi possitis: vt vnusquis-que vestrum memoria repetat, & præ oculis ha-beat, qua in primis ratione hanc Christus Iesus fundauit: quæ in eam beneficia contulit: quibus donis locupletauit: quibus fauoribus amplifi-cauit, & illustrauit: deinde verò, quibus ar-

tibus

tibus hoc ſacrum Imperium, qua diſciplina heroes noſtri ſanctiſsimi hanc auguſtam Rempublicam longè lateque dilatauerũt: eiſdem enim institutis, quibus parta eſt, & aucta, & non alijs, retineri, & conſeruari poteſt Chriſtiana Maieſtas. Et hæc quidem, non pro rei magnitudine (quam nulla, quantumuis opima, oratione adamuſsim explicare poſſemus) ſed pro ingenij noſtri tenuitate, hiſce libris enucleata, vobis potius in memoriam reducere, quàm tradere, decreuimus. Iam, quod inſtat, agamus. Valete.

F. ANDREAS FIVIZANVS
Ordinis Eremitarum Sancti Augustini
Prior Generalis licet indignus

VENERABILI ET NOBIS IN CHRISTO DILECTO, & in Sacra Theologia Doctori, Fratri Gregorio Nunnio Coronel eiusdem voti salutem.

VT nostri ordinis Fratres ita sapientiam complectantur, vt non solum ad eam totis viribus adipiscendam intendant, verùm etiam in ijs, quæ didicerunt manifestandis, & in lucem edendis omni studio elaborent, non solum nobis est gratissimum, sed etiam qua possumus ratione, ad hoc ipsum, omnes hortamur, excitamus, inducimus. Quamobrē libenti animo harum vi, & nostri officij authoritate Tibi facultatem facimus, vt, opus à te de Optimo Reipublicæ statu, in sex libros distributum (cui & Apologeticus, de Sacris Apostolicis Traditionibus accessit) quod nos ipsi vidimus & approbauimus, ad communē Ecclesiæ vtilitatem, & Christiani populi ædificationē in publicum edere possis, habita prius licentia à Reuerendissimis Dominis, quibus eam concedere, iuxta Sacrosancti Concilij Tridentini decretum, potissimum incumbit: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem &c. Dat. Romę. Pridie Idus Augusti. M.D.XC.VI.

Fr. Andreas Fiuizanus Generalis indignus.

EGO Frater Ioannes Baptista Plumbinus Sacrorum Bibliorum in Almo Collegio Romano publicus Interpres, ex commissione Reuerendissimi P. Magistri Sacri Palatij, quanta maxima potui diligentia legi, & perpendi opus de optimo Reipublicæ statu, in sex libros distinctum, & Apologeticum librum de Sacris Apostolicis Traditionibus, compositum ab admodum Reuerendo P. Magistro Fr. Gregorio Nunnio Coronel Lusitano Ordinis Eremitarum S. Augustini; in quo nihil reperi, quod vel Orthodoxæ Fidei, vel bonis moribus repugnare videatur. Quinimo ob venustatem & elegantiam sermonis, sententiarum grauitatem, & miram eruditionem, illud ad communem omnium vtilitatē, prælo mandari debere iudico. In quorum fidem &c. Datum Romæ. Prid. Non. Octobr. M. D. XCVI.

Idem qui supra manu propria

Imprimatur.

Alexan. Ludouisius Prouiceg.

Fr. P. Ioan. Saragosa
Promagister Sacri Palatij.

SCRIPTORVM NOMINA,

Non quidem omnium, sed quorum potissimum authoritate, & sententijs in his libris vtimur.

A

Abbas Panormitanus.
Abbas Vuspergensis.
Adrianus.
Adonius Vienensis.
Aelianus
Aeneas Syluius.
Agathias.
Albertus Krantius.
Albertus Magnus.
Albertus Pighius.
Alciatus.
Alexander ab Alexandro.
Ambrosius.
Aminctas.
Anacletus.
Anselmus.
Antoninus Florentinus.
Aristoteles.
Arnobius.
Athanasius.
Aurelius Augustinus.
Augustinus Triumphus.

B

Balsamon Antiochenus.
Bartolus I. C.
Basilius Magnus.
Bernardus.
Beda.
B. Arias Montanus.
Benedictus Pererius.
Biblia Sacra Vaticana.
Biblia Regia.
Biblia Xantis Pagnini.
Biblia Vatabli.
Bibliotheca Sixti Senen.
Bibliotheca Sanct. Patrum.
Blondus.
B. Bonauentura.
Bulphilas.

C

Cartusianus.
Cassiodorus.
Cæsaris commentaria.
Cæsar Baronius, Card.
Chrysostomus.
Claudianus.
Claudius de Sainctes.
Clemens Romanus.
Clemens Alexandrinus.
Concilia Sacra.
Constitutiones Apostolorum.
Corpus Canonicum.
Corpus Ciuile.
Cornelius Tacitus.
Couarruuias.
Cyrillus Alexandrinus.
Cyrillus Hierosolymitanus.
Cyprianus.

Dam-

D

DAmasus P. I.
Damascenus.
Demosthenes.
Dieguus Paiua.
Dionysius Areopagita.
Dio Cassius.
Diodorus Siculus.
Diogenes laertius.
Dionysius Halicarnasæus.
Dominicus Soto.
Dominicus Iacobatius.
Durandus.

E

ELeutherius.
Ephrem.
Epiphanius.
Epistolæ decretates SS. Pont.
Eusebius Cæsariensis.
Euagrius Scolasticus.
Eucherius.
Eusebius Emissenus.
Euthymius.

F

FElinus.
Franciscus Victoria.
Franciscus Pegña.
Franciscus Vargas.
Franciscus Petrarc.
Fulgentius Ruspensis.

G

GAbriel Biel.
Gaspar Contarenus Card.
Gaudentius.
Gelasius P. I.
Georgius Cedrenus.
Gilbertus Genebrardus.
Glossa Ordinaria.
Gregorius Nazianzenus.
Gregorius Magnus.
Gregorius Nissenus.
Gratianus.
Guilelmus Lindanus.

H

HEnricus Card. Hostiensis.
Henricus Henriquez.
Hegesipus.
Hermias Sozomenus.
Hesiodus.
Herodianus.
Heruetus.
Heruæus.
Hieronymus.
Hieronymus Osorius.
Hilarius.
Homerus.

I

IGnatius Antiochenus.
Innocentius P. I.
Ioannes Gerson.
Ioannes à Turrecrema.
Ioannes Driedonius.
Isidorus Hispalensis.
Isocrates.
Irenæus.
Iustinus Martyr.

L

LActantius Firmianus.
Leo Magnus.
Leo Castro.
Libratus.
Lucianus Martyr.
Lucianus.
Lyranus.

M

M. Antonius Sabellicus.
Marianus Scothus
Maximus.
Martialis.
Marcilius Ficinus.

M.T.

M. T. Cicero.
Macrobius.
Martinus D Nauar.
Melchior Canus.

N

NAuclerus.
Nicephorus Calixtus
Nicolaus P. I.
Nicolaus Sanderus.

O

OEcumenius.
Onuphrius Panuinus.
Optatus
Origenes.
Otho Frisingensis.
Ouidius.

P

PAulus Diaconus.
Pelagius P.I.
Petrus de Soto.
Petrus Cluniacensis.
Philastrius.
Philon Iudæus.
Photius Constantinopolit.
Platina.
Plato.
Plinius.
Plutarchus.
Pomponius.
Primasius.
Procopius Gazzæus.
Prosper Aquitanicus.
Pselus.

R

RObertus Belarminus.
Rupertus Abbas.

S

SAluianus Massiliensis.
Salustius.
Seneca.
Siluester P. I.
Socrates Scholasticus.
Sozimus.
Stanislaus Osius.
Stanislaus Socolouius.
Strabo.
Suetonius Tranquillus.

T

TErtullianus.
Theodoretus.
Theophilactus.
Theophilus Alexandrinus.
Theophilus Antiochenus.
Thomas Aquinas.
Thomas Caietanus.
Thomas Vualdensis.
Thomas Campegius.
Thomas Stapletonus.
Titus Liuius.
Thritemius.
Trebellius.
Turrianus.

V

VAlerius Maximus.
Vergilius.
Vigilius.
Vincentius Lirinensis.
Vuitichindus.
Vrspergensis.
Vuymphelingius.

X

XAntes Pagninus.
Xenophon.

Z

ZAcharias.
Zonaras.

ΠΕΡΙΟΧΑΙ CAPITVM

Libri Primi

DE OPTIMO REIPVBLICÆ STATV.

CAP. I.

REmpublicam nullam sine lege, & Magistratu rectè gubernari posse: & ibi quæ Plato de vtriusque necessitate dixerit; quodque potissimum sit Magistratus munus, edocetur. Vbi multa, ex veteri Philosophorum schola hausta, reperies.

CAP. II.

PRotagoræ de lege comitatis enucleatur sententia: & vt ipse legem hominum societati pernecessariam esse probauerit, ostenditur.

CAP. III.

QVòd lex Naturæ in homine propriam habeat rationem regulæ. Ex ea leges scriptas originem ducere: & quid lex æterna, secundùm veteres Theologos: ac tandem, quid leges Reipublicæ præstent, traditur.

Impe-

CAP. IV.

IMperij maiestas cur, præter leges, in Republica exigatur. Principi quæ necessariæ dotes, vt Reipublicæ facilè possit consulere: ac Magistratus authoritatem diuina contineri temperatione, edocetur.

CAP. V.

SAcra, sacerdotes, Magistratus, leges, cur in ciuitatibus instituta: Religionem Reipublicæ fundamentum esse. Quò etiam legum latio, & Magistratuum institutio tendat, aperitur.

CAP. VI.

GVbernationis formas tres iam olim a sapientibus assignatæ: legum duo genera, & an, vtrum vtri, præstet. vbi aliqua de lege scripta, & non scripta videre licet.

CAP. VII.

CHristum, Saluatorem nostrum, ædificaturum Ciuitatem Dei sanctam, à Sacris Vatibus prædictum: & vt ei nouum nomen ab illo fuerit impositum, copiosè explicatur.

CAP. VIII.

LOcus Esaiæ; *Induit me vestimento salutis* &c. &c, neminem aditum Ciuitatis Dei patere, nisi per fidem in Iesum Christum, luculenter, ex Patribus, exponitur.

CAP. IX.

REligio qualis esse debeat, ad constituendam ciuitatem, & Rempublicam sempiternis seculis duraturam.

CAP. X.

SAcra, & Sacerdotes, à Christo in Republica sua apprimè instituta fuisse: & ibi multa de Sacrificio, & eius antiquitate, utque cum Religione maxime sit coniunctum, ex veterum monumentis hausta habes.

CAP. XI.

DE summo genere sacrorum, hoc est, de Missæ sacrificio, quo Christus Ciuitatem suam cohonestauit, aduersus hæreticos differitur.

Sub

CAP. XII.

SVb lege scripta fuisse sacrificium vnum institutum Agni Paschalis, quod expressam sacrificij altaris imaginem gerebat: quæ etiam in contrahendis fœderibus obseruarint veteres, accuratè, ad rem præsentem, expenditur.

CAP. XIII.

SVb lege Naturæ sacrificium altaris adumbratum fuisse, in medio proponitur.

CAP. XIV.

EX Diuinis Scripturis edocetur, sub figuris, & velamine summam sacrosanctæ Eucharistiæ maiestatem, Religionem, & cultum, iam olim præsignificatum fuisse.

CAP. XV.

IDem ex Malachia efficaciter confirmatur; cuius vaticinium maxima diligentia expenditur.

CAP. XVI.

CVr Paulus eo loci, quo de Melchisedechis sacerdotio disserit, cùm alia quàm multa sigillatim pertractet, de oblatione panis, & vini, nullum verbum fecerit, aduersariis apte respondetur.

CAP. XVII.

MYsterium Sacrosanctæ Eucharistiæ Paulus stupet: quo verò magis ineffabile illud esse apparet, eo nos magis in institutoris amorem excitari debere, efficaciter demonstratur.

CAP. XVIII.

ADuersarij negantes, Eucharistiæ sacramentum, verã habere sacrificij rationem, pluribus refutantur.

CAP. XIX.

CHristianæ Reipublicæ decus, & gloria, ex dictis, omnium oculis inspicienda subijcitur.

CAP. XX.

CHristus, vt præcepit in Republica à se instituta incruentum corporis sui sacrificium offerri, ita etiam sacrifi-

crificij huius miniſtros inſtituit, qui ſacris faciendis in-
cumberent. Vbi hæreticorum figmenta ſoluuntur.

CAP. XXI.

ORdines Eccleſiaſtici vniuerſi, & numero ſeptem, & i
duas claſſes diſtributos heroes noſtros cenſuiſſe, e
ipſorum monumentis educitur.

CAP. XXII.

SAcerdotes oleo inungi, non eſſe humanum inuentum
ſed diuinum inſtitutum, ex priſcorum doctrina, & Sa
cris Scripturis, contra hæreticorum inſaniam, demon
ſtratur.

CAP. XXIII.

QVas leges Chriſtus, Saluator noſter, in Ciuitate ſu
Sancta, & credi & obſeruari voluerit.

CAP. XXIV.

LEgis diuinæ diſciplina, iuxta triplicem hominis ſtat
diligenter conſideratur.

CAP. XXV.

QVantum à veritate aberrent hæretici aſſerentes, le
ab homine in hac vita minimè adimpleri poſſe,
te omnium oculos proponitur.

CAP. XXVI.

CVr hæretici in tantam prolapſi ſint temeritatem, &
ſaniam, vt aſſerere non dubitauerint, homines ha
poſſe diuinam legem adimplere, ex diuinis oraculis, di
genter, & accuratè depromitur.

ΠΕΡΙΟΧΑΙ CAPITVM

Libri Secundi

DE OPTIMO REIPVBLICÆ STATV.

CAP. I.

ECCLESIÆ Dei Primatus, ab Orbe condito, per tres ætates, apud vnum, eumque ſummum Sacerdotem, ſemper extitit: cuius erat & cultus diuinos ſtatuere, & de rebus maximis iudicare.

CAP. II.

MOſes, antequam legem à Deo accepiſſet, Princeps populi Iudaici conſtitutus fuit, ſumma authoritate præditus ad cauſas diſcernendas. Poſteà, à Iethro admonitus, inferiores quoſdam Magiſtratus inſtituit. Poſt acceptam verò legem, quæ duas continet ætates, quamuis, diuerſis temporibus, diuerſas gubernationis formas ſubierit, quod attinet ad ciuilem ſtatum, tamen, quod ſpectat ad Eccleſiaſticum regimen, vnius imperio ſemper ſubiacuit.

C A P. III.

VT in ſexta quoque ætate, poſt reditum ſuum ad Pa-
trem, Chriſtus vnum Reipublicæ ſuæ Præſidem ſum-
mum, cui cæteri omnes, tam Eccleſiarum Præſules, quàm
inferiores populi ſubiicerentur, reliquerit; idque & ratio-
ni maximè conſonum, & ad Politiæ conſeruationem ne-
ceſſarium, oſtenditur.

C A P. IV.

ECcleſiæ, Chriſto ad Patrem reuerſo, & ſponſum, & ca-
put conſtitutum, longe tamen ab illo diuerſum: hoc
enim miniſteriale, illud vitale caput eſt.

Hic exactam loci illius Micheæ, *Et tu turris gregis nebu-
loſa &c.* expoſitionem reperies.

C A P. V.

QVæ & quales, Dauidis Sedes, & Iacobi domus, extite-
rint. Et ibi de Regno Chriſti temporali: necnon de
Vaticinio Iacobi, *Non auferetur ſceptrum de Iuda, &c.* copio-
sè diſſeritur.

C A P. VI.

REgni Chriſti perpetuitas pluribus confirmatur vati-
ciniis: quæ & hic accuratè expenduntur.

C A P. VII.

REgno Chriſti à Iudæis ad Gentes translato, thronus
quoque Regni Hieroſolymis Romam translatus eſt.
Quæ, Oſeæ vaticinio, *Voca nomen eius; non populus meus. &c.* &
aliis diuinis oraculis, adamuſſim explicatis, illuſtrantur.

C A P. VIII.

TAcitæ obiectioni reſpondetur, & Oſeæ vaticinium, de
ethnicis Religionem Chriſti amplexis, intelligendum
amplius oſtenditur.

C A P. IX.

VT reiecto Hebrææ gentis corpore, alterum ex genti-
bus conflatum eſt, ſic etiam neglecto illius capite, ca-
put alterum aſſumptum eſt. & ibi, de Sede Antiochiæ con-
ſtituta, pauca, ad rem tamen maximè ſpectantia.

Romæ

CAP. X.

ROmæ firmatam fuisse Sedem Apostolicam, eiq. summam authoritatem tributam. Atque, coram ea, Reges potentissimos humi sese prostrauisse, & leges illius, lubentibus animis, suscepisse, traditur.

CAP. XI.

DAnielis vaticinium de quatuor futuris Monarchicis Regnis expenditur: &, vt Imperatores Romani, & alij Reges, non solùm in ijs, quæ ad spirituale regimen attinent, sed in ijs etiam, quæ ad Politicam gubernationem spectant, Romanæ Cathedræ sese, suaq. Regna subdiderint, breuiter insinuatur, latius postea explicandum.

CAP. XII.

NOÆ posterorum dispersionem in Gentes, & linguas diuersas, vt Deus ad maiorem animorum vnitatem in Christo consummandam reuocauerit: Petrum verò, vt Romanam Ecclesiam constitueret, cui summam authoritatem concessit, elegerit, hoc capite dilucidatur.

CAP. XIII.

CVr Christus, Saluator noster, Paulo præceperit, vt, relicta Hierosolyma, Romam peteret, non tamen antequam ibi Petrus nouæ Metropolis iecisset fundamenta: cur etiam ambo Romæ vita priuati, Paulus capite trūcato, Petrus verò cruci affixus fuerit, aptè edocetur.

CAP. XIV.

ADuersariis oblactantibus respondetur, &, cur Paulus Petro prælatus, & per antonomasiam Apostolus appellatus sit, luculenter aperitur.

CAP. XV.

PEtrum Apostolum, à Christo, supremum Ecclesiæ præsidem, institutum fuisse, ex ipsius Domini verbis, *Tu es Petrus & super hanc petrā &c.* efficaciter probatur; & aduersariorum rationes diluuntur, atque figmenta omnia reijciuntur. Vbi, Syrorum, Arabum, Persarum, Hebræorum, & La-

& Latinorum mirabilem conſenſum in explicanda Chri-ſti ſententia, intueri quiuis facilè poterit.

CAP. XVI.

NOn aliter, atque Græci, & Latini Patres, in ſuperiori capite citati, ſcripſerunt, Auguſtinum de Primatu Petri ſenſiſſe, aſſeritur.

CAP. XVII.

DIuinum illud Pauli oraculum, *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere &c.* diligenter expenditur; & quàm ineptè hæretici ex eo colligant Petri primatum gratis à Catholicis affirmari, ex veterum monumentis edocetur: Atque Orthodoxa ſententia pluribus adhuc & rationibus, & priſcorum teſtimoniis, & diuinis oraculis corroboratur.

CAP. XVIII.

FAllaces hæreticorum concluſiunculę perſtringuntur, & Catholica veritas rurſus diuinorum oraculorũ præſidiis munita, & Patrum antiquiſſimorum ſententijs illuſtrata omnium oculis contuenda proponitur.

CAP. XIX.

PEtrus authoritate ſibi à Chriſto in Eccleſiam promiſſa, poſteà verò collata, poſt eius ad Patrem reditum, ſæpè vſus fuit: & in multis oſtendit, ſe cæterorum omnium Apoſtolorum Principem eſſe.

CAP. XX.

CHriſtus, ea oratione, P*aſce oues meas*, ita omnes regiminis rationes complexus eſt, vt, Petro, iam tunc, ſummum imperium in gregem ſuum, contulerit.

CAP. XXI.

HÆretici ad inſaniam redacti, ne orthodoxam veritatem, apertiſſimis Sacræ Scripturæ teſtimoniis comprobatam, amplecti cogantur, ea corrupta & vitiata, veterum hæreticorum more, temerè aſſerunt: quorum petulantia quanta ſit, quàmque execrabilis, hoc capite manifeſtatur.

Nomi-

CAP. XXII.

NOmine ouium, quas Chriſtus paſcendas Petro tradidit, vniuerſa Eccleſia intelligitur.

CAP. XXIII.

ADuerſariorum rationes, contra poteſtatem, à Chriſto, in vniuerſam Eccleſiam ſuam, Petro collatam, impudenter excogitatæ diluuntur, & , quæ fuerit Pauli mens, quo etiam conſilio Apoſtoli inter ſeſe Prouincias diuiſerint, aperitur.

CAP. XXIV.

PEtrus, non tunc primùm ſciuit Euangelium in Gentes diffundendum, cùm ei præceptum fuit, vt ex immundis animantibus, quas in mentis exceſſu vidit, comederet: ſed multo ante à Chriſto id acceperat: nec etiam ab aliis diſcipulis fuit reprehenſus, quòd ad Cornelium iuerit, vt petulanter nobis aduerſarij obijciunt.

ΠΕΡΙΟΧΑΙ CAPITVM

Libri Tertij

DE OPTIMO REIPV-BLICÆ STATV.

CAP. I.

ECCLESIÆ Monarchia, quam à Ch
sto Petrus accepit, in summis Pontificib
salua consistit.

CAP. II.

IDem probatur ex perpetuitate Ecclesiæ, quā & in vt
que testamento expressam, & ratione ipsa de mo
strari, ostenditur.

CAP. III.

CHristus, morti proximus, sempiternum Parentem
cabatur, vt eos, qui sibi nomen dederant, seruaret
ter sese, & secum copulatos. quam vnitatem vt illi con
uarent, ascensurus ad Patrem, curam totius Ecclesiæ
Petro cōmisit: cui Rom. Pōtifices succedere in Ponti
dignitate, ex ipsa pastoralis muneris ratione ostendit

Idem

CAP. IV.

IDem probatur ex eo, quòd nullus vnquam alicuius alterius Ecclesiæ Episcopus, se Petri successorem appellauit. Et obiectionibus aduersariorum respondetur.

CAP. V.

ITem, quia Romana Sedes in omnes, tum Orientis, tum Occidentis Ecclesias, & earum Præsules, authoritatem exercuit.

CAP. VI.

A primis Ecclesiæ initijs, semper omnium Ecclesiarum Præsules soliti fuerunt Romanos Pontifices consulere de rebus grauioribus. Qui nec cum illis communicare, quos Sedes Romana respuisset, nec eos vitare, quos ipsa fuisset amplexa, licet aliàs suspecti forent, vnquam dubitarunt. Quin, & hæretici etiam ad Romanos Pontifices sæpe confugientes, ab eis, vt finem litibus imponerēt, petierunt. Hoc æquè factum inde educitur, quòd, cùm omnes aliæ aliquandò tandem primariæ Sedes à Fide defecerint, sola Romana, quam ab Apostolis Petro, & Paulo accepit, Fidem, sartam tectam conseruet.

CAP. VII.

ROmanus Pontifex, quamuis concederetur, quod tamen quàm multi pernegant, posse à Fide deficere, non tamen, quatenus in munere suo obeundo versatur, potest aliquid contra Fidem definire, vel populis credēdum proponere.

CAP. VIII.

IDem, argumento ducto ex priuilegio concesso veteri Synagogæ, confirmatur.

CAP. IX.

HAereticorum rationes, quæ alicuius ponderis esse videbantur, expenduntur, & confutantur.

CAP. X.

HOc ipsum priuilegium ad morum doctrinam extenditur. Ibi, duplex genus præceptorum constituitur,

deque vnoquoque ſigillatim diſſeritur.

CAP. XI.

QVamuis aliqui Romani Pontifices leges nonnunqu ſuorum prædeceſſorum, immutarunt, temperarū vel etiam abrogarunt; non tamen inde ſequitur, eos, in ſerendis legibus ad Eccleſiam ſpectantibus, poſſe errare.

Ibi de duplici legum genere.

Lutheri impietas, in deneganda Summis Pontificibu authoritate canonizandi Sanctos, oſtenditur: & ration bus aſſerentium, poſſe in eo Summos Pontifices halluci nari, reſpondetur.

CAP. XII.

POntificia iuriſdictio etiam verſatur circa negotia ſæ cularia. Et ibi contra adulatores nonnulla,

CAP. XIII.

DVas præcipuas poteſtates, ſacerdotalem, & Imperat riam, ſed hanc illi ſubiectam Deus conſtituit. Ade vt Eccleſiaſticis Principibus conceſſerit Deus poteſtate in ciuiles Magiſtratus, & Principes ſœculares.

Diuini, & naturalis iuris ratio expoſcit, vt nullus alius a Regni gubernacula aſſumatur, niſi is, qui Chriſtianus ſi

Apoſtatam amouendum eſſe à Regni gubernaculis, i que ad Eccleſiarum Præſules, potiſſimùm tamen ad R manos Pontifices, ſpectare.

Quomodo ſit intelligenda conſuetudo, vel lex, qu præciperet, vt, in ſubrogando aliquo Regi Apoſtatæ, ſe uetur ius ſucceſſionis.

CAP. XIV.

ECcleſiaſtici Præſules in eos etiam Principes, qui viti ſe tradunt, & admoniti non deſiſtunt, ſed potius ſu ditos impunè laſciuiæ indulgere permittunt, acriter a maduertendi poteſtatem habent.

CAP. XV.

OB defectum Iuſtitiæ, Summus Pontifex poteſt Re dignitate priuare. Vbi, qualis ſit Iuſtitiæ ſpecies, qu ad

ad Reges potissimum spectat, videre licet.

Ad Principes pertinet, non solùm eas leges condere, quæ ad Iustitiam, virtutē Cardinalem, spectant, sed etiā, quæ ad alias virtutes attinent.

Duplex Iustitia, particularis, & communis, & vtriusq. conditio traditur.

In Principe sit Religio, Fides, Prudentia, Fortitudo, Temperantia.

CAP. XVI.

ILlorum temeritas repræhenditur, qui, extra causam Fidei, minime decere aiunt, Principes Romano Pontifici subijci. Quod pluribus exemplis falsum esse cōprobatur.

CAP. XVII.

ADuersariorum rationes diluuntur. Et, cur Apostoli ethnicos Imperatores à Sede non deturbauerint, vel Christianum constituerint Imperatorem, explicatur.

CAP. XVIII.

HOc caput omnium, quæ dicta sunt, summam complectitur. Conuerso sermone ad Principes, ad præstandum Sedi Apostolicæ officium, admonentur.

ESAIAS Cap. XXVIII.

ECce ego mittam in funda
mentis Sion lapidē pro
batum, angularem, pre
tioſum in fundamento fundatum.

HIEREMIAS Cap. XXX.

NOn dominabuntur ei amplius
alieni, ſed ſeruient Domino
Deo ſuo, & Dauid Regi ſuo,
quem ſuſcitabo eis.

ESAIAS Cap. LXII.

Videbunt Gentes Iuſtum tuum, & cuncti Reges Inclytum tuum: & vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit. Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema Regni in manu Dei tui.

DANIEL Cap. VII.

REgnũ, & poteſtas
& magnitudo Re
gni, quæ eſt ſubter om
ne cælum, detur popul
ſanctorum Altiſsimi: c
ius Regnum, Regnum
ſempiternum eſt, & om
nes Reges ſeruient ei, &
obedient.

ARGVMENTVM
LIBRI PRIMI.

ECCLESIASTICAE Reipublicæ ſtatum cæterarũ omnium, quas vel animo etiam priſci ſapientes concipere potuerunt, excellentiſſimum, hoc opere demonſtraturus; quæ ciuilem Politiam ita ornant, & amplificant, vt, ſine ipſis, nec nudum ipſum Reipublicæ nomen retineat, explicanda primo loco duxi: vt, cùm poſtea, illa omnia in Eccleſiaſtica Republica à Chriſto Domino inſtituta, excellentiori, & diuiniori quodam modo eminere, apparebit, nemo ſit, qui inficias ire poſſit, hanc cæteras omnes, & dignitatis amplitudine, & cæleſtibus donis, & opum diuinarum abundantia, longe excellere. Primum igitur, Rempublicam nullam, ſine legis præſcripto, & Magiſtratus imperio, rectè gubernari poſſe, vetuſtiſſimorum Philoſophorũ placitum fuiſſe oſtédimus. qui cùm, Politici ſtatus fundamentum, Religionem eſſe cenſuerint, & ſacra, & Sacerdotes,

dotes, qui hostijs Deum, scelere offensum, plac
rent, in Ciuitatibus constitui oportere, si in
lis vlla recti regiminis ratio, aut Politiæ fo
ma, & species reperiretur, edicto sanciuerun
Vbi, & quod Magistratus munus, quæ legu
genera, & quæ gubernationis formæ, veteru
monumentis commendata sint, licet intueri.
Ciuitatem sanctam, à Christo Dei Filio ita e
ædificandam, sacros vates prædixisse, vt ea
& nouo nomine exornandam, & vera Relig
ne stabiliendam, & sacrificio corporis sui, D
quidem gratissimo, panis, & vini accidentib
obuoluti, tanquam inexhausto quodam Thes
ro, perpetuò ditandam, ac Sacerdotio sanct
simo amplificandam, longe præuiderint, a
manifestè, & luculenter ostendimus, vt coru
quæ ab Orbe condito, vel figuris, & imaginib
vel expressis prædictionibus, de ea sunt scrip
consignata, in Christiana Repub. nihil omn
desideretur. Quæ omnia ex sacris monumen
fideliter deprompta, tot veterum sententijs il
strata proponimus, vt nec lectori iniucund
aut ingratus, nec ijs, qui de se modestè sentiu
inutilis labor futurus sit.

F. GREGORII NVNNII CORONEL ORDINIS EREMITARVM S. AVGVSTINI.

De optimo Reipublicæ ſtatu.

LIBER PRIMVS.

NATVRA ita comparatum eſt, poſt communem humani generis labem, vt nulla Reſp. ſine lege teneri, & ſine Magiſtratu recte gubernari poſſit. Hoc, vero, ſapientes, ſolo naturæ ductu impulſi, quondam diſerte tradidiſſe, qui priſcorum volumina perlegerit, facile cõperiet. Nam Demoſthenes, ciuitatis animam, leges eſſe dixit: quòd quemadmodum humanum corpus, dum animam continet, vitam ducit, eam mox atque efflauerit, cadat neceſſe eſt; ſic ſanè quæ-

CAP. I.

Demoſthe.

nè quæuis etiam opulentiſſima, ac feliciſſima ciuitas nul-
Cicer. de legib. lib. 2. lis informata legibus corruat,& funditus euertatur. Ora-
tor, vero, legem, ciuitatis vinculum, mentem, & animũ
eſſe docuit: quoniam vt corpora noſtra ſine mente, ſic ci-
uitas ſine lege,ſuis partibus ac neruis,ſanguine & membris
Plutarc. in Solona. vti non poteſt. Et Solon, vnus ex ſeptem ſapientibus, ita
ciuitati leges neceſſarias eſſe putauit,vt tamen, ſine Magi-
ſtratus authoritate, nullam ex illis vtilitatem percipi poſ-
ſe,conſtanter aſſeruerit. Quocirca, iure optimo Plato nũ
Plat. in laѣat. vel de fortitud. Magiſtratus optimos legibus præfert, quòd leges,niſi Ma-
giſtratus adſit authoritas, Reipub. inutiles prorſus eſſe vi-
deantur;deinde,vero,Regiam dignitatem gubernationum
De Regno. vel ciuili. omnium optimam eſſe,probat;peſſimam autem tyranni-
dem;quod hæc impetu atque libidine, illa lege atque mo-
te legitima imperet. Eſt, ergo, lex Reip. non modo vtilis,
ſed etiam perneceſſaria. Verum cum illa quod omnibus
optimum ac iuſtiſſimum eſt ſincerè compræhẽdere, atque
ſimpliciter præcipere non poſſit, efficitur vt Magiſtratus
exigatur authoritas, qui pro temporum opportunitate,
quatenus expedire videbitur, diligenti cum æquitate, le-
gem rebus ipſis accommodet atque tempori. Adeo,enim
moribus, genio & ingenio à ſe inuicem diſiuncti ſunt ho-
mines,tantaque eſt humanarum rerum viciſſitudo, tam
inſtabilis conditio, vt plane ſupra humanæ prudentiæ vi-
res ſit, quæ vbiquè & in omni tempore hominum ſaluti
conducere poſſunt,neque aliena ſint à Reip. incolumitate
ita ſemel præſcribere, vt Magiſtratus authoritatem ciues
amplius deſiderare non poſſint. Dum, enim, lex vniuerſi-
tati conſulere videtur, ſingulorum commoditati proſpi-
cere nequit,neque quid temporis ratio, aut regionis condi-
tio exigat, longe ante præuidere poteſt; ſed id totum ad
Magiſtratus dignitatem ſpectat, cuius certè eſt varios, ac
ſingulares euentus perpendere, & omnia Reip. membra
quæ ei notiſſima eſſe debent, circunſpicere, ac tandem
quid vel toti corpori, vel ſingulis illius partibus magis cõ-
ſenta-

ſentaneum ſit, prout res poſtulauerit, rectiſſimè iudicare, ac prouidere.

Quemadmodum, ergo, vniuerſi mundi machina diuinę mentis ſempiternæquè legis imperio gubernatur, ſi , in hominum cætibus, fore apprimè neceſſariam quandam imperij maieſtatem & amplitudinem, cui reliqui omnes obedirent, vt ſic vno iuris vinculo deuincti incolumnes ab exitio & vaſtitate permanerent, veteres Philoſophi ſubtiliter & copiosè diſſeruerunt; quod, eo ſublato, ſumma infimis commiſceri, omniaq. concitari, atque omnino exturbari opus eſſet. Neque, enim, ſine legis & Magiſtratus imperio, domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum vniuerſum genus, nec rerum natura omnis, nec mundus ipſe ſtare poſſet. Quod proculdubio, ſi, quæ ſapientiſſimi viri monumentis mandarunt, ab ipſis mutuemur, non opinione ſolum, ſed ad veritatem plane, facile perſuadebimus. Nam leges, (vt hinc exordiamur) quarum finem Plato tranquillam animorum ciuilium puritatem eſſe dixit, ad ſalutem ciuium, ciuitatum incolumitatem, vitamque hominum & quietam & beatam, á Deo hominibus aſſlari, teſtis eſt omnis antiquitas, teſtes & ipſius Platonis non pauci libri. Si, enim, natura, quæ nihil aliud eſt, quam infimum diuinæ prouidentiæ inſtrumentum, quæque vbicunque prouide videtur incedere, non ducit ipſa ſeipſam, ſed à Dei prouidentia ducitur, fines omnium, ordineſque & in ſeipſa præſcribente, & naturæ prout vult inſcribente, ſi, inquam, natura talis neque abundat ſuperfluis, neque in rebus deficit neceſſarijs, nonnè ſummæ cuiuſdam dementiæ eſſet, exiſtimare, diuinam prouidentiam in rebus maximi momenti vnquam defeciſſe? Proculdubio. At humano generi, quod aliter propagari & ſeruari minime potuerit, neceſſaria fuit congregatio mutua; neceſſaria & lex mutuæ congregationi, ſimiliter ſine lege protinus interituræ. Orator, enim, inquit, homines, non dum naturali (hoc eſt, gentiū) neque ciuili iure deſcripto, quōdam fuſos per agros atque

Cicero lib. 3. de legib.

Plato dial. 1. de legib.

Marcil. Fic. in arg. lib. 1. de legib.

Cicero lib. 1. de inuent. Pro Sextio.

diſperſos, beſtiarum more, ſibi ferino victu vitam prop
gaſſe: qui, vero, ingenio ac virtute præſtiterunt, genus i
docile vnum in locum congregaſſe, eoſque ex feritate il
ad iuſtitiam & manſuetudinem tranſtuliſſe; hincque d
mos, ciuitates, & Reſpublicas initium ſumpſiſſe tradit. C
tamen propter errorem atque inſcitiam, cæca ac domin
trix animi cupiditas ad ſe explendam viribus corpo
abuteretur, legum primum, Magiſtratus deinde authorit
tem adhibuiſſe, vt, quæ illæ delicta prohiberent, hic dil
genter præuideret ne fierent, facta, prout ius poſtular
punirentur.

Ariſt. lib. 1. Polit. c. 2. & Cic. lib. 5. de finib.

Cum etiam Ariſtoteles mente intueretur, vt omnia a
mantium genera varios à natura motus, inſtinctuſque h
beant, tum vt vitam degant, tum etiam, vt ſeipſa tueantu
alia, enim, ſyluas incolunt, alia montes, alia valles, alia lo
ge à ſocietate, alia congregata cohabitāt; Namquè alias
ſtias nantes aquarum incolas eſſe voluit natura, alias vo
cres cælo frui libero, ſerpentes, quaſdam, quaſdam eſſe g
dientes, earum ipſarum partim ſoliuagas, partim cong
gatas: immanes alias, quaſdam autem cicures; ex hoc mi
bili naturæ ordine efficaciter colligebat, Deum ſapient
mum, quò humano generi prouidè conſuleret, prouidi
vt creatus homo præ aliis omnibus in ſocietate viueret,
cætus, conciliaque hominum coleret: Idque non ob vo
ptatem modo, quam ſocietas ipſa, ac conſuetudo inuic
affert, verum etiam, quod mutuis indigeant homines au
lijs. Præclare namque Baſilius ait, naturæ noſtræ nihil e
tam peculiare, quàm mutuam inter nos communica
nem, mutuamque alijs aliorum operæ indigentiam. Qu
profecto Philoſophi, conſiderantes humanæ naturæ im
cillitatem, (etſi eam, quam paſſa eſt, calamitatem, ex lap
miſerando de ſtatu innocentiæ, minime agnouerint) du
bus potiſſimum de cauſis factum eſſe putarunt. Cùm r
tione diſciplinæ, tum præſidij cauſa, vt incolumes ab al
rum iniurijs homines protegantur; effrænata, enim, &
domita

Baſil. in reg. fuſius diſput. interrog. 3.

domita cupiditas, adeò nonnullorum hominum animos rapuit, vt, nisi esset qui illorum audaciam cohiberet & impetus retardaret, atque innocentes protegeret, non dubitarent, proprijs nunquam bonis satiati, fines suos longe, lateque, etiam cum aliorum iniuria, dilatare. Esse, autem, maxime omnium necessariam vitæ disciplinam, ex eo comprobãt, quòd, hanc potissimũ ob causam, homini datus sit sermo, vt alij alios edocerent, ac moribus imbuerẽt, atque, quid iusti & æqui, quidue iniqui; quid boni, aut mali; rationem habeat, apprime sapientum monitis & præceptis rerum ignari consequerentur. Ex quo ad hominum salutem, & decorem, atque dignitatem seruandam, pernecessariam fuisse humanam societatem, liquido apparet. Vnde, & hominum vniuersitatem præstanti alicuius authoritate ac potestate indigere, qua communi vtilitati prospiceretur, efficaciter colligere sibi videbantur prisci sapientes. Qui fieri, enim, posset, vt rudes & imperiti homines, quales in omnibus Rebus ferè publicis reperiuntur, leues & imbecilles, statũ suum tueri possint, si à Magistratus cura deserantur? Certe, *vbi non est gubernator, populus corruet*, inquit Salomon. Quis, autem adeo rerum ignarus, aut rationis expers est, qui, vel proprijs etiam, vt ita dixerim, oculis non intueatur, Deum Opt. Max. ita admirabilem hanc mundi machinam condidisse, vt non omnibus rebus idem genus, nõ eandem vim ac potestatem indiderit, sed differre eas inter se voluerit, vt hac varietate, rerumque discrimine illustrior ipsius sapientia, ac vniuersitatis ordo & perfectio eniteret? Sane hac ratione, ita terrestria omnia, & ipsum etiam cælum, cæteraque vniuersa disposuit & moderatus est, vt mentes nostræ hæc inspicientes admiratione afficiantur, animaduertentes superiora fuisse instituta, vnde inferiora penderent: ac minora maioribus, imbeciliora robustioribus, sic supposita fuisse, vt hæc in eorum vtilitatẽ & adiumentum sese exercerent; sicque consociata omnia, & connexa permanerent. Si ergo nexus hic ita à natu-

Arist. Polit. 1. c. 1. S. Tho. de regimin. Princ. lib. 1. c. 1. & lib. 3. cont. gent. cap. 81.

Prou. c. 11.

Cicero lib. 2 de na. Deor

natura in rebus etiam imperfectioribus fuit institutus æquum profecto & rationi maxime consentaneum erat vt in parte illa totius vniuersi, quæ cæterarum præstantissima est, multo magis obseruaretur. Quò fit, vt, proculdubio, quæuis hominum societas eximiam aliquam potestatem exigat, vel saltem ipso iure societatis, qua regatur, & statum suum recte tueri possit.

Plat. in Protagora.

Non minus disertè apud Platonem Protagoras disserens cum Socrate, & ab stirpe & primis naturæ initijs repetens id quod quærimus, eleganti quadam fabula quam priscis sapientibus se didicisse significat, legis, imperijque maiestatem cælitus missam fuisse docet. Mortales enim quondam miseros, ante quam comitas à Deo hominum mentibus infunderetur, ex eo ostendit, quoniam neque segregati viuere potuerint, quin à feris passim dilaniarentur neque iterum congregati pacatam & tranquillam vitam ducere valuerint, quin iniurijs, scelere, & omni crudelitate à se inuicem acerbè lacerarentur. Nam cum feras rostris vnguibus, & dentibus natura armauerit, homines vero sparsi vagarentur, à feris, quibus inferiores erant, passim occidebantur. Vt, igitur, se aduersus eam pestem munirent, structis vrbibus congregati sunt. Congregati autem inuicem sese iniurijs conterere, noctu, diuque moliebantur. Consulens, ergo, Iupiter hominum saluti (prosequitur Protagoras) Mercurium misit, qui comitatem hominum cætibus afferret. Itaque salutem quam cunctæ simul artes hominibus præstare non potuerunt, solam ciuilis virtutis legem tandem præstitisse ait.

CAP. II.

AT (ne in fabulæ huius narratione longius progrediamur,) nos, quibus fidei lumen illuxit, quibusque datum est, non solum Sanctorum Patrum monumenta inspicere, sed etiam diuina oracula sacris literis contenta religiosè consulere, veram sententiam fictis istis & commentitijs fabulis reconditam ex ipsorum disputatione eruimus. Nihil, enim, aliud prisci illi sapientes, à quibus Protago-

tagoras hunc dicendi modum acceperat. significare voluisse mihi videntur, quàm, Deum, ad cuius prouidentiam spectat humanis rebus imperare, ciuilis scientiæ leges, id est, voluntatis suæ decreta, ad humanæ societatis generisque salutem spectantia, mentibus nostris inscripsisse. Inscripsit autem ab initio pudoris & iustitiæ leges, vt duo hæc ciuitates ornarent, & mutua beneuolentia ciues cōciliarent. Sunt, enim, iustitiæ partes, non violare homines, pudoris, non offendere. Quem vero prius pudorem appellauit Protagoras, postea, temperantiam dixit: est siquidem pudor ingenitus, temperantiæ fundamentum. Temperantia, certe, in ciuibus proprios cuiusque affectus moderatur, gestusque componit: iustitia vero, quæ omnium virtutum princeps est, tuta & fida humanæ vitæ comes, ita cuiusque actus dirigit, vt, communi vtilitate conseruata, suam cuique tribuat dignitatem. Hæc autem naturalis legis fundamenta sunt, quibus populi, ciuitates, Regna, Imperia, nixa conseruantur; euulsis, vero, funditus euertuntur. Necessaria, ergo, cum sit hominum generi, quòd aliter vita & communi spiritu frui minime possint, humana societas, necessariam quoque esse legem humanæ societati, similiter, procul à lege subito perituræ, strenuè colligit Protagoras. Quamobrem recte sapientes legem descripserūt, qui eam, iuris & iniuriæ regulam, mentis & rationis designationē, prudentem & aptam ciuitatis temperationem, qua flagitio & impuritati resistitur, omnesque Reipub. partes in suis quæque officijs continentur, esse dixerunt. Neque minus apposite Pindarus inquit, legem esse omnium mortalium & immortalium Regem. Deus, enim, sua prouidentia, quæ est lex vniuersitatis, tam mortalia, quàm immortalia regit & administrat. Nam verbi virtus singulis generibus à se creatis & perfectis certas naturæ & efficacitatis leges dedit: adeo, vt nihil vel in cælo, vel sub cælo actionis, aut passionis expers, nihil otiosum esse voluerit; nihil quod pro ratione, ac modo virtutis sibi insitæ, & conditionis

Plut. in Demetrio.

S. Tho. 1. 2. q. 91. art. 2.

nis

nis traditæ non imitaretur sui authoris semper viuentis,
agentis exemplum: vt ita cuncta mundi ornatum, & d
corem mirabilem componerent. Cuius rei institutio no
minus profecto Diuinæ iustitiæ assignanda est; quàm b
nitati, atque virtuti immensæ omnium creatio attribu
tur. Hoc itaque pacto cælum, & eius lumina, ac sydera,
consilio ac Dei iussu munera sibi iniuncta diligenter o
eunt; & diuidunt diem, atque noctem; suntque in signa,
tempora, & dies, & annos; & lucent in firmamento, & ill
minant terram. Terræ autem impositum est, vt plant
omnium generum ferat, & alat, necnon mira varietate d
stinguat (quod illa cum libera, & sui iuris manet, nec e
1.Gen.c.2. terna impeditur vi, assiduè præstat) quæ hominum oc
los singulariter oblectant. Animantium etiam formæ s
cie inter se diuersæ, suis actionibus aptissimæ sunt: siue
naturali instinctu muneribus suis præstandis vacent, s
arte, ac industria hominum informentur. Quarum sing
lis generibus Protoplastus ex vsu ipso, atque naturæ sing
Gen.c.2. laris efficientia nomina imposuit: *Et omne quod voca*
Adam animæ viuentis ipsum est nomen eius, ex proprij n
neris conditione inditum: quod etiam in mulieris app
latione apparet, cui nomen ISSAH demum est impo
tum. Quod autem in singulorum rerum generum con
tutione adiunctum legimus, *& factum est ita*, id in sacræ l
guæ ratione, & vsu, perpetuam, & immutabilem veri
tem, siue legem appellari prudenter adnotarunt Hebr
sermonis peritissimi viri. Hinc illud, quod est apud Io
Auis nascitur ad volatum. Ad quem Dominus inquit; N
quid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo eius hinni
Libenter quæsierim, cuius opera sit robur equo inge
Iob.c.39. tum, & quis illum ceruicem attollere, atque hinnire co
pellat; quis crebris eum motibus, tanquam locustam, e
gitans faciat, vt aeream vim è naribus expiret, terror
ferocitate sua incutiat; alacer in certamina prorumpat, a
matis hominibus obuiam procedat; ingentes hostium i
petus

petus non perhorreſcat; nec gladiorum ſplendentium metu in fugam vertatur. Quæſierim etiam, an hominis alicuius iuſſu accipiter pennis extollatur, auſtroque leniter flante, alas ſuas expandat: & an aquila humano eloquio perſuaſa in altiſſimam aeris regionem aſcendat, & in ſublimi loco nidum ſibi conſtruat. Certè natura duce, domicilium collocat in rupibus, & præruptis ſaxis, ad quæ nemo facile poſſit aſcendere. Inde vero aciem oculorum longe intendens, ſpeculatur, vnde eſcam paret & ſibi, & pullis ſuis; quos illa ita ſanguini aſſuefacit, vt poſtea, iam grandes effecti, illuc feſtinanter inuolent, vbi cædem editam fuiſſe ſentiunt, quò ſanguine occiſorum paſcantur. Hæc omnia, pluraque alia, quæ in varijs animantium generibus reperiuntur, quibus eorum ſingula ſtatum ſuum tuentur, & vitam ſine difficultate traducunt, quicunque perſpicaci mentis oculo intuitus fuerit, & conſiderauerit, nullam eſſe in rerum natura formam, quæ à primæua illa inſtitutione (qua alijs ſolertia, alijs celeritas, alijs vires inſitæ ſunt) vnquam defecerit, ſed omnes in id diligenter incumbere, vt conditionem ſuam perpetuo conſeruent; facillimè intelliget omnia, quæ ſunt, ſiue maxima, ſiue minima, ſiue mediocria, diuina prouidentia ſuſtentari, & lege æterna contineri.

Quamobrem, cum nec ipſa corpora, tam quæ motu agitata ſonitum edunt, vt aer, venti, aqua, & ignis, quàm quæ immota permanentia minime ſonant, otioſas in mundi integritate partes obtineant (quin potius ſingula non ſolum ſpecie, ac forma orbis ornatum adiuuent; ſed etiam vel efficiendi, vel aliorum effecta ſuſtinendi facultate prædita ſint) ea, & quæcunque alia, quæ in cælo, terraque viſuntur, diuinus pſaltes hortatur, vt authoris ſui ſapientiã, non tam voce, ac ſono, quàm ſuorum munerum functione, prædicent. Sol, inquit, Luna, Stellæ, quæ clariſſimam lucem emittunt, ſplendor cæleſtis, cælum inferius ex ſuperiore nexum, in quod tenuiſſimæ exhalationes ſublimes *Pſal. 148.*

efferuntur, aquæ, quæ ſuperam aeris regionem tenent, vniuerſæ rerum formæ, quæ Domini verbo creatæ ſunt, & eius conſilio cohærent, & in locis ſibi ſtatutis permanent, ingentes terræ dracones, omnes immenſi maris gurgites, ignis, grando, nix, glacies, tempeſtatum flamina, quæ vim ſuam terris oſtendunt, vt creatoris ſui imperio obtemperent, montes, colles, ligna fructum ferentia, cedri, feræ, iumenta ſerpentes, volucres, non quidem mente, cuius hæc omnia expertia ſunt, ſed obſequio, quaſi mutis vocibus diuinas laudes efferant. Cæleſtia corpora luce, materiæ ſuæ ſinceritate, ſtata conuerſione, ratis proportionibus, venuſtate, efficacia, & amplitudine; terreſtres omnes, &, quæ ſub cælo ſunt, creaturæ, ſingulari, & admiranda, quam mundo afferunt, vtilitate, forma, qualitatibus ſibi ingenitis nomen Dei extollant. Cur ita? *Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt: præceptum poſuit, & non præteribit.* Nam cauſa propterquam vniuerſæ creaturæ, quæ cæli, & terræ ambitu continentur, Dei laudes prædicare debent, ea eſt: quia ille earum omnium conditor exiſtit. Quibus à ſe ſola voluntate, abſque vllo labore, & externo adminiculo productis ordinem & regulam tradidit, & legem ſtatam præſcripſit, quam ipſæ ſecundum creatoris ſui decretum perpetuo obſeruabunt. Quicquid enim ſingulis rerum generibus à ſummo opifice iniunctum eſt circa actionem, vel paſſionem, id vel fœdere perpetuo conſtans ius, vel ſtatutum, vel iuſſum, vel munus, vel officium, vel principium, vel electionem vocare, ad ſacri ſermonis imitationem, nobis omnino licet. Inclinationes ſiquidem rerum naturalium, & in primis brutorum æſtimatio, qua ſibi ea, quæ ſunt ſuo appetitui commoda proponunt, rationem quandam legis habere videntur. Quandoquidem, ſunt quædam impreſſiones legis æternæ, quas Deus indidit eiuſmodi creaturis, vt eum naturæ & operationis modum, quem Deus ſapientia & prouidentia ſua ſtatuit illis tribuere, ex præſcripto legis æternæ perpetuo ſeruent.

Pſal. 148.

CAP. III.

IN homine vero longe aliter ſeſe res habet. Ita, enim, lex naturæ, hoc eſt, naturale illud rationis noſtræ iudicium ſeu dictamen ab æterna lege nobis inditum, & impreſſum, quo euidenter cognoſcimus, quæ facienda, quæuè euitanda nobis ſint, ita, inquam, lex naturæ participatio eſt legis æternæ, vt & illa, tanquam norma deſcribatur, & propriè etiam habeat rationem regulæ, quatenus modum ad finē conſequendum præſcribit; quod naturales inclinationes, & brutorum æſtimatio, præſtare nequeunt; quippe cum finis rationem omnino ignorent. Non, ergo, ſi regnante Tarquinio, vt inquit Orator, nulla erat Romæ ſcripta lex de ſtupris, idcirco non contra illam legem ſempiternam Sextus Tarquinius vim Lucretiæ intulit. Erat, enim, ratio profecta à rerum natura, & ad recte faciendum impellens, & à delicto auocans: quia nō tum demum incepit lex eſſe, cum ſcripta eſt, ſed tunc, cum orta eſt: orta eſt autem ſimul cum mente diuina. Eſt, enim, hæc, non ſcripta, ſed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſsimus: ad quam non docti, ſed facti; non inſtituti, ſed imbuti ſumus. Eſt, ergo, vera lex, recta ratio naturæ congruens, diffuſa in omneis conſtans, ſempiterna, quæ vocet ad officium iubendo, vetando à fraude deterreat. Huic legi, nec aliquid addere fas eſt, neque detrahere aliquid licet: nec tota abrogari poteſt, nec vero aut per ſenatum, aut per populum ſolui hac lege poſſumus: nec eſt quærendus explanator aut interpres alius, nec erit alia lex Romæ alia Pariſiis, alia nunc, alia poſthac, ſed & omnes gentes, & omni tempore vna lex & ſempiterna & immutabilis continebit, vnuſque erit communis quaſi magiſter & imperator omnium Deus, ille legis huius inuentor, diſceptator, lator, cui qui non parebit, ipſe ſe fugiet, ac naturam hominis aſpernabitur, & hoc ipſo luet maximas pœnas, etiam ſi cætera ſupplicia aufugerit. De hac Heſiodus inquit.

Cic. lib. 2. de legib.

Cic. in oratione pro Milone.

τὸν δὲ γὰρ ἀνθρώποισι νόμον διέταξε Κρονίων
ἰχθύσι μὲν, καὶ θηρσὶ, καὶ οἰωνοῖς πετεηνοῖς
ἐσθέμεν ἀλλήλους, ἐπεὶ οὐ δίκη ἐστὶν ἐπ' αὐτοῖς
Hesiodus. ἀνθρώποισι δ' ἔδωκε δίκην, ἣ πολλὸν ἀρίστη.

Iuppiter hanc posuit legem mortalibus ipse
Piscibus atque feris, & quæ pennata feruntur
Iustitia vt careant, sibique esca hæc mutua fiant;
Iura dedit nobis, viuendi hæc optima norma.

Siue, igitur, naturæ legem, quæ est vna cum generatione, siue eam dicat, quæ rursus data est à Deo, & naturæ & disciplinæ vna est lex, quæ certè datur ad populum in officio continendum. Vnde Plato eundem Deum & legem vnam & vnum legislatorem esse dixit. Dei, enim, nihil est, quod non sit ipse Deus. Dei certè præceptum, est Deus præcipiens: & lex, quæ est recta ratio præcipiens honesta, prohibensque contraria, ipse est Deus. Lex, enim, non est ea quæ lege sanciuntur & iubentur, sed ipsa quæ sancit & iubet ratio, quæ est Deus. Illa diuina mens, summa lex est, quam dicit Pindarus, omnium mortalium & immortalium regem esse. Quinimo, (quod præclare Clemens Alexandrinus) Moses videtur appellare Deum διαθήκην, id est, pactum, fœdus vel testamentum; significans Deum esse qui cum Abrahamo, & per eum cum toto Hebræo populo pactus est, seu fœdus inijt; & ipsum pactum seu fœdus, quod cum eo inijt, Deum esse, nempè futurum illi populo Deum, & Dei populum peculiarem futurum, cui esset impressum signum circumcisionis. *Ego sum*, inquit, *& pactum meum tecum*. Septuaginta vertunt: *Et ego: ecce testamentum meum tecum.* Et post alia. *Et statuam*, inquit, *pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno: vt sim Deus tuus & seminis tui post te*. Quamuis autem ipsum Dei pactum & fœdus ac testamentum sit literis mãdatum, erat tamen pactum, fœdus & testamentum, priusquam literis consignaretur. Non enim scriptura spectanda est, vt pactum fœdus & testamentum, sed quod Deus vniuersi-

In Politico.
Arist. lib. 3. Polit.
Aug. lib. 1. de lib. arb. c. 6. S. Tho. 1. 2. q. 93. art. 1. 2. 3.
Clem. lib. 1. Stroma.
Gen. c. 17.

uerſitatis id ſtatuerit. Deus autem Græcè dictus eſt θεὸς ἀπὸ τοῦ τιθέναι: quòd ſtatuat & ordinet & adminiſtret. *In Petri autem prædicatione*, concludit Clemens Alexandrinus, *inueneris Dominum vocari legem & rationem*. Hinc, itaque, intimus nobis præſidet iudex rationis lumen, (quod, quamuis nonnunquam ob ſcelerum multitudinem, & prauam animi conſuetudinem opprimi & obrui videatur, nunquam tamen extingui poteſt) eſtque rectum veri falſique & boni malique examen, quique euitari nequit ſeuerus conſcientiæ ſtimulus: per quam Deus infuſam omnibus legem, omnes ita fermè ad commune dirigit bonum, vt omnes flammas leuitate erigit ad ſuperna.

Ab hac vtique ingenita lege, quæ quidem diuina mente ſancitur, illiuſque numinis beneficio conſeruatur, leges deinde ſcriptas, quibus hominum vita colitur, & à feritate & immanitate ad humanitatis cultum traducitur, originem duxiſſe, in ipſo libri legum exordio Plato aperuit. Naturæ, ergo, legem, æternæ legis particulam quandam, eſſe diximus. Aeternam, idem reapſe quod diuina prouidētia, veteres Theologi eſſe definierunt. *Plato lib. 1. de legib.* Communia vero principia legis naturalis, ex quibus humanæ leges deducuntur, perpetuas & conſtantes regulas legis æternæ, appellare videtur B.P. Auguſtinus. Sic, enim, inquit. *Conditor legum temporalium, ſi vir bonus eſt & ſapiens, illam ipſam conſulit æternam, de qua nulli animæ iudicare datum eſt: vt ſecundum eius incommutabiles regulas, quid ſit pro tempore iubendum, vetandumque diſcernat.* *Aug. lib. de vera Relig. cap. 31.* Et alibi. *Aeternam, igitur, legem mundis animis eſt fas cognoſcere, iudicare non fas eſt.* Adſcribit autem peculiarem quandam æternæ legis cognitionem mundis animis, quòd illi longe plura, quám cæteri, mente percipiant, in quibus veluti radij quidam legis æternæ ſplendent.

Hanc, itaque, video ſapientiſſimorum fuiſſe ſententiā, vt eo rurſus, vnde digreſſa eſt, noſtra reuertatur oratio, nullum Imperium, nullam Rempub. poſſe ſine legibus eſſe diuturnam. Arma, enim, Imperia parant, leges parta cōſeruant.

ſeruant.Sicut ſine armis regna acquiri non poſſunt, ita n
queunt ea ſine legibus cuſtodiri. Totæ, enim, cum ſint
æquitate & moderatione, totæ in prudentia,totæ deniq
in philoſophia , & in prudentiſſima ſapientia conſtitut
totæ ſunt ad vitam benè beatèque agendam inuentæ. Q
namque vita iocunda ; quæ honeſtæ ac ſecuræ rationes
ne legibus. Vtiliſſimum eſt ad merces tranſportandas,
cum exteris neceſſitudinem , familiaritatemq. ſanctè co
dam,nauigare maria ; id leges præſtant,quæ piratas dur
ſimis vndique ſupplicijs perſequuntur. Optimum eſt
neceſſarium,comeatus , profectiones , itineraq. conficer
id leges efficiunt, quæ latrones arcent & graſſatores , &
ſidiarum pericula longe lateq. repellunt. Iucundiſſimu
eſt,libere in ciuitate verſari ; leges obtinent ſummam lib
tatem : neque , enim , ſublata libertate leges, neque ruſ
ſublatis legibus poteſt eſſe libertas : nemini vim,nemini
iuriam fieri,nemini inſultari patiuntur : ſunt, enim , leg
muri & fundamēta ciuitatum, in quibus bonos quàm d
tiſſimè detinent , malos arcent , & ijs appropinquare ne
ſinunt. In his ſalus bonorum, in his conſilia ciuitatis, in
pacis præſidia continentur. Nihil bonum , tutum , ho
ſtumq. eſſe poſſet,ſi leges contemnerentur . Quod ſtam
quod incedimus, quod dormimus , ac denique ſecurè v
agimus , id totum eſt legum defenſioni tribuendum . Q
niſi flagrantiſſimas hominum libidines , atque auariti
cohiberent,non mulieres pudicas, non agros,non dom
non vitam tutam haberemus: virgines è parentum amp
xibus eriperentur, furum,latronum,ſicariorum,parrici
rum plena eſſent omnia . Bonis viris aut nullus eſſet lo
in ciuitate,aut turpiſſimis ſemper afficerentur iniurijs. L
ges ſunt,quæ nos à tantis periculis,tantaq. atrocitate,ig
miniaq, tuentur . & quæ in ſummo nos otio, atque in ſu
ma tranquillitate cuſtodiunt , fortunas vnicuique ſuas
ſeruant,& vitam,& corpus,& animam tuentur. Quid p
terea philoſophia emolumēti nobis afferret , niſi virtut

ac vitia diligenti ratione discutere doceret? At id præcipuè legum est opus, quæ virtutem non quærunt solum, sed exornant præmijs: non solum oratione castigãt vitia, & verborum obiurgant asperitate & vehementia, sed condignis vlciscuntur supplicijs. Si quæ, igitur, alia est philosophia, quod equidem esse nõ arbitror, illa hortatur ad virtutem, leges impellunt: illa vitia monet fugienda, quæ leges detestantur. O, igitur, vitę custodes leges, vel verissimam philosophiam, vel omni philosopho iure optimo anteponendas. Quamobrem illud iam mirari desinamus, quod ego ipse multò magis ante mirabar, philosophos illos qui leges condiderunt, solos sapientes appellatos fuisse, atque diuinos homines, quiq. diuinis oraculis sapientissimi iudicarentur, atque optimos, qui per populos & ciuitates, tanquã dij colerentur, constitutos; cum humanarum, diuinarumque rerum cognitionis consequendæ, diuitiarum, dignitatis, vitæq. ac humanæ pietatis conseruandæ rationẽ, quod non humanum solum, sed penè diuinum opus censeri debet, in tanta rerum perturbatione, & morum corruptione, rationem inuenerint.

CVm, igitur, tanta vis sit in lege, quæ quidem è cælo manat, & in terras infunditur, vt per omnia comeans, cuncta ponderibus examinet, rationeq. metiatur & dirigat; obliqua ad rectam normam reducat; inæqualia ad æqualitatem reuocet; dissimilia & dissoluta conglutinet: adeò tamen hominum ingenium est ad perniciosæ libertatis insolentiam promptum, vt nisi qui illud coerceat adsit aliquis, cum primis leges contemnantur, deinde verò sileant, ac dormiant, demumq. obliuione contritæ iaceant: post hoc, autem, fas atque nefas misceantur, & in exitialem licẽtiam, ex licentia in perniciem humana soluatur vita. Quapropter prouidentia Dei, quæ singulis elementorum, plantarum, brutorum, membrorumq. speciebus & vsibus necessaria prouidet, multo diligentius perfectissimæ animalium speciei colenti diuinitatẽ deesse nõ debuit, quin ita legẽ sanciret,

CAP. IV.

ciret & promulgaret, qua vniuersæ constarent, compo-
renturq. humanæ societates, vt etiam Magistratus ad h-
minum salutem designaret, nè leges vel negligētia obso-
scerent, vel fraude & violentia confringerentur. Vt, enim
Princeps nullus vastam ciuitatis nauem quolibet mom-
to procellis & periculis innumeris agitatam, absque cæle-
flamine & legis præsidio ad portum vsque posset perdu-
re; sic sanè leges sine Magistratus authoritate in Repub-
ca forent prorsus inutiles. Adeò certè vt Orator cum leg-
& Magistratus naturam breui & dilucida definitione e-
plicare voluerit, ita vtriusque conditionem in quouis ill-
rum copulauerit, vt nec legem sine Magistratus potesta-
nec Magistratum sine legis authoritate Reip. rectè con-
lere posse apertè significauerit. Verè, enim, dixit, leg-
quidem esse mutum Magistratum: Magistratum aut-
esse loquentem legem. Nec, vero, Plato, ob aliam ratio-
legum exordium iustis felicibusq. auspicijs inchoatur-
Deum statim in principio ter nominauit, quàm, quòd M-
nos, Lycurgus, & Solon, legum authores, leges in tria n-
mina retulerint, Iouem, Apollinem, & Mineruā. Sol, eni-
planetarum dominus potentiam; Iuppiter clementia-
Minerua sapientiam, continet. Hæc vero tria totam-
gis naturam perfectionemq. complectuntur. Quid, eni-
aliud esse dicimus legem, præter rationis quandam re-
lam certo quodam ordine ad bonum subditos perduc-
tem? Vt autem ratio & regula & ordo insit, necessaria o-
nino sapientia est. Præterea, vt perducat ad finem, atq-
seruetur, in primis potentia influit: denique, vt ad cuiusq-
commodum, & commodè benigneq. conducat, magn-
pere clementia prouidet. Tria, itaque, apud priscos sap-
tes numina legibus necessario cōsulunt: atque idcirco t-
similes dotes in Principe necessariæ iudicantur, quib-
Reipub. saluti facile prouidere possit. Cum, ergo, lex il-
quæ fluxit à diuina mente, & est ad naturam illius lucul-
ter expressa, & ciuitatem contineat, omnesq. illius par-
ni-

Cicer. de legib. lib. 3.

Plat. lib. 1. de legib.

miro quodam ordine & moderatione conseruet, & , ad legum custodiam, atque humanæ societatis incolumitatem, Imperia & Magistratus describat (idcirco, enim, Deus Magistratus atque Imperia introduxit, quoniam status ille, in quo omnes pari honore atque dignitate sunt, dissidijs ac seditionibus facilè dissoluitur.) planè constat Magistratus authoritatem diuina temperatione cōtineri. Neque, enim, tantus fuisset hominum consensus in Magistratibus colendis, maximè cum paucissimi sint, & variæ ac infinitæ cupiditati multitudinis innumerabilis seuerè resistant, nisi id diuino quodam consilio fieret. Si, ergo, hominum cœtus iure sociati, legitima Rerumpub. imperia, Regumq. maiestas, & legum sanctitas, & mores & instituta ciuilia, in quibus ordo singularis, atque mira legum connexio, & apta distributio ratione descripta perspicitur, ad diuinam mētem, numen, & rationem referenda sunt, efficitur, profectò, vt qui leges sanctas non habet, qui legitima imperia contemnit, & humana iura conculcat, nō modò sit hominum vitæ perniciosus, verùm etiam in ipsum Deum impius. Quocirca Plato, inquit, Iouem per Mercurium legem condidisse, qua iubeātur omnes ciuilitatis esse participes: quippe cum hæc sola sit vinculum ciuitatis; ipsamq. ciuilitatē iustitia & pudore constantem, ait, ad omnes cælitus demisisse, eo videlicet pacto, vt quicunque posthac virtutis huius omninò expers deprehendatur, tanquam ciuitatis pestis, vltimo afficiatur supplicio. Cuius ratio ea mihi esse videtur, quòd is non solùm vitæ ordinem perturbet, &, quantum potest, omnibus rebus humanis exitium machinetur, sed etiam Dei opus euertat, &, quod est diuina dispositione fundatum, sua intemperantia demoliatur.

Plato in Protagora.

At sileant iam Ethnici philosophi. Certè Paulus, cū dixisset, in ea, quā ad Romanos scripsit, epistola, quomodo sint à nobis Principes atque Magistratus colendi, & quanto studio sit legitimo imperio obtemperandum, iudicij diuini metum incutit ijs, qui Magistratus imperia detrectant.

Rom. c. 13.

treɛtant. *Itaque*, inquit, *qui resistit potestati, Dei ordinationi re-stit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Quid ita? *Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali: Vis autem non ti-mere potestatem? bonum fac: & habebis laudem ex illa. Dei enim mi-nister est tibi in bonum.* Magna, ergo, atque plane diuina, per-ſona eſt impoſita Regibus atque Magiſtratibus. Hoc enim, ſuſcipiunt, vt hominum intemperantiam coerceant, indomitas cupiditates frangant, ſcelera ſupplicio vin-cent: contra verò, innocentiam à nocentium petulantia improbitate tueantur, virtutemq. honoribus & præmi-afficiant. Et ſic alijs ſeuerè reſiſtendo, alios benignè con-uando, & omnes eadem iuris æqualitate moderãdo, Rem pub. vniuerſam conſtituant. Sunt igitur Dei miniſtri hominum ſalutem deſignati. Et B. Petrus Apoſtolus om-nes adhortatur, vt ſint Regibus & Rerumpub. curatoribus obediẽtes atque ſubiecti, eò quòd opera illorum fiat, vt ne cura ſit innocentia, omniſq. ciuitas vitæ trãquillitate ſequi poſſit. Si, enim, imperij ſeueritate minime conſtri-fuiſſet audacia, quid eſſet in communi vita tutum? Qu-cura & ſolicitudine liberum? Quid à libidine & perdito-hominum immanitate immune? Quid impediret, deniq. quominus omnia contumelijs, latrocinijs, & cædibus va-ta corruerent, atque ad nihilum tandem reciderent? Cer-quæ in Repub. oriantur vitiorum & turpitudinis mõſt-Magiſtratus & Principis tutela deſtituta, manifeſtè ape-it Spiritus ſanctus, vniuerſæ Iudicum hiſtoriæ coronide

Iudic. c. vl. impoſiturus. *In diebus*, inquit, *illis non erat Rex in Iſrael, ſed vnuſquiſque, quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat.* Vbi, namque legum vindices deſunt, ingenium hominum ad licentia & temeritatẽ pronum eſt: & vbi vitia ſemel incitata ſu-in procliue labuntur, & ſuſtineri, vel nullo modo, vel di-

Gen. c. 3. cillimè poſſunt, propter ſuperbiæ illius & inſolentiæ co-cepta ſemina: *eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum.* Nec deſu-tamen argumenta hominibus, quibus delicta ſua prætex-re videantur, vbi iam delictum defendere, quàm verte-

ma-

magis libeat: atque ita fit, vt, qui factus ad veram libertatem fuerat homo, postquam libertatem cum licentia mutauit, nisi potestatis authoritate compescatur, turpissimorum vitiorum seruitutem subeat, idq. rectissimum ducat, quod, non cum legibus diuinis, sed cum animi libidine, & sensu, non communi, sed priuato, & eo corrupto, conuenit. Vnde Hebræa lectio ex verbo ad verbum expressa sic habet: *Vir* (illud) *rectum in oculis suis faciet*. Itaque epiphonema hoc, quo historiæ finis imponitur, catholicam cõtinet animaduersionem singularis insolentiæ, superbiæ, & contumaciæ hominum, in quibus, vbi, qui præsit, consulat, atque imperet, pro tempore desideratur, omnia priuatis singulaisq. iudicijs & studijs tractantur & aguntur: neque vllius iniuriæ inferendæ, neque vindicandæ & vlciscẽdæ modus vllus tenetur, contra atque diuina lege cautum prohibitumq. est. *Non facietis*, inquit Dominus, *singuli quod sibi rectum videtur*. Sed, *quod præcipio tibi hoc tantum facito Domino, nec addas quidquam nec minuas*. Deut. c. 12.

Quæ, igitur, deterior illa Repub. poterit excogitari, in qua nec ciuis aliquis Magistratu fungi, etiam si ad illum gerẽdum aptissimus esset, nec Magistratui parere cogatur, si nolit: vel etiam, si quempiam lex aliqua imperare vetet, & sententias ferre, nihilominus & imperet, & sententias ferat in iudicio, modo sibi hoc videatur? Certe nulla. Sed quid, si videres ciues moribus solutos, diuites & magnates luxuriæ, delicijsq. liberè vacare: Reipub. curationem contemni: plebem erga priuata omnia malè sese habere, ac denique procul ab omni dignitatis aut honoris cura vitam ducere? Nonne diceres miseram Rempub. illam? Sanè miserrimam. Si verò deinde animaduerteres, homines morte vel exilio condemnatos, nihilominus vrbem incolere, ac prodire in medium, & sæpe etiam instar heroum quorundam per vrbem incedere, quam Reipub. formam, vel quẽ rerum statum illum esse diceres? Profectò qui rationis cõpos haberetur, non Reipub. sed confusionis cuiusdam plus-

quàm tartareæ imaginem se intuitum fuisse, constanter af-
firmaret. Talis, ergo, Respub. illa existimanda erit, quæ li-
cet leges iustas acceperit, quibus teneretur, nullus tamen
vel illi præfectus sit, cui cæteri pareant, vel si quis hoc ho-
noris insigni cohonestatus fuerit, dignitatis tamen penes se
nomen tantum retineat, potestatem verò omnes sibi ven-
dicent. Tunc, enim, liceret scelestos homines videre, quos
iustissimæ leges vel vinculis, vel exilio, vel nece dignos de-
cernerent, ac veluti publico præconio, & si vocem non
emittant, æquissimè mulctarent, arroganter & eláto ani-
mo non solùm pleno gradu plateas ingredi ciuitatis, & li-
berè quocunque velint sese conferre, verùm etiam, quæuis
alia flagitia impunè patrare. Videres, sanè, eos, quos leges
vel imperare, vel sententiam dicere vetant, non solùm pu-
blicis negotijs audacter sese miscere, sed etiam publica om-
nia ad se, inaudita quadam temeritate, auocare, ac tyranni-
de & crudelissimo dominatu quodvis, publicum etiam, iu-
dicium sibi vendicare. Eam igitur beatam fore Rempub.
iure optimo prisci sapientes asseruerunt, non quæ diuitijs
affluat; quæ fines suos longè latèq. diffuderit, quæq. non
minus exteras, quàm finitimas gentes bello subegerit, sed
quæ & legibus iustis teneatur, & Magistratibus optimis re-
gatur. Non enim quæ opulentissima, vel amplissima, sed
quæ rectè administratur, optima Respub. censeri debet. E
autem rectè administrari putamus, in qua ciues Magistra-
tibus, Magistratus autem legibus pareant.

CAP. V. CVM autem, quælibet Respub. constet ex multitudi-
hominum communi quodam fœdere in vnum cōgre-
gata, cui propositum sit, vt pacem domi conseruet, hostes
arceat, fines propaget, omniumq. rerū, quoad fieri possit,
copiam assequatur; hæc autem homines viderent, neque
absque Dei præsidio fieri, nec absque legum præceptis, a
prudentum consilijs, rectè administrari posse; partim sac-
& sacerdotes constituerunt ad beneuolentiā Numinis co-
ciliandam; partim & Magistratus quosdam rebus admini-
strand-

ſtrandis & ciuibus regendis præfecerunt, & leges, quibus ipſi etiam Magiſtratus parere tenerentur, ſanctiſſimè ſanxerunt. Nam diuinus ille Plato, vt Rempub. quam animo menteq. concepit potius, quàm re ipſa conſtituit, omnibus numeris abſolutam redderet, eam, cum primis, optimis legibus exornari voluit: cùm tamen prudenter animaduerteret, gubernationis optimæ, optimarumq. legum originem, tunc demum, non aliter, elucere, cum Reip. optimus præficitur Gubernator, eum, profectò, vt poteſtate, ita prudentia & temperantia præditum eſſe oportere, diligenter monuit. Vtrumque difficillimum putauit, ac proinde Dei auxilium ad Rempub. conſtituendam inuocandum eſſe optimè concludit. Præclarè enim inquit ille, παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις πρῶτον νομίζεται θεοῖς σέβειν. Id eſt, primum ante omnia exiſtima, Deum colere oportere. Nam religionem, quã Arnobius ſic definiuit, vt eam rectam de diuinis mentem eſſe dixerit: & Mercurius Triſmegiſtus εὐσέβειαν ſeu pietatem, γνῶσιν τοῦ θεοῦ & Dei cognitionem appellauit, potiſſimum eſſe Reipub. fundamentum, veteres omnes philoſophi vno ore tradiderunt. Nec enim vlla vmquam extitit Reſpub. nullum Regnum, aut Imperium, quod aliquam ſpeciem legitimæ adminiſtrationis habuerit, cui non fuerit primum hoc religionis impoſitum fundamentum. Vnde & legiſlatores præcipuas de rebus diuinis, quibus cæteræ omnes firmarentur, leges cõdere, maximè opus eſſe duxerunt. Nam legum duodecim tabularum, á Græcis mutuatarum, prima pars ad religionem ſpectat; quòd, præ cæteris alijs virtutibus, hæc vna, Reſpublicas, Regna, Imperia inſtituit, firmat, ſarta tecta conſeruat. Quò fit, vt Religionem, ſummam & optimam eſſe virtutem, ac veluti fundamentum reliquarum, is ipſe diuinus philoſophus, nõ ſolùm ethnicis ſapientibus, ſed etiam orthodoxis Patribus conſentiens, agnouerit. Nam, maiorem virtutem Religione pietateq. in Deum nullam penes mortales inueniri, hũcque finem legum propoſitum eſſe debere, vt Reſpub. Dei

Dial. 4. de de legib.

Plá. in Cratilo. Ar. lib. 7. con. gent.

cultu

cultu & vitæ puritate optimum & pulcherrimum exitum consequatur, verissimè docuit. Hæc enim est virtus, cui causa nos conditos, ac in hanc lucem productos esse, & cæ reliquæ omnes virtutes ministrare ac famulari debeant, di-
Deut. c.26. uina testantur eloquia. Nam in Deuteronomio sic habetur *Dominum elegisti hodie, vt sit tibi Deus, & ambules in vijs eius, & cu stodias cæremonias illius, & mandata atque iudicia, & obedias eius impe rio. Et Dominus elegit te hodie vt sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi: & custodias omnia præcepta illius: & faciat te excelsiorem cun ctis gentibus, quas creauit in laudem, & nomen, & gloriam suam: vt populus sanctus Domini Dei tui sicut locutus est.* Vbi non in alium finem nos conditos, vitæq. huius vsura donatos esse, quàm vt in laudem, & nomen, & gloriam præpotētis Dei simus quæ sanè summa religio est, sacer Vates apertè tradit. Hæc ergo quisquis consequutus non fuerit, reliquum illi est, ingenuè fateatur se frustra conditum atque in hanc lucem productum fuisse. Nam Lactantius Firmianus quàm mul tis probare nititur rationibus, hanc solam esse virtutem quæ verè & propriè homines à brutis distinguit animanti bus: cæterarum enim partium, rationis, prouidentiæ, ac in genij, sagacitatis, memoriæ, & iudicij, in brutis magna expressa vestigia, ac longè nonnumquam maiora, quàm plerisque hominum, manifestè apparent. At Deum cogno scere, cognitum desiderare, desideratum quærere, quæsi inuenire, inuentum amare, amato potiri, ab eoq. omnem spem felicitatis & incolumitatis suæ expectare, vltra hanc vitam & vltimos cineres alteram longeq. meliorem vitam sperare, hoc decus & ornamentum humanæ naturæ cense-
Lact. lib. 3. instit. c.10. ri debet. Summum igitur bonum (præclarè Lactantius) hominis in sola religione est. Nam cætera etiam quæ p tantur esse homini propria, in cæteris quoque animalibus reperiuntur. Cum, enim, suas voces proprijs inter se no discernunt atque dignoscunt, colloqui videntur; ridendi ratio apparet in his aliqua: cum demulsis auribus, contr ctoq. rictu, & oculis in lasciuiam resolutis, aut homini ludu

ludunt, aut ſuis quiſque coniugibus ac fœtibus proprijs: nonnè aliquid amori mutuo & indulgentiæ ſimile impartiunt? Iam illa, quæ ſibi proſpiciunt in futurum, & cibos ponunt, habent vtique prouidentiam; rationis quoque ſigna in multis deprehenduntur. Nam, quando vtilia ſibi appetunt, mala cauent, pericula vitant, latibula ſibi parant in plures exitus diſparentia, profectò aliquid intelligunt. Poteſt aliquis negare illis ineſſe rationem, cum hominem ipſum ſæpe deludant? Nam quibus generandi mellis officium eſt, cum aſſignatas incolunt ſedes, caſtra muniunt, domicilia inenarrabili arte componunt, Regi ſuo ſeruiunt, neſcio an in his perfecta ſit prudentia. Incertum eſt igitur, vtrum nè illa, quæ homini tribuuntur, communia ſint cum alijs viuentibus. Religionis certè ſunt expertia. Qua de re Ciceronis vera eſt ſentẽtia: Ex tot, inquit, generibus nullum eſt animal præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei. Ipſiſq. in hominibus nulla gens eſt, neque tam immanſueta, neque tam fera, quæ non etiam ſi ignoret, qualem Deum haberi deceat, tamen habendum ſciat. Ex quo efficitur, vt is agnoſcat Deum, qui vnde ortus ſit quaſi recordetur. Qui ergo philoſophi volunr animos omni metu liberare, tollunt etiam religionem & orbãt hominem ſuo proprio ac ſingulari bono, quod eſt à rectè viuendo atque ab omni humanitate diſiunctũ, quia vt Deus cuncta viuentia ſubiecit homini, ſic ipſum hominem ſibi. Nam quid eſt cur ijdem ipſi diſputent, eò dirigendam eſſe mentem, quò vultus erectus eſt? Si enim nobis in cælum ſpectandum eſt, ob nihil aliud, vtique, quàm ob religionẽ. Si religio tollitur, nulla nobis ratio cum cælo eſt. Itaque, aut eò eſt ſpectandum, aut in terram procumbendum. In terram procumbere, niſi velimus, quidem non poſſumus, quorum ſtatus rectus eſt. In cælum igitur ſpectandum eſt, quò natura corporis prouocat. Quod ſi conſtat eſſe faciẽdum, ideò ſanè faciendum eſt, vt religioni ſeruiamus, quam qui non ſuſcipit, ipſe ſe proſternit in terram & vitam pecudum

dũ ſecutus humanitate ſe abdicat. Longius, profectò, quàm putaram, ſermonis ſuauitas me in Lactantij oratione de-nuit, æqui tamen boniq. conſulendum, cum eam virtutes amplificauerit, in qua decus & laus hominis propria cũ priuatim, tum publicè conſiſtit. *Hæc eſt* enim, inquit Mo-ſes, *veſtra ſapientia & intellectus coram populis, vt, audientes vniuer-ſa præcepta hæc, dicant: En populus ſapiens, & intelligens, gens magna. Quæ eſt enim alia gens ſic inclyta, vt habeat cæremonias, iuſtaq. iudicia & vniuerſam legem, quam ego proponam hodie ante oculos veſtros.* Denique abſque religione, leges aranearum telis perſimi-les eſſe; Reſpublicas autem rectè gubernari, vitia coerceri, vir-tutes inſeri nullo modo poſſe aſſeruit Plato. Deficiũt en-im leges humanæ ad ea vitia, quæ clam & per potentiam committuntur, & ideo religione metuq. numinis diui-ni tanquam potentiſſimo cuſtode & correctore, opus e-ſt. Quò ſiquidem parentes, quò magiſtri, quò cenſor, quò iu-dex penetrare non poſſunt, ipſa peruenit: quod omnes fugit, illa tenet: quod omnes latet, illam latere non pote-ſt: quod omnia vincit & ſuperat, ipſa coercet, eius, verò, ma-ieſtate læſa, clauſtriſq. eius perfractis, cætera omnia fa-cilè læduntur ac contemnuntur. Quamobrem diſertè à Lac-tantio dictum fuiſſe mihi videtur; Naturam hominis hanc Deum eſſe voluiſſe, vt duarum rerum cupidus & appetens eſſet, religionis, inquam, & ſapientiæ: in eo tamen homi-nes longè decipi, quòd aut religionem ſuſcipiant, omiſſa ſa-pientia; aut ſapientiæ ſoli ſtudeant, omiſſa religione, cum alterum abſque altero non poſſit eſſe verum. Cadunt er-go ad multiplices religiones, ſed ideo falſas, quia ſapientiam reliquerunt, quæ illos docere poterat, Deos multos eſſe non poſſe. Aut ſtudent ſapientiæ, ſed ideo falſæ, quia religio-nem ſummi Dei omiſerunt, qui eos ad ſcientiam veri po-tuit erudire. Ex quo, non fruſtra illud præclarum ſuis legi-bus principium præfixerunt priſci ſapientes, vt ſit hoc iam à principio perſuaſum omnibus, dominum eſſe omnium rerum ac moderatorem Deum: eaq. quæ geruntur, ...

Deut. cap. 4.

Dial. 8. de legib.

Lib. 3. de falſa ſapientia c. 11.

Thales apud Cicerõ. lib. 2. de legib.

geri iudicio ac numine, eundemque optimè de hominum genere mereri: & qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate religionem colat, intueri, piorumq. & impiorum habere rationem, quòd his certe rebus imbutæ mentes haud abhorrere possint ab vtili & vera sententia. Atque hinc illi, qui diligenter & accuratè perponderarunt, quàm multum, ad benè imperandum, cogitationem & cognitionem superioris potestatis, quæ falli, vitariuè non possit, conferre; ad erudiendos etiam Principes disciplina rectè gubernandi, Religionem in quauis Rep. pernecessariam esse, constituerunt. Magna enim eorum, qui sinè metu Dei gentibus ac nationibus imperant, est, nõ insolentia solum (nam id vulgare vitium est) sed immanitas, non modò vt vocem, sed nè vultum quidem liberum posit ferre cuiusquam; graue & intolerabile seruitutis iugum; mandata acerbisima; illorum denique omnia tyrannide sunt plena, adeò certè, vt sub his miserrima sit populi vita, durissima bonorũ oppressio. Quambrem Plato præuidẽs tria esse, quibus homines ad Deum reuocantur, beatitudinem, metum, & honorem, sapienter iussit templa Regum domibus coniungi, vt recordatio numinis metum illis incuteret; metus verò primùm ad diuinum cultum, deinde ad cõstituendum legitimum ius, quo omnes vterentur, tum demum ad modestiam, magnitudinemque animi illos erudiret. Ex quo maxima commendatione digna, quæ Mœcenas ad Cæsarem Octauianum verba fecit, iure optimo censentur. *Deum*, inquit, *semper & vbique cole, vt moribus patriæ est receptum, ad eundemq. cultum alios compelle: peregrinarum verò religionum authores odio & supplicijs prosequere, non modò eorum gratia, quos qui contemnunt, haud dubiè nihil quoque magni faciunt: sed propterea etiam, quòd qui noua numina introducunt, multos ad vtendũ peregrinis legibus alliciunt: hinc coniurationes, coitiones, & consiliabula existunt minimè principatui commodæ res.* Maxima igitur est vis religionis inter homines, qua Principes discunt, alijs imperare, dum norunt maioris Imperio

Plato lib. 6. de legib.

apud Dio. li. 52 hist.

perio ſe eſſe ſubiectos. Quocirca, iure quidem optimo, i
la felix ſemper habita fuit Reſpub. quæ religionem cū ſ
mis ſummi Dei ſartam tectamque conſeruaret, quam p
cherrimus nobiliſſimarum virtutum chorus conſequitu
Huc enim, & legum latio ſanctiſſimarū, & Magiſtratuu
perneceſſaria inſtitutio ac creatio tendit: vt Reſpub. P
cultu & vitæ puritate finem optimum & præſtantiſſimū
liciter nanciſcatur: ſunt enim hæc duo (niſi fruſtra con
tuantur) veluti baſes & firmiſſima fundamenta ſtabili
tis Reipub. quibus nobiliſsimi ac præſtantiſſimi ædifi
conſtructio mirificè ſuſtinetur.

CAP. VI.

Ariſt. lib. 3. Polit. c. 5.

Verum, quemadmodum tres gubernandæ ciuitatis
Reipub. cuiuſq. formæ, à ſapientibus, (quicumque illi, ſ
hac de re vnquā dicere aggreſſi ſunt, ſiuè ethnici, ſiuè Ch
ſtiani & orthodoxi patres fuerint) excogitatæ illoru
præclaris monumētis commendantur; Monarchia, inqu
ſiue Regnum: Ariſtocratia, ſeu ſtatus optimatum: Dem
cratia, ſeu popularis dominatio: ſic, ſanè, duo conſtitu
runt legum genera, vnum quod ſcripto comprehendit
alterum quod ſine ſcripto moribus vtentium & tradit
ne maiorum retinetur. Ita tamen vt aut vtrumque gen
in qualibet Repub. ponendum ſit, ſicut in Romana vtru
que receptum fuit: aut ſi non niſi alterum ex his duob
in aliqua præſtante Repub. ſtatuatur, id neceſſariò debe
eſſe genus illud, quod ſine ſcripto recipitur; quòd id pe
poſſit conſiſtere. Nā hoc modo Reſpub. Romana (vt Po
ponius author eſt) annis propè viginti, Lacedæmon
rum verò multis etiam ſeculis abſque ſcripta lege floru
Nec iniuria. Conſuetudines enim non ferè poſſunt e
ambiguæ, nec aliqua lis oritur circa earum interpretati
nem, quia omnibus ex æquo notæ ſunt; quod in ſcript
legibus longè ſecus ſe habet. Quid quòd nulla vnqu
lex, Iuliano iuriſconſulto atteſtante, ita ſcribi poteſt,
omnia, quæ aliquandò euentura ſunt, definiat & comp
hendat? Neque vero abs re, cogitanti mihi, Lycurgu
nulla

Vide Pandectas Iuſtiniani, de legibus, & Pōponium de origine iuris in Pandect.

l. Neque leges. ff. de legib.

nullam legem scriptam Spartæ extare voluisse, in mentem
venit, voluisse sapientem virum hoc saltem modo, signi- *Plutarc. in*
ficare, ad cuiusque ciuitatis ac Reip. honorem maximè *Lycurgo.*
accedere, vt ciues ex præscripto legis viuentes, eam quo-
quo modo impleant. Ob idque quæ summa, maximaq.
ad Reipub. felicitatē & virtutem spectare iudicauit, ea mo-
ribus ciuium, & instituto vitæ penitus insita, immota futu-
ra censuit: quòd sic fieret, vt, cum sola populi consuetu-
do, lex ipsorum esset, nullam prorsus legem ciues habe-
rent, quam non obseruarent. Nec enim fieri poterat, vt
consuetudines ciuium non obseruarentur ab ipsis, cùm si
desinerent obseruari, nec consuetudines, quidem, omni-
no futuræ essent. Anarchasis vero cum certior fieret, Solo-
nem leges Atheniensibus conscriptas dare velle, vehemen- *Plutarc. in*
ter illius operam irrisit, quoniam existimabat ciuium libi- *Solone.*
dines & cupiditates effrænatas literis coerceri non posse.
Nam & illud libenter dictitabat, leges scriptas, velut ara-
nearum telas, debiles tantum viros tenere implicatos, quæ
à potentioribus facilè rumpuntur. Rem autem in Athe-
niensium ciuitate eum exitum habuisse, non quem Solon
sperarat, sed quem Anarchasis coniecerat, prudenter ani-
maduertit Plutarchus. Lacedæmonij etiam, ex Lycurgi
institutione, legem, nec illam quidem nimis laudabilem, *Plutarc. in*
tulerunt, vt scriptis legibus vti minimè liceret. Quamquã, *Lycurgo.*
enim: Lycurgus, vt optima quæque instituta in ciuium
suorum moribus & consuetudine penitus inueterascerent,
ac veluti in animis ipsorum insiderent, vehementer cona-
batur; haud tamen scriptionem ipsam tollere & abrogare
debuit. Solent, enim quæ in scripturam relatæ sunt leges,
virum officij præstandi cupidum, nonnunquam admo-
nere, quidnam illud sit, quod præstare debeat. Quocirca,
præclarius Aristoteles & æquiori lance rem perpendisse
mihi visus est: quippè qui ita leges, quæ in consuetudinem *Lib. 3. Poli.*
versæ sunt amplificauit, vt tamen scriptas minimè repre- *c. 12.*
henderit. *Leges, enim,* inquit ille, *quæ moribus, quàm quæ literis*

 continen-

continentur maiorem authoritatem habent, & de rebus grauioribus sun
Illud tamen, nequaquam hoc loco silentio prætereundu putaui: Lycurgo, Soloni, Aristoteli, Platoni, Diogeni, Zenoni, cæterisque omnibus, qui in hoc argumento pe tractando operam suam nauarunt, hoc præcipuum fuis institutum, vt & ad virtutem sectandam ciues excitaren & vt frugi ac continentes plurimum tempus perseue rent, & idcirco, vt leges in consuetudinem transirent p viribus elaborauisse, existimantes, quemadmodum vni viri, sic etiam totius ciuitatis, felicitatem ex virtute effi Et hoc, quidem, consequuti fuerunt qui hisce de rebus d cere laudabiliter conati sunt; quique ea, quæ ad ciuit optimam institutionem apprimè conducere videbantu literis ac sempiternis monumentis consignarunt; vel ea Reipub. formam, quam admirari quidem, re tamē imit ri nemo poterat, in lucem attulerunt, vt minoribus qua par esset honoribus, tametsi maximis, eos tota prosequu sit antiquitas.

Verum, cum neque legumlatores, neque philosophi sapientes efficere potuerint, vt suæ leges in perpetua hominum consuetudinem conuerterentur, solus ext Christus saluator & legislator noster, qui, dans de cælo ritum sanctum, scripsit in cordibus nostris leges suas; a que ita perfectam & in æternum duraturam omnibus n meris consummatam Rempub. stabiliuit; quæ cum cæte hominum societatibus ita consentit, vt nihil habeat m nus quàm illæ; multa vero habeat infinitis partibus p clariora, quàm vlli earum contigerunt. Ecclesia, en Christi nihil est dignius, quæ non nisi Deo authore n tur: nihil antiquius, quæ lapsum primorum parentum a tecessit: nihil beatius, quæ Deo ipso, *in quo sunt omnes thes sapientiæ & scientiæ absconditi*, in æternum fruitura est. Cu autem dixerimus, eam beatam fore Rempub. quæ Relig nem cum primis & Dei cultum sectetur; legibus dein teneatur sanctissimis; & optimis gubernetur Magistra bu

Gē.c.2.&3.
Coloss.c.2.

bus;illud iam superesse mihi videtur, vt Rempub. illam & ciuitatem sanctam Hierusalem nouam, quam Ioannes descendentem de cælo à Deo paratam vt sponsam ornatam viro suo se vidisse testatur, quàm nos veram Christi Ecclesiam esse ostendimus; Religionis studio & cultus diuini amore teneri, necnon leges sanctissimas, & Magistratus optimos accepisse, quibus regeretur, hoc opere ostẽdamus. Sic enim fiet, vt nemo sit adeò rerum omnium ignarus, qui, si ea, quæ docturi sumus, attentè contempletur, non cognoscat, quanto interuallo pulchrior sit illa Ecclesiæ facies, & conditio, quam Catholici per longissima decurrentium temporum spatia ritè atque ordine à Maioribus acceptam in hodiernum diem sartam tectam conseruarũt, quàm ea, quæ nuper ab hæreticis excogitata, nouis & hactenus inauditis cùm doctrinis, tum moribus, non priùs imbui cæpit quàm deformari.

CAP. VII.

CErtè, cùm sacer Vates Esaias Dei afflatus spiritu prædixisset Christum Dominum in terris oriundum iustitiæ muneribus exornatum, qui & genus humanum è captiuitate diaboli, qua detinebatur non alicuius meritis adductus, sed insita sibi benignitate prouocatus, liberaret; & per quem hostis sempiterni tyrannis extinguenda, & salus sempiterna diuinis bonis egregiè cumulata hominum generi conferenda erat; protinus adiecit: *Ipse ædificabit ciuitatem meam, dicit Dominus exercituum.* Non de alio certè Rege aut Saluatore hæc dicit Propheta, nisi de eo qui ædificaturus pietatis ac Religionis Rempub. exules & extorres, qui in Dei fide permansissent, in libertatem restitueret. Hic enim Rex, inquit Procopius, Vrbem ædificaturus erat, prout ipse promiserat Petro. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Hæc autem vrbs constituitur ex viuis lapidibus, in quibus suscitauit Dominus filios Abrahæ, cuius gloriam vt Sacer Vates magis amplificaret, posteà inquit: *Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit, & eris corona gloriæ in manu Domini,*

Esa.c.45.

Euseb.lib.5. de demonst. Euang.c. 4.

Matt. c. 16.

Esa.c.62.

&

& diadema Regni in manu Dei tui. Non vocaberis (sic enim Cy-
In commentarijs. rillus & Hieronimus) amplius Synagoga, aut nomine an-
tiquo, sed nomine tuo, quod erit tibi peculiare, & nomi-
nouo, quod os Domini loquutum est. Appellaberis enim
Ecclesia, quod erit nomen tuum, quod imposuit tibi Do-
Matth. c. 16 minus, cùm dixit, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ec-
clesiam meam.* Ecclesia autem Christianorum, quam Salua-
tor noster Ecclesiam suam dixit, nomen nouum est, no-
men magnificum, & summi splendoris. Si enim Christus
significat Deum hominem factum, vnctum Spiritu san-
cto, id est, plenum Spiritu sancto, & in quo Spiritus sanctus
Ad Collos. cap. 2. habitat corporaliter, profectò Ecclesia Christianorum, Ec-
clesia est hominum, qui dij sunt participatione, filij Dei
adoptiui, vncti Spiritu sancto, induti Christum, sic enim
Esa. c. 61. eos Esaias descripsit; *Gaudens*, inquit, *gaudebo, & exultabit ani-
ma mea in Deo meo, quia induit me vestimento salutis & indumento iu-
stitiæ circumdedit me.* Septuaginta vertunt, *induit me vestimento
salutaris, & tunicam lætitiæ*. Sanè eo loci Ecclesia gratias agit
Deo pro tot tantisq. beneficijs sibi impertitis, vt Eusebius
docet. Nam Hebræa sic ex verbo rectè interpretabimur.
Quia *me induit vestimento Iesu, & indumento iustitiæ me cinxit.*
Itaque, siue vestimentum salutis, siue salutaris, vertas,
profectò Iesum intelligit, cum & septuaginta viri, & Euan-
gelistæ, & Apostoli salutare, Christum nominauerint.
Luc. c. 1. *Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Et *videbit omnis caro salutare*
In coment. Ad Gal. c. 3 Rom. c. 13. *Dei.* Quid, quòd D. Hieronymus nos monet, Hebraicè esse
Iesum: vt sit illud Pauli; *Quotquot baptizati estis Christum indui-
stis*. Et alibi, *induite Dominum nostrum Iesum Christum?* Certè si
verbum Hebræa interpretemur, eandem vtriusque, per-
cuè apparet, fuisse sententiam. Paulus enim inquit, Chri-
stum induistis; Esaias verò, induit me vestimētum Iesu,
hoc est, induit mihi Dominum Iesum pro vestimento. Sic
Cyrillus de recta fide ad Theodos. enim Hieronymus & omnes sacri scriptores hunc locum
videntur explanare. Cyrillus autem, induit me, inquit, ve-
stimento salutaris; nam quotquot in Christo bapti-
[illegible]

estis,Christum induistis. Baptizati sumus,& spiritu gratiæ immutati non simpliciter in hominem, vt aiunt infideles, sed in Deum hominem factum, & remittentem pœnas & priora crimina: sibi enim adiunctum à peccatis absoluit, mox suo iungit spiritui, qui ex ipso & Patre procedit, dat Spiritum sanctũ,quem sicut homo inspirabat corporaliter, *Ad Collos. cap. 2.* & non ex mensura,sed ipse ex se immittit sicut Pater.Nam solus ille benignissimi Patris benignissimus & vnigenitus filius, paternæ clementiæ desiderio morem gerens,nostrã naturam, cũ in peccatorum corruptione & eluuie voluta-ti iaceremus, libenter induit; & tanquam medicus longè præstantissimus, tristes & ærumnosos ægrotantium mor-bos, quò illis largiretur salutem, intuens, horrida & tetra vlcera contrectauit,& propter alienas calamitates proprio ac suo corpore dolores exhausit. Qui nos non modo mor-bo vexatos, grauibus vlceribus & sanie tabescentibus vul-neribus oppressos, sed iam in numerum mortuorum rela-tos, ex ipso opaco mortis recessu ad suam gloriam partici-pandam recuperauit. Quippe nemini alij tantum suppe-tebat roboris, vt tot perditos homines re quidem ipsa pos-set ad salutem reducere. Solus igitur Christus graue onus nostræ afflictæ & calamitosæ corruptionis in se suscepit: *Esa.c. 53.* solus nostros exantlauit labores: solus multam pro impie-tatibus nostris subijt: solus non semineces, verum omnino in monumentis,in sepulchris fætidos, & iam graueolentes restituit: solus & olim,& iam studio suo,& cura beneuola, præter cuiusquam nostrorum ipsorum spem & expectatio-nem seruauit: solus denique magnam paternorum bono-rum affluentiam nobis impertijt,qui est vitæ author, lucis largitor,magnus & eximius noster medicus, Rex, Domi-nus,& Christus Dei. Hunc ergo Christum Iesum, quot-quot baptizati sumus,instar vestimenti animorum nostro-rum, mirabili sacramento induimus: adeò vt rectè vesti-mentum salutis à propheta dicatur. At Cyrillus disertè *Cyril.in Genesim lib. 9. in prin pio.* interrogat, quænam sit tunica illa lætitiæ, vt septuaginta vertunt

vertunt,ſeu iuſtitiæ,quod noſter interpres habet? Reſpo
det autem declarari à Paulo eo loci,quo ait, *quotquot in Ch*
ſto baptizati eſtis Chriſtum induiſtis. Et induimini Ieſum Chriſtum.
ſit eiuſdem ſententiæ repetitio; ac quod prius dixerat, i
duit me pro veſtimento Ieſum, repetat, & indumento i
ſtitiæ circumdedit me: quia Ieſus factus eſt nobis iuſtiti
ſanctificatio & redemptio.

Ad Gal. c. 3. & Rom. cap. 13.

Euſebius verò Cæſarienſis aptiſſimè ad rem noſtra
hunc locum expoſuiſſe mihi videtur. Cum enim deſc
pſiſſet magnificentiam templi Domini, quod ædifica
Salomon,quo nihil potuit aut magnificẽtius ædificari, a
ſublimius,ita auro, argento, quoquo te verteres radiaba
cedris alijſq. odoratiſſimis arboribus fragrabat, ſubiun
id quod dictum eſt ab Aggæo propheta de templo, qu
inſtauratum eſt poſt captiuitatem Babylonicam. *Ma*
erit gloria domus iſtius poſterioris,quàm prioris. De illo tẽplo qu
inſtaurabatur intelligi nullo modo poſſe viſum eſt aliq
bus,quorum ſententia alijs non contemnendę authorita
doctoribus nequaquam probatur: quippe qui non de
templo quod ædificabatur à filijs captiuitatis,ſed quod
ædificatum poſtea fuit ab Herode,hæc intellexerunt,e
que gloriam maiorem fuiſſe quam eius, quod eſt à Sa
mone conditum,& ex Saluatoris maximè præſentia,&
ipſo ædificio efficaciter videntur euincere.At quis non
det latere ſub hoc humiliori altiſſimũ quendam ſenſu
Hic quidem hiſtoricus ille verò allegoricus eſt. Nam c
dicturus eſſet, glorioſius fore templum ſecundum, il
prius adiecit,*Adhuc vnum modicum eſt, & ego commouebo ca*
& terram,& mare,& aridam,& mouebuntur omnes gentes, & ve
deſideratus cunctis gentibus. Ac ſi apertius diceret. Vos ædifi
te domum,ego eam ab his paruis & tenuibus principijs
magnam gloriam proueham,non quidem nunc; prius
lum,& terram, & mare, & aridam & gentes omnes c
mouebo, & veniet Chriſtus deſideratus cunctis genti
tunc implebo domum iſtam gloria. Et revera ſic pri
dom

Hiſt. Eccleſ. lib. 10. c. 4.

Aggæus c. 2

Lib. 3. Reg. cap. 8.

domum in primis illustrauit: *factum est*, enim, *cum exissent sacerdotes de sanctuario, nebula impleuit domum Domini, & non poterant sacerdotes stare, & ministrare propter nebulam impleuerat enim gloria domini domum domini*: quantò illustrior & gloriosior fuit domus posterior, quam non nebula obtexit quæ Dei præsentiam indicaret, sed Deus ipse nube carnis obductus adijt, quæ diuinam eius vocem dicentis audiuit, quæ miracula magna vidit? Templum Domini proculdubio typus fuit corporis Christi, quod verbi templum erat. Vnde ipse Dominus, *soluite templum hoc & in tribus diebus excitabo illud*. Erat, enim, Hierosolymorum templum figura corporis Christi: Dirutum fuit templum à Babilonijs; occisus est Dominus à Iudæis. Vnde Hierusalem Babylon dicitur, quòd typus Hierosolymorum fuerit Babylon. Reædificatur maiori gloria templum Domini solutum à Iudæis, id est, corpus Christi resurgit multò glotiosius immortalitatis & gloriæ splendore donatum; donat simul gloriam suam, & corporis immortalitatem Ecclesiæ à se exædificatæ; adeò sanè vt, iuxta verbum Domini, maior sit gloria domus istius nouissimæ quàm primæ. *Nam, quoniam pastor illius, & Dominus Iesus*, (præclarè Eusebius) *semel pro ipsa mortem oppetijt, & post passionem corpus mortale & caducum, quod eius gratia induerat, in gloriosum & immortale commutauit, & carnem morti obnoxiam ex corruptione ad immortalitatem traduxit: idcirco par erat & rationi consentaneum, vt illa non aliter atque Saluator mira ratione commutaretur. Et quanquam promissionem rerum, hisce quibus iam fruitur, longè præstabiliorum accepit, & propterea maiorem regenerationis gloriam in resurrectione corporis incorruptibilis, cum choro angelorũ lucis æternæ in ipsa Dei regia supra cælos sita, cũ Christo Iesu eius patrono & Saluatore ad secula deinceps sempiterna percipere desiderat: tamen interea loci in hoc præsentia seculo, ea ipsa, quæ pridẽ vidua & deserta solitudo fuit, his per Dei gratiam circumuestita floribus, facta est, (vt propheta loquitur) reuera vt lilium. Atque quo pacto veste nuptiali accepta & corona decoris ornata, velut choreas ducere, ad gratias Deo Regi agendas, & ad eum lætis vocibus honorandum per Esaiam doceatur, eam ipsam loquentem*

Lib. 3. Reg. cap. 8.

Ioan. c. 2.

Euseb. lib. 10. trist, Eccles. c. 1.

Esa. cap. 61.

quentem audiamus. Exultet anima mea in Domino. induit enim me ve-ste salutis, & tunica lætitiæ circumdedit me: tanquam sponsum mitra, & tanquam sponsam decorauit me ornamento: & sicut terra augens flo-rem suum, & vt hortus semina sua oriri faciet, sic Dominus Deus orietur fecit iustitiam & exultationem coram vniuersis gentibus. Hæc ille.

CAP. VIII.

NOn tamen me latet, totam hanc sententiam Tertullia-num ita de Christo fuisse interpretatum, vt Ecclesiæ tribui minimè posse putauerit. Verum Beatus Pater Augu-stinus, quò omnem hæsitandi auferret occasionem, inquit totam hanc orationem ita ad sempiternum Parentem à Christo habitam, vt tamen de Ecclesia propriè intelliga-tur. Et ita à Propheta Ecclesiam induci loquentem, vt ta-men in ea Christus loquatur. *Christus*, inquit, *loquitur, qui in membris Christi Christus. Et vt noueritis, quia vnus dicitur Christus ca-put & corpus suum: ipse dicit, cum de coniugio loqueretur: Erunt duo in carne vna. Igitur iam non duo sed vna caro.* Ne quis autem per-peram putaret; de quocunque alio coniugio, non autem de eo, quo Christo Ecclesia mirabiliter copulata est, hæc fore intelligēda; disertè Paulus Apostolus monet, magnum quiddam his verbis contineri. *Sacramentum*, inquit, *hoc ma-gnum est; ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Fit ergo tanquam ex duobus vna quædam persona, ex capite & corpore, ex sponso & sponsa. Quam vnitatem ab Esaia maximè com-mendari arbitratur Augustinus, cùm sempiterno parenti gratias acturus Christus inducitur dicens, *Sicut sponso alliga-uit mihi mitram, & sicut sponsam ornauit me ornamento. Quare* (pro-sequitur ille) *se sponsum, & se sponsam, nisi quia duo in carne vna? Si duo in carne vna, cur non duo in voce vna? Loquatur ergo Christus quia in Christo loquitur Ecclesia, & in Ecclesia loquitur Christus: & cor-pus in capite, & caput in corpore.* Sanè Paulus hoc ipsum euiden-tius exprimit. *Sicut, enim, corpus vnum est, & membra habet multa: omnia autem membra corporis cùm sint multa, vnum est corpus; sic & Christus.* Loquitur de membris Christi Apostolus, hoc est, de his, qui ei nomen fidemque dederunt, non tamen ait, sic & membra Christi, sed totum quod dixerat, Christum ap-pellauit

Tertul. ad-uer. Marcio lib. 4.
Aug. in ps. 30. & in epist. 120. & de doctr. Christ. li. 3. cap. 31.
Gen. c. 2.
Ephe. c. 5.
Esa. 61.
1. Cor. c. 12.

pellauit. Corpus quidem vnum est, ex pluribus ac diuersis partibus compactum, cùm tamen plures ac diuersæ illius sint partes, vnum corpus constituunt; sic & Christus membra habet multa, quibus ipse caput est, corpus verò, vnum duntaxat. Quandiu ergo nos cũ capite nostro Christo copulati sumus, membrorum pulchritudinem, & vsum ita retinemus, vt ex capite & membris corpus vnum efficiatur, at ex capite abscissi nullius prorsus sumus valoris. Quid ita? *Quia nos cum capite nostro, vitis*, inquit Augustinus, *sine capite nostro, quod absit, sarmenta præcissa, non alicui operi agricolarum, sed igni tantummodo destinata. Ideo ipse in Euangelio; Ego sum vitis, & vos palmites, pater meus agricola est*. Alibi vero diluens dubium illud Augustinus, quod nonnullorum ingenia torsisse videbatur, si nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, quomodo Petrus & Paulus eò ascenderunt? *Vide*, inquit, *quid Petrus & alij fideles audiunt à Paulo. Vos autem estis corpus Christi & mẽbra ex parte. Si ergo corpus Christi & mẽbra vnius sunt, noli facere duos; reliquit, enim, patrẽ & matrẽ, & adhæsit vxori suæ, vt essent duo in carnẽ vnã; Reliquit Patrẽ, quia non hic se ostẽdit æqualem patri. Semetipsum enim exinaniuit, formã serui accipiens: reliquit & matrẽ Synagogam, de qua carnaliter natus est. Adhæsit vxori suæ, idest, Ecclesiæ suæ. sic nemo ascendit, nisi qui descendit, quia vnus homo est spõsus & sponsa secundũ carnem Christi, non secundũ diuinitatẽ: nam secundum diuinitatẽ quod est ille, nos esse non possumus: quia ille creator, nos creatura; ille effector, nos effecti, ille cõditor, nos cõditi: sed, vt essemus cũ illo, vnum in illo homo factus est, & caput nostrum esse voluit accipiendo carnem pro nobis, in qua moreretur pro nobis. Vt noueritis ergo, quia hoc totum vnus est Christus, per Esaiam dixit. Sicut sponso alligauit mihi mitram, & sicut sponsam induit me ornamento: ipse sponsus, ipse sponsa. Ipse planè sponsus in capite, sponsa in corpore.*

Ioan. c. 15.
ser. 234. de tempor.
1. Cor. c. 12.

Gaudet igitur, vehementerq. lætatur Ecclesia, animusque eius Domini benignitate incredibiliter exultat, quòd pulcherrimo vestitu salutis induta, & regio iustitiæ ornatu contexta sit, hoc est, Christo, instar vestimenti, induta fuerit. Eam enim Dominus, quasi sponsum, magnifico cultu, &

Esa. 56. & 65.

& ſplendidis ſummæ dignitatis inſignibus honeſtauit: & tanquam ſponſam, clariſſimis in omni genere elegan monilibus & ornamentis excoluit. Ob idque iure optim nomen illi nouum impoſitum fuiſſe ait Dominus. *Seruis tem meis,* inquit, *imponetur nomen nouum.* Nomen nouum dici quod eſt recens, æternum, impollutum, ſimplex, & veru quod benedicetur in terra. *Non vocaberis vltra derelicta, & te ra tua non vocabitur amplius deſolata, ſed vocaberis voluntas mea ea.* Non amplius poſt tempus illud, aliquis te deſertam mere appellare audebit, vt olim, cùm vinculo legis adſtr cta, legem ipſam nefario auſu perfringebas. Neque etiam animorum cultus erit derelictus, vt olim, cùm terra tua quam omnibus maximarum virtutum officijs colere d buiſſes, erat immanium morum aſperitate vaſtata. Quo enim, cælitus tibi nomen impoſitum eſt, vt nouum & ma gnificum, ita manifeſtè ſignificat, omnem vitam tuam v luntate mea gubernari, neque in te cupiditatem tuam, ſe numinis mei imperium dominari: Quò circa fieri nulla modò poterit, vt à me, cui es ſanctiſſimi coniugij fœder ſempiterno copulata, vnquam diuellaris, aut terra tua me deſerta & contempta relinquatur. Cur nam hoc? Sa Plato diſertè docuit, quod Procopius, & Veteres Patres tr diderunt, Deum, inquam, cùm nomina imponit, res etiam nominibus ſignificatas elargiri. Nam Apoſtolos ſuos lu cem appellauit, effecit, vt & mundi lux eſſent. Simoni no mē petræ dedit, dedit & illi petræ ſoliditatem ac firmitu dinem, qua totam ædificij molem mirabiliter ſuſtineret Sic, cùm Eccleſiæ ſuæ dederit, vt non amplius derelicta d ceretur, dedit etiam, vt illi timendum non eſſet, nè ab op diuina desereretur, vt ea gratia deberet ignominiæ not inuri, atque fœdari: dedit, nè eam recordatio ſcelerum quæ olim ſub lege veteri in ſe admiſerat, conturbet; neq turpitudo, qua fuit contaminata, fiduciā illius confringat Eſt, enim, gratia diuina ita ab omni turpitudinis & flagiti contagione liberata, vt nullum in ea dedecoris veſtigium app

In Cratylo.

appareat. Adeò vt nec adoleſcentiæ turpiter actæ, nequè viduitatis ſuæ recordetur, quandò omnes dedecoris illius maculæ penitus deletæ ſint. Dominus, enim, qui eam ſibi, ſtabili atque ſempiterno matrimonio, copulauit, eſt is qui eam finxit & informauit, qui cùm ſit cælitum Imperator & Dominus, ita eam ab exitio redemit, vt non Iſraelem tantum, ſed omnes terrarum plagas benignitate ſua complecteretur, omneſq. tandem nationes illum Dominum appellent, maieſtatemque illius & imperium vereantur, & nutu atq. voluntate illius regantur. Quo fit, vt ſi temporis illius acerbitatẽ cum præſentis temporis felicitate compares, facilè intelligas, quàm fuerit illa moleſtia, præ hac gratiæ iucunditate, contemnenda. Nã tempus illud, quo à Deo deſerta fuit Synagoga, fuit breui ſpatio definitũ: At beneficia, quibus nunc Eccleſia recreatur atq. reficitur, ſunt maxima & ſempiterna. Exiguo quidẽ tempore, ſi cum miſericordiæ poſtea tributæ diuturnitate conferatur, à ſalute & dignitate populi illius antiqui auerſus fuit: at nunc Eccleſiam ſuam, populum Chriſtianum, clementia ſempiterna protegit Dominus, qui eam à peſte atq. pernicie vindicat, adeò vt nec portæ inferi aduerſus eam vnquam præualere poſſint. *Ecce, enim*, inquit Dominus, *ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationẽ ſeculi*. Montes quidem locum ſuum mutabũt; & colles à ſedibus ſuis emigrabunt: at miſericordia Domini nũquam ab Eccleſia ſua diſcedet, nec pacis illius fœdus, quodcum ea ſanxit, vllam vnquam mutationem ſuſcipiet: quoniã cũ dederit Eccleſiæ vt nouo nomine appelletur, dedit & illi certè, vt ſempiterno matrimonio Chriſto iũgatur. Nam pro eo quod noſter interpres dicit; *Sed vocaberis voluntas mea in ea. Et terra tua inhabitata, quia complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur*. Leo Caſtro Hebraici ſermonis peritiſſimus eleganter vertit. *Terra tua maritata, quia complacuit Domino in te, & terra tua maritabitur*. Verba enim hebræa vtrunque ſignificare putat, & maritari, & inhabitari. quod etiam Vatablus doctè aduertit. Vnde & ipſe tranſtulit; *Non dicetur tibi*

Eſa. 54.

Matth. c. 28

Eſa. cap. 54.

tibi vltra derelicta, neque terra tua dicetur vltra desolata: sed vo-
bunt te Hebsiba, & terram tuam Beula, quia Dominus propensus est
bi, & terra tua marito iuncta erit. Et ideò Augustinus, terrã tua
pro orbe terrarum interpretatur, quoniam septuaginta
ri vertunt οἰκουμένην quæ vox orbem terrarum signi
ficat. Ac si apertius dixisset, terram Ecclesiæ futuram, no
prouinciam vnam aliquam, vt olim Iudæa, sed totum te
rarum orbem Ecclesiam Catholicam occupaturam. Qu
cùm alijs locis sacræ scripturæ penè innumeris præsign
catum sit, apposite D. Hieronymus totum hunc locu
de spirituali Christi & Ecclesiæ matrimonio explana
mihi videtur. Ita vt vaticinium istud respondeat illi, qu
Osæas de Iudæis prædixerat; *Et dies multos expectabis me,*
non fornicaberis, & non eris viro, Hoc est, non adulterium q
dem suscipies; non solum, enim, simulacris non imme
bis, imo illorum mentionem perhorresces. Neque, rur
Deo coniuncta eris; illius enim, fidem nefariè prodes. In
rim tamen à Deo toleraberis, partim quidem, vt exemp
diuinæ seueritatis edito, doceas homines Dei iudicium
uereri; partim vt ex stirpe tua generentur illi, qui sunt
Deum toto corde reuersuri. Exul tamen & extorris va
beris sinè Rege, sinè sacerdotio, sinè vlla Religionis s
ctitate, sinè simulacris, ita vt neque vera, neque falsa r
gione te constrictam vllis signis sacris exhibeas, à Deo
men auersa eris, quandiu in impietate, perseuerabis, & t
erit tibi nomen, non populus meus, quo certè præse
temporis status in quo Iudæi miserè versantur appri
expositus mihi esse videtur.

Itaque, quemadmodum Vates Osæas prædicit Iudæ
sinè viro permansuram, quasi viduam sinè coniugis v
ita etiam Esaias vaticinatur Christi & Ecclesiæ cõiugiu
Non vocaberis vltra derelicta: sed, *quia complacuit Domino in te,*
ra tua inhabitabitur, hoc est, quia Dominus propensus est t
terra tua viro copulabitur. *Sponsabo*, enim, *te mihi in semp*
num, & sponsabo te mihi in iustitia & iudicio, & in misericordia &

Aug. lib. de vnit. Eccle. cap. 16.

Hieron. in Comment.

Oseæ cap. 3.

ſerationibus: ait Oſæas. Fœdus, ſanè, nõ eſt vulgare, priſcum, & obſoletum, in vmbris & imaginibus conſtitutum, ſed excellens atque diuinum, recenti beneficio, & præſente numine ſpiritus diuini ſancitum atque ſempiternum, & illud, denique, quo nihil cogitari potuit ad hominum mentes cum Deo conglutinandas efficacius. Eſt, enim, matrimonij fœdus ſanctiſſimum. Quod vt ſtabile foret & indiſſolubile, iuſtitiæ & miſericordiæ dote Eccleſiam ſuam Dominus locupletauit & ornauit. E iuſtitia iudicium exoritur; è miſericordia beneficiorum multitudo naſcitur. Qui, enim iuſtus eſt, ſemper rectum & æquabile ius adminiſtrabit, qui verò miſericors, beneficia, cum poterit, cumulatè præſtabit. Et ideò fit, vt cum iuſtitia iudicium; cum miſericordia benignitas & miſeratio coniungatur. Quam quidem gratam rerum omnium dotem Eccleſiæ ſuæ Dominus confecit, cum eam ſibi arctiſſimo matrimonij vinculo deuinxit. Nec enim, iuſtitiam obtinere, aut clementiam colere poſſemus, niſi is nos compotes tantarum diuitiarum, & tàm Regij ſtatus effeciſſet. Quia autem fides perfectæ iuſtitiæ radix eſt & origo, quam nè quidem adipiſci, niſi nos Deus ad credendum impuliſſet, vnquam potuiſſemus, idem adiunxit; *Et ſponſabo te mihi in fide: & ſcies quia ego Dominus*. Nemo, ſanè, vllis operum præcedentibus meritis locum aliquem in Repub. Dei comparare ſibi poteſt, nedum cum eo matrimonij fœdere copulari: ſed hoc totum ex vòcante Deo eſt, qui nos gratis propter Chriſtũ, & in familiam ſuam adoptauit, & in matrimonio ſtabili & certo collocauit. Patet, igitur aditus ad Dei ciuitatem, & ad iura matrimonij aſſequenda, per fidẽ in Ieſum Chriſtum. Per fidem, inquam, charitate, quæ eſt vinculum perfectionis, informatam. Charitatem, enim, vna cum fide in ipſa radice & fundamento iuſtificati hominis Apoſtolus Paulus conſtituit. Nam cum dixiſſet, *Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur, vt det vobis ſecundum diuitias gloriæ*

Oſæas cap. 2.

Ephe. 2. Tit. 1. Ro. 9. Iacobi 2.

Coloſ. 3.

Ephe. c. 3.

riæ suæ, virtutem corroborari per spiritum eius in interiorem homin[em], Christum habitare per fidem in cordibus vestris: mox declarans, talem fidem intelligere, in cuius non modo fructu, sed et radice charitas velut fundans iustificationem nostram esset continuo subiecit, *in charitate radicati & fundati, vt p[ossi]tis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitud[o], sublimitas, & profundum, scire etiam supereminentem charitatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Qui, enim, Chri[sti] nomen fidemque dederunt, cùm suo dono inhabitet Christus per fidem in cordibus eorum, non charitatem vel[ut] dei solius fructum (quod ineptissimè hæretici nostri te[m]poris existimant) proferunt, sed fundãtur radicesq. al[tis]simas agunt in charitate Dei, adeò vt fructus bonorum o[pe]rum, qui postea producuntur, non minus ex charita[te] quàm ex fidei radice & fundamento generentur. Ita[u]tem euenit, vt, fidelium familia, Dei Ecclesia Christi c[la]rissima sponsa, cum hac tam splendida dote summi Do[mi]ni matrimonium tenere perpetuò possit; & iustitiæ sp[len]dore, clementiæ benignitate, fidei puritate clara, illustr[is], sancta sit, & Deum cognoscat, in qua cognitione om[nia] bona sunt posita. Qui enim Dei cognitionem habent, [con]sequens est, vt iudicium illius vereantur, benignitatem [di]ligant, pulchritudinem admirentur, illum perpetuò [af]fectentur, & ardentissima charitate illius inflammen[tur]. Qui autem ad hunc modum sunt in studium cælestis [nu]minis inflammati, ita Deo coniuncti sunt, vt ab illius [con]suetudine, amicitia & societate, atque adeò matrim[onii] firmissima pactione, quandiu ea fides in suo statu ma[net], diuelli non possint. Quemadmodum, ergo, olim syn[a]ga dicebatur virum habere, quòd veram Dei cognitio[nem] suscepisset, & Dei cultum retineret; post Christum [...] tanquam vidua, sedet sine viro, idest, sine Deo, ob i[...] perfidiam & cæcitatem: ita sanè Ecclesia ex Gentibus quondam virum non habebat, post aduentum Saluat[oris] virum habeat. Cum enim Gentes sine veri Dei cogni[tione]

erant, steriles & sine viro dicebantur, quippe quæ nullos edebant fructus spirituales; recepta verò luce Euangelij, virum habere dicuntur à sacro Vate, & Deo maritatas: vnde apud Osæam inquit Dominus; *Vocabit me vir meus, & non vocabit me vltra Baalim.* Quid ita? Profectò, omnes olim, qui veræ religionis obliti, alijs sese religionibus impuris adstringebant, non ita mentis expertes erant, vt non viderent, diuinum numen, quod omnia coercet & continet, esse summa religione colendum; sed, execrandæ superstitionis scelere excæcati, eo prolapsi sunt, vt simulacro Baalis, quem sibi Deum adsciuerant, sacrificarent, eoque nomine vim diuinam significare minimè dubitarent. Non vocabit, inquit, me Ecclesia ex Gentibus collecta vltra Baalim, quem olim impij homines venerabantur, cum, sanctissimi numinis cognitione priuati, illius imperium aspernabantur. Baal autem dominum significat: apud Hebræos, autem, est, dominus meus. Magna itaque conditionis suæ, ait, mutatio fiet. Antea namque, falsa atque fallaci religione numen colendum susceperant gētes; at nunc casta & pura religione meum numen venerabuntur. Tunc dominum sibi imponebant, quem dies atque noctes metuerent; at nunc stabili atque sempiterno matrimonio mecum copulabuntur, vt me summo amore diligant. Tunc nomen Baal, id est autem, Dominus meus, in ore earum versabatur, at nūc, me virum suum perpetuò nominabunt, quod summi amoris nomen est. *Non enim accepistis,* inquit Paulus, *spiritum seruitutis iterum in timore sed accepistis spiritum adoptionis filiorum.* Osæas cap. 2. Rom c. 8.

CAP. IX.

IAm, igitur, contractis velis in eum, qui propè apparet, portum, in quem nostra tendit oratio, cursum dirigamus. Rempub. & Ciuitatem suam Christus Dei filius Saluator noster ædificaturus, nomen illi nouum imponit, non inane, non sine causa, non superuacaneum, sed gloriæ amplitudine & summa pietate decoratum. Appellauit, enim, eam, Ecclesiam, non quæ propria duceretur cupiditate, sed quæ diuini numinis sui nutu regeretur, quæque diuinæ voluntate-

luntatis cultrix esset, & illius imperio summo studio pa-
reret & obsequeretur, ac denique sempiterno parenti, &
Christo Domino filio eius dicata esset: cuius imbuta præ-
ceptis,& disciplinæ sanctissimæ documentis instituta illi-
1.Ioan.c. 2. semper sequeretur vestigia. *Qui enim,* præclarè Ioannes, *di-*
se in Christo manere,debet sicut ille ambulauit,& ipse ambulare. Hæ
autem summa religio est, quæ, ad constituendam ciui-
tem & Rempub. sempiternis seculis duraturam, exopta-
posset. Vnde Clemens Alexandrinus, pietatem esse, dic-
& religionem ac Dei cultum scire,quomodo vtendum,
ciendum, simulque laborandum sit,vt per rationem, qua-
si per pontificem, quæ iusta sunt & honesta dignoscente
ea Deo offeramus. Sic enim ille, si græca rectè expenda-
tur,inquit. *Fieri non potest,indoctum, quamdiu indoctus est, phi-*
Clem. lib.2. Stroma. *phari, cum sapientiæ vim non perceperit; & philosophia sit appe-*
verè entis, & quæ ad hoc referuntur scientiarum. Et quamuis in re-
agendo se aliqui exercuerint,scire tamen,quomodo vtendum, facien-
simulque laborandum sit, in quo quis Deo fit similis,Deo inquam Salu-
ri, Deum vniuersorum colens,per rationem, quasi pontificem; qua-
quæ verè honesta & iusta sunt,perspicimus,pietas est, quæ sequens
actio & assecla Dei. Pietas autem, ac religio, seu verus D
cultus à Deo donatur Spiritus diuini afflatu. Fides ve-
gratia dicitur, quòd nullis nostris præcedentibus operi-
& meritis à Deo nobis munificè concedatur, & ea gra-
accepta, & lauacri sigillo obsignata nos iustos, Deoq
gratos,& acceptos reddat. Cum,enim,fidei lumine ad
sequendum Deo feramur, diuinæ illius voluntatis arca
certo cognoscimus.Quod Clemens dixit: *Est donum doctri-*
Gal.c.5. Iacobi c.2. *pietatis,gratia quoque fides. facientes, enim, Dei voluntatem in-*
voluntatis cognitionem venimus. Religionis, igitur, & pieta-
fundamentum est fides. Ea demum fides salutem affe-
quæ viua est, & per dilectionem operatur: Fides, enim
sine operibus mortua est. Quo fit vt ad sempiternam s-
lutem consequendam, nequaquam satis esse credatur,
de præditum esse, & Deum nosse, nisi eius præceptis f

reas, & vitam ita instituas, vt à ratione nõ discrepes. Non enim, ideò Paulus inquit, Abrahamum iustitiam consequutum fuisse apud Deum ex fide, non autem ex operibus, quòd Abrahamus in operibus pietatis se minus exercuerit; præclaris siquidem, & eximijs virtutum operibus affluxit, &, qui in Dei amicitiam receptus fuerat, omnes neruos animi contendit, quoad vitam duxit, vt quæ à Deo essent imperata, efficeret: sed quòd ex fide omnia opera ad voluntatem summi Dei administrauerit, & fide stimulatus ad Dei voluntatem omnia studia sua direxerit, alioqui citra fidem ad vitam æternam planè inutilia. Opera enim moralia, quæ proficiscuntur à natura, vel ab institutis philosophiæ, ad ciuilem quidem prosunt societatem, & ad hominum inter se officia ac commercia: ad Regnum autem cælorum, & ad supernam felicitatem ea conducunt, quæ fides gremio & complexu suo continet, & ex illius sunt fæcunditate generata, quippe quæ Deus diuina sua munit gratia. Oportet, itaque, fidem in Deum suscipere, & illius præcepta & iussa seruare, vt eum tanquam scopum tibi proponas, in quem omnes tuas actiones dirigas, & quo fruendi, qui est vita æterna, perpetuo tenearis desiderio. Non ita quidem, vt, cum eum fueris assequutus, credas te carnalibus explendum delicijs & voluptatibus: appeteres enim rem Deo prorsus indignam, & eius sapientiæ, ac bonitati minimè conuenientem. Nam, vt Deus est spiritualis, ita etiam, spirituale esse oportet eius desiderium. Quinimo, nec etiam in Dei, quæ appetitur, consequutione & visione licet temporale aliquid apprehendere. Deus, enim, ipsum diligentibus, bona promisit, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit. In quo perperam decepti Chiliastæ, post resurrectionem se mille annos affluentes bonis & delicijs esse victuros existimarunt. *A seculo, enim, non audierunt*, (inquit Esaias, quod & Paulus eleganti oratione prosequitur) *neque auribus perceperunt, oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te*. Hoc est: Esa.c. 64. 1.Cor.c.2.

Dici,

Dici,ò ſumme Deus,non poteſt, tibi minimè curæ eſſe ſ
lutem atque dignitatem, eorum, qui omnia præſidia vi
habent in tua fide & benignitate conſtituta. Non enim p
tuit vnquam quiſque vel auribus accipere, vel oculis vi
pare, vel denique mentis aſpectu comprehendere, te vn
qui ea paras, excepto, magnitudinem bonorũ cæleſtiu
quæ feciſti, vt illis ea concederes, quæ in te vnum reſpici
& in tua clementia omnem rerum ſuarum ſpem co
cant, & in fide tui ſanctiſſimi nominis acquieſcunt. T
tum autem abeſt, vt in aliquo alio, præter te, ſalus no
conſiſtat, vt nemo, vel cogitando, ſuſpicari poſſit, qu
ſint opes à te reconditæ, vt illis largiaris, qui in fide t
permanent, tuamque benignitatem amore pio, & grat
ma voluntate proſequuntur. Et ideo Clemens Alexan
nus diſertè mihi videtur dixiſſe, Dei cognitionis funda
tum eſſe, vitæ æternæ appetitum deiectum in agrum
Lib.1.Pedag.c.1. ritualem. Dei enim oportet æternum eſſe deſiderium, n
hil verò carnale, terreſtre, & craſſum eſt de Deo concipi
dum, ſed quod ſola percipit intelligentia. Eſt itaque
des, religionis ac pietatis fundamentum. Fides, inqua
in Chriſtum. Chriſtus autem Ieſus eſt *lapis angularis, in*
Ephe.c.2. *omnis ædificatio creſcit in templum ſanctum in Domino*; quod eſt
cleſia à Chriſto ſupra Petrum Apoſtolorum Coryphæu
inſtar firmiſſimæ rupis, ædificata: cui & nomen etiam
uum impoſuit, nomen, inquam, petræ, ſeu ſaxi, ob fir
tudinem & ſoliditatem fidei, qua afflante diuino ſpiri
Chriſtum filium Dei, & humani generis ſaluatorem c
conſtanter aſſeruit.

Lib.2. Stromat. Hinc religio, (quæ Græcè θεοσέβεια dicitur, id eſt, Dei c
tus) à Clemente Alexandrino, initium ſapientiæ con
tuitur. Cum enim ſapientia ſit poſtulanda à Deo, non
ſitando in fide, ſine qua non eſt religio, nec verus Dei c
tus efficitur profectò, vt rectè dicatur religio initium
Pſal.110. pientiæ. Nam & Regius Vates, *Initium ſapientiæ, timorem*
mini eſſe dixit. Quid enim? Certè ſapientia nõ videtur, in
tia

tu, & ſupplicis atque abiecti animi perturbatione qua-
dam,ſed in altitudine mentis, ſupera omnia (quod fas eſt)
clare cernente,conſtituenda. Verum.Sed ea mentis altitu-
do nunquam eminere poterit , niſi metus diuinæ Maieſta-
tis antecedat.Dum,enim,apud animum libidinis ſtudium
viget, dum cupiditas imperium tenet , dum peſtiferi mor-
bi dominantur;non poteſt mens huiuſmodi malis obſeſſa,
& vitiorum vinculis impedita,è tenebris emergere , vt cæ-
leſtia, atque diuina , ſuſpiciat. At hos morbos omnes, me-
tus Domini facilè depellit. Reſecat,enim , libidinem refre-
nat cupiditatem , coercet intemperantiam , animi tumo-
rem & inſolentiam comprimit,omnia denique animorum
vulnera ſanat,nè quidquam reſideat in illis, quod contem
plationi veritatis officiat . Tunc igitur, illi,qui ſanitatem
recipit.lux cæleſtis exoritur; ea, quæ latebant , repentè di-
luceſcunt; mens inſolito ſplendore ſtupet ; & , quo magis
ad cæli conſpectum erigitur,eo magis res diuinas,quas an-
tea minimè videbat,admiratur;& lætius in fructu tam præ
claræ cognitionis exultat . Ergo , cum nullo modo ad ſa-
pientiam peruenire potuiſſet , niſi primum omnes motus
animi,quibus in diuerſas partes iactabatur,Dei metu com
preſſiſſet rectiſſimè dicitur ſapientiæ fundamentum Dei
metu contineri . Nam & ſalutarem medicinam peſtiferis
morbis adhibere, non mediocris ſapientiæ eſt : & animus
morbis liberatus , facilè omnia munera ſapientiæ ſummæ
conſequitur . Sapientia namque , non eſt humanæ ratio-
nis inuentum,ſed clementiæ Diuinæ beneficium . At Do-
minus illis,qui ſancti metus ſtimulis in ſtudium legis inci-
tantur,& diuinis iuſsis libenter obſequuntur;bonam men-
tem ingerit qua humana contemnant , & ad diuina totis
viribus enitantur , arcanaque multa diuino ſpiritu perci-
piant, ad quæ humanæ mentes , ſine ipſius ſpiritus ductu ,
adſpirare non poſsunt . Quo fit , vt rectè Clemens dixe-
rit , Religionem eſſe initium ſapientiæ , cum eò clarius pij
homines illuſtrentur,maioreſque in dies progreſſus in Di-
uinorum

uinorum arcanorum cognitione faciant, quo magis in studio pietatis elaborauerint, & maiorem operam dederint, vt omnia, quæ Dominus præscripsit, efficiant. Non enim, Deus, qui sapientiæ author est, rectè colitur, nisi ab ijs, qui religiosè quidem verentur in eum delinquere. Hi, enim, vt Deum ament, & seipsos religiosa pietate illi acceptos referant, necesse est. Quod alibi, quàm intra veræ Christi Ec-

Zach. c.8. & 9. Esa.c.2. Mich.c.4.

clesiæ limites, minimè accidit. Vnde Zacharias propheta præuidens, quod ab Esaia quoque & Michæa prædictum est, non vnum, sed multos populos appulsu Diuini spiritus excitandos esse, vt ad Deum supplices accederent, cum Gentium conuersionem & ardorem mentis luculenter explicauisset, quo se mutuo cohortabantur, vt, abiectis simulacris, verum Deum castè & purè venerarentur, earundem multitudinem, & virtutis vim & magnitudinem, & religionis ardorem, quo erant inflammandæ ob oculos posuit; & simul inquit, fore certum & constitutum omnibus, qui ex Gentibus fuerint ad Deum conuersi, frustra Deum extra Ecclesiam quæri. Hæc est, enim Hierusalem cælestis, in qua templi sanctitas inuiolata permanet; vbi verissimæ religionis studium semper viget; vbi sacrificia sanctissima, ab omnibus, qui fide vitam instituunt, offeruntur. Nec enim, alibi qui vitam charam habent, & spiritus sancti disciplinis instructi sunt se posse litare confidunt. *Et venient*, inquit, *populi multi, & gentes robustæ ad quærendum Dominum exercituum in Hierusalem, & deprecandam faciem Domini.* Non pauci, certè, aut ignobiles, & impotentes, sed populi multi & gentes robustæ, gentes, inquam, quæ armis imperium comparauerant, & alijs subdi turpæ existimabant, sponte se Euangelij legibus subiecerunt. *Hæc*, enim, *dicit Dominus exercituum, in diebus illis in quibus appræhendent decem homines ex omnibus linguis gentium, & apprehendent fimbriam Iudæi, dicentes, ibimus vobiscum: audiuimus, enim, quod Deus vobiscum est.*

Gen. c.31. Leuit.c.26. Iob c.19. & alibi

Numero denario (inquit Cyrillus) perfectio, seu multitudo in diuina scriptura solet significari. Decem ergo homines

nes multi homines ſunt, qui ad virum vnum Iudæum aggregabuntur, dicentes: te ſectabimur, audiuimus enim, penes vos Dominum eſſe. Hoc autem, tunc viſum fuit, cum Chriſti diſcipuli ex Iudæorum gente electi, ab eo miſsi fuerunt, vt Euangelij diſciplinam cunctis nationibus traderent. Multi enim, ex Gentibus alieniſsimis qui fuerant à ſtudio diuinæ legis abhorrentes, ita commutati ſunt, vt vnum virum Iudæum, Petrum, videlicet, aut Paulum, aut Barnabam, aut quemuis alium, ex viris illis qui primos ſpiritus ſancti fructus Chriſti beneficio perceperunt, & lucem cunctis mortalibus afferebant, circumſiſterent, & ab eo ſummo ſtudio contenderent, vt eos ad cognitionem diuini numinis perducerēt. Quorum certe diſciplinis exculti, deos Gentium dæmonia eſſe intelligentes, ciues ſanctæ ciuitatis effecti ſunt, & iuſtitiæ oblationes, laudiſquè victimas obtulerunt. Et quoniam Iudæi non ſoli Apoſtoli, aut alij ex eadem gēte dicuntur, ſed quiſquis Chriſtum confitetur, etiam ſi ex Gentibus ſit, (ſic enim Paulus & Ioannes docuere) quoties Gentes poſthabitis idololatriæ erroribus ad Chriſtianorum prædicationem, fidem & diſciplinam Chriſti ſuſcipientes cæleſtis Hieruſalem ciues efficiuntur, hoc vaticinium reipſa expletur.

Ita Hieron. & Cyrillus.

Rom.c.2. Ad Philippen.c.3. Apoc.c.2.

Imperium igitur, Chriſti in cunctis gentibus dilatatum eſt, & regio ſancta terminis latè prorogatis, non armis humanis, ſed diuina ſapientia amplificata eſt. *Erit enim repleta terra ſcientia Domini, tamquam aquis maris operientis.* prædixit Eſaias. Nam homines crudeles & inhumani, adeoq. moribus efferati, vt, quemadmodum lupi atque leones, & reliquæ truculentæ belluæ, ouium gregibus & armentis interitum moliuntur, ita illi, ſanguinem perpetuò ſitierunt, omnesq. animi conatus ad tenuiorum hominum perniciem comparauerunt, vbi primum eos Chriſti ſpiritus afflauit, fuerunt repentè mites atque manſueti, ſeſeq, ad homines humiles aggregarunt, humanamq. ſocietatem ſingulari fide atque ſanctimonia coluerunt. Et, quod maiori admiratione

Eſa.c. 11.

tione dignissimum est, summi Principes eodem cum infima plebe iure deuinciri sustinuerunt: seq. simul omnes ad ductum hominis inopis & puerili simplicitate præditi libenter applicauerunt, illiusq. præcepta & monita sequuti, authoritatemq. veriti sunt, quem viderunt Christi gregi esse præpositum. Cur ita? quia terra vniuersa, in qua Christi spiritus institit, fuit Dei notitia, quasi fluctibus maris operta. *Emath quoque* ait Zacharias, *in terminis eius, & Tyrus & Sidon. assumpserunt quippe sibi sapientiam valde*. Propterea, igitur, regiones illæ, quæ fuerant à diuinis placitis auersæ, á Deo receptæ sunt, vt diuina gloria affluerent, quòd sapientia magna præditæ. Nam per Christi disciplinam Dei mirabilem cognitionem ceperant. Populus autem Dei, non corporis habitu, sed sapientiæ cultu distinguitur. Sapientia porro in Dei notitia consistit. Hæc autem dono fidei cælitus infusæ comparatur. Cum ergo in sola vera Christi Ecclesia reperiatur syncera fides illa, quæ donum Dei est, qua Deus Pater, & vnigenitus filius eius qui, vt è diaboli captiuitate, qua miseri tenebamur, nos eriperet, humanā sibi naturā copulauit, nec non Spiritus sanctus, vtriusque amor, cognoscitur; efficaciter profectò colligimus, in sola Christi Ecclesia, veram esse religionem, verumque Dei cultum: quippe qui extra illam nec rectè credatur, nec ritè, vt eius decet maiestatem, colatur. Qui enim Dei cognitione non est præditus, profectò, Deum non amat; qui autem Deum non amat, is Deum non colit, vt eius maiestatis, & dignitatis amplitudo postulat. Quo fit, vt sola Christi Ecclesia vera (quam nos totis decem libris, eam esse ostendimus, cui Petri successor, Christi Vicarius Romanus Pontifex præest cælitus accepta potestate) ea ciuitas sit; quam Dei filius ædificauit, quæque nouo nomine ab Esaia prænunciato diuinitus donata, non propria libidine, & cupiditate, sed Dei voluntate regitur. Ergo, cum Deus sit rerum omnium Dominus, & cælestium donorum liberalissimus munificentissimusque largitor; & cum

Zach.c.9.

cùm amicitias summa fide conseruet, & matrimonij sanctitatem constantissima ratione tueatur; & cùm amicitiæ lex, & matrimonii fœdus, præscribat; vt non modò nihil habeat amicus, aut maritus, ab amici, aut vxoris vsu, & vtilitate seiunctum; verum etiam vt, cùm amici, tùm coniuges, maxima sint amoris cõspiratione cõsentientes: efficitur proculdubio, vt in Ecclesia Catholica, quæ Deo fide in Iesum Christum filium eius, & reliquis virtutibus, quæ ex fide ortum habent, adiuncta est, & matrimonij iure copulata, semper vigeat Dei studium, nunquamque in ea intermittatur Dei amor, & charitas: sed potius Dei præcepta perpetuò in illa obseruentur; diuina mysteria & sacramenta ab vnigenito Dei filio instituta ritè administrentur, atque, prout fieri potest, fideliter dispensentur. Hæc autem summa, & vera religio est.

CAP. X.

EST, autem, vsque adeò cum Religione coniunctum sacrificium, vt is ipse Dei filius ciuitatis huius exædificator, ne hoc honoris, & laudis insigne Reipub. suæ deesse videretur, & sacra instituerit, & Sacerdotes, ac ministros crearit, qui sacra facerent. Nec iniuria quidem. Cùm enim omnis Religio, quæcunque illa vnquam fuerit, siue vera, siue falsa, semper ad cultum Dei sacrificia adhibuerit, proculdubio, tantam esse apparet inter Religionem, & externum sacrificium connexionem, vt, aut Religionem in Repub. verè & propriè non esse, aut sacrificium externum in ea reperiri, omninò necesse sit. Nam & apud ethnicos scriptores legimus, Gentium Deos induci tanquam suauiter odorantes sacrificia, eorumque nidore gaudentes. Vnde Plato refert ex Homero, Troianos, cùm suburbanũ ædificium molirentur, dicasse Dijs pretiosa sacrificia boum; nidorem verò ex campo suauem ad cælum vsque ventis esse sublatum. Et Lucianus Iouem inducit sic loquentem: Obliti sumus eius viri, qui tot taurorum, & caprarum adipes nobis posuit in aris, vt etiam nunc eorum nidorem in naribus habeam. Quod cùm iam inde ab Orbe condito,

In Alcibiade.2.

Luci. in Timone.

G morta-

mortalium omnium vſu & conſuetudine probatum ſit, proculdubiò, ſacra Deo facere, non humanum fuiſſe inuẽtum, ſed ex lumine & inſtinctu naturæ ortum, exiſtimandum eſt, ac primum quoddam principium à Deo nobis ingenitum. Qua in re turpiter Caluinus erraſſe mihi videtur, cùm aſſeruerit, non ex bono naturæ, ſed ex illius corruptione, quæ radix eſt omnium ſuperſtitionum, hunc inſtinctũ prodijſſe. Nam etſi natura corrupta idololatriæ, ac ſuperſtitionum omnium fons & origo reuerà fuerit: illud tamen penes ſapientes omnes certiſſimum eſt, quæ communi omnium gentium conſenſu tradita, & conſuetudine probata ſunt, ea, non ex corruptione naturæ, ſed ex eo lumine, quod Deus illi inſeruit, oriri: quippe cùm ſi ex corruptione naturæ prodirent, non eadem apud omnes futura eſſent. Quibus adde, ea, quæ ex corrupta natura oriuntur, nec communia eſſe probis, & improbis hominibus, neque à Deo vnquam probari: cùm tamen & plerique ſanctiſſimi viri, Deo hoſtias & victimas offerendas eſſe, cenſuerint; & Deus ipſe non modo eas commendauerit, ſed etiam, vt offerrentur, ſtrictè præceperit. Adeò, certè, vt ſi rem attentis animis conſideremns, & ſacrificium cum Religione ortum, & cum illa omninò extingui neceſſariò fatendum ſit: vſque adeò enim eſt cum Religione coniunctum ſacrificium.

Gen. cap. 4. Hinc primi homines, qui Deum coluerunt, Cain, & Abel, Adami filij, illi ſacrificia obtuliſſe dicuntur. Mundo autem aquis diluuij ſubmerſo, cùm iterum Noes, qui noui Orbis pater dictus eſt, de inſtauranda religione cogitaret, ne filij eius priſtino Dei cultu diutius orbarentur, ſacrifi-

Gen. cap. 8. cia renouare cæpit. *Aedificauit autem Noe altare Domino: & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare.* Ecce tibi clariſſimum grati, & pij erga Deum animi ſpecimen. Statim vt egreſſus arca eſt Noes, ante omnia ſtudet exequi quod ad cultum Dei pertinet: memorque quanto Dei beneficio affectus eſſet, diluuij clade, alioqui

inuita-

ineuitabili, liberatus, quàm primum religionis, & cultus diuini officia, atq. opera exequitur. Inter ea, verò, quæ ad exteriorem Dei cultum ſpectant, primas tenet ſacrificium: hoc quippe vni ſoli Deo competit. Inter ſacrificia verò, principatum tenet holocauſtum, quamobrem Noes, ædificato altari, de mundis animalibus holocauſta Deo obtulit: quod certè genus diuini cultus, vel Maiorum ſuorum traditione, vel expreſſa Dei reuelatione, aut tacito Dei inſtinctu, cognouiſſe Noes rectè creditur. Qui, (neque, enim, hoc præterire fas eſt) cùm aliàs nihil niſi monitu, & iuſſu Dei feciſſe legatur, non iuſſus, nec monitus à Deo, altare ædificauit, & obtulit holocauſta. Sanè, inquit Ambroſius, quia non debuit Dominus, quaſi auarus mercedem gratiæ poſtulare. Et iuſtus eam intellexit veram actionem gratiarum eſſe, quæ non iuberetur, ſed deferretur. Itaque, nec dilationem paſſus eſt. Etenim grati animi virtus, paſſionem dubitationis excludit: Qui autem debitum gratiæ vt à ſe exigatur expectat, ingratus eſt. Nec vacat, quòd ædificaſſe dicitur altare, non Domino, ſed Deo, ne coacta illa videretur fuiſſe gratiarum actio, quaſi Domino: ſed virtus iuſti morigera, & grata quaſi Deo. Ideo quod Imperij eſt, ſegregauit, quod beneficij, nominauit. Quam gratum autem, & acceptum Deo fuerit ſacrificium Noæ, luculenter declarauit Moſes, inquiens, *Odoratuſque eſt Dominus odorem ſuauitatis*. Id eſt, tanquam odorem ſuauiſſimum. Paraphraſis Chaldaica habet. *Suſcepit Dominus in beneplacito ſuo oblationem eius:* Delectatur, enim, Deus ſacrificiis piorum hominum. Verùm, *quæ iucunditas*, (inquit Tertullianus) *ſiue viſcerum veruecinorum, ſiue nidoris ardentium victimarum eſſe poteſt? Animus certè ſimplex & Deum metuens offerentium ea, quæ à Deo habebant, & pabuli & ſuauis olentiæ gratia apud Deum deputabatur, non quæ fiebant exigentis, ſed illud, propter quod fiebant, ob honorem ſcilicet Dei*. Non igitur munerum magnitudinem ac præſtantiam, ſed offerentium pietatem ac religionem iiſdem muneribus teſtatam æſtimat Deus. Vnde cùm

Amb. lib. de Noe & arca cap. 22.

Tertul. libr. 2. aduer. Marcio.

multiplices hostias & victimas olim institueret in lege veteri, quò populū pronum in idololatriam & transgressionem, eiusmodi officiis religioni suæ astringeret, sibi iubens fieri quasi desiderāti, ne simulachris faciendis delinqueret, holocaustum totum comburebatur, quòd esset peculiariter institutum, ad obtestandum, maiestatem & bonitatem diuinam omninò dignam esse, quam flagrantissimo amore homo prosequatur, se totum Deo dedens, sicut totum animal ignis absumebat. Siue, igitur, holocaustum, siue sacrificium pro peccato, siue pacificam hostiam pro suscepto, vel suscipiēdo beneficio spectes, cùm omnia illa Christum adumbrauerint, profectò Deus, se piorum sacrificiis, siue sub Naturæ lege, siue sub veteri testamento sibi oblatis, maximè oblectari, apertè significasse mihi visus est, quoties flammam cælitus emisit, quæ oblata corriperet & absumeret. Sic enim Dominus creditur respexisse ad Abelem & ad munera eius: sic ascendit ignis de petra, & carnes, atque azimos panes Gedeonis adussit: sic ad Salomonis preces ignis de cælo descendit, & deuorauit holocausta & victimas. Helias erexit altare in nomine Domini, dissecuit in membra bouem, & disposuit super ligna, ac fudit aquam ter; cùmque iam tempus esset, vt offerretur holocaustum, vt ignem de cælo eliceret, orauit Dominum, protinusque cecidit ignis, & vorauit holocaustum.

Gen. c. 4. *Iudic. c. 6.* *2. Paral. c. 7.* *3. Reg. c. 18.*

Sed eo iam, vnde digressi sumus, nostra redeat oratio. Cùm primùm Noes studium Religionis, animo quidem suo contentum, & Dei amore tepefactum, nunquam intermissum, à primaque adolescentia cultum, & semper auctum rursus summa pietate reuocare cæpit, eam sua virtute dignissimam suscepit cogitationem, vt non modò pro suscepto beneficio in gratiarum actionem proruperit; verùm etiam Numen diuinum scelere violatum sacrificiis & hostiis placauerit, & in postremum omne tempus infirmitati, ac fragilitati humanæ iratum reconciliauerit; (sic enim, disertè Cyrillus) illiusque maiestatem precatus fuerit,

rit, nè iterum vna ſententia in totum ſæuiat humanum genus, qua, denuò, exitiali diluuio vniuerſi abſorbeātur mortales. Cuius voto, placatus annuens, & ita ſtatuens, benigniſſimus Deus reſpondit: *nequaquam vltra maledicam terræ.* Gen. c. 8.
Vides, vt cum Religione ſacrificium iunctum ſit? Quid, quòd Iudæis nihil exactius, & ſtrictius præcipiebatur, quàm legitima paſchalis ſolennitas? At paſcha ſacrificium dicebatur. Sed, & qui Iudæos affligere, aut illorum Rempub. diuexare, & perturbare nitebantur, paſchales cærimonias corrumpebant. Nihil verò prius, aut potius curabant, quàm legitimos ritus, celebrandi paſchæ, qui collapſum Reipub. Iudaicæ ſtatum in integrum reſtituebant, tanquam ab hoc feſto potiſsima pars illius Religionis penderet: Sic enim, legitur in hiſtoria Ezechiæ, Ioziæ, Eſdræ, & Machabęorum. Ezechiel, quoque cùm vaticinaretur de reparatione ſtatus Iudaici, paſchæ meminit, quòd certè, ſine ſacrificio Religio nulla extare poſsit. Quocirca ſacri vates, cum ob varias perſecutiones vera Religio in diſcrimine verſabatur, nihil æquè, ac ſacrificiorum ceſſationem, lachrimis proſequebantur. Nam Helias inquit; *Dereliquerunt pactum tuum filij Iſrael, altaria tua deſtruxerunt, prophetas tuos occiderunt.* Et Azarias apud Danielem, *Non eſt*, inquit; *in tempore hoc propheta, neque holocauſtum, neque ſacrificium, neque incenſum, neque locus primitiarum coram te, vt poſſimus inuenire miſericordiam tuam.* Etenim ciuitate, ac templo Hieroſolymitano combuſto & exciſo, Nabuſardan princeps militiæ Regis Nabuchodonoſor, omnes Iudæos qui reliqui fuerant, Babylonem tranſtulit, vt apertè narrat Hieremias. Quo factum eſt, vt nulli tunc eſsent Iudæi, qui in loco templi Hieroſolymitani ſacra facerent, & quæ erant Moſaicæ religionis ad Dei cultum ſpectantia, ritè peragerent. Denique, apud Danielem dicitur Antichriſtus ablaturus iuge ſacrificium, quò Chriſti Religionem omninò tollat è medio. Tunc, namque, quos prius quidem odio inſectabitur, & afflictationibus conficere conabitur, Chriſtianos atrociſsimè perſe-

lib. 2 Paral. c. 30. & 35. lib. 1. Eſdræ c. 6. Ezech. c. 45.

lib 3. Reg. c. 19.

Dani. c. 3.

Hiere. c. 52.

Dan. c. 12.

perſequetur, vniuerſi penè orbis imperium tenens. Hoc ſiquidem modo Chriſti Religionem & inſtitutum ſanctiſſimum ſe omninò euerſurum ſperabit; cùm ſine ſacrificio Religio nulla extare poſſit.

CAP. XI. QVamobrem, cùm ciuitatem Dei in terris, conſtruere ſempiternis ſœculis duraturam Chriſtus Ieſus Saluator noſter conſtituiſſet, in qua Numen diuinum ritè coleretur, certè vt ſacra inſtitueret, quibus Deus hominum flagitiis læſus facilè placaretur, & cultus ipſius in gradu ſuo perſiſteret, maximè opus fuit. Quæ omnia ſi oratione ſigillatim percurrere vellem, pergratum quidē, perque iucundum laborem mihi ſumerem, ſed inſtituto noſtro parum neceſſarium; cùm nihil in ciuitate ſanctorum eſſe poſſit, quod ſacroſanctum non ſit. De ſummo ergo genere ſacrorum, tantum, hoc eſt, de ſacrificio publico Miſſæ, quo ciuitatem ſuam cohoneſtauit, & tanquam firmiſſimo præſidio, muniuit, ſermonem inſtituamus.

Neceſſarium itaque fuit, vt Dei ciuitas, & Chriſtianorum Politia proprio ſacrificio exornaretur, cùm omnis Reſpub. ſiue Naturæ legem, ſiue ſcriptam ſpectes, Sacrificiis, Sacerdotibus, & Legibus fundata, ſarta & tecta cōſeruata fuerit. Hoc enim, Abelis, Noæ, Abrahami, & Iſaaci, & Iacobi ſacrificia præ ſe ferunt; quorum recordationem, non inconſultè, Eccleſia fieri voluit, quòd Sacrificij noſtri prognoſtica eſſent. Scriptæ etiam legis totum negocium in ſacrificiis & victimis immolandis verſabatur, ex Domini præſcripto. Tunc ſic; Chriſtus Saluator noſter non omninò ſuſtulit ea, quæ Deus ſub vetere teſtamento degentibus ſeruare præceperat, ſed aut ea ad perfectionem reduxit, aut quibuſdam aliis præſtantioribus, & amplioris dignitatis ac virtutis commutauit: ne vel ſibi, vel Sempiterno ſuo Parenti, cum quo Deus vnus eſt, contrarius eſſe videretur. Quod enim ad præcepta veteris legis attinet, ea nequaquā ſuſtulit, ſed explicauit potius, & cōſiliis, quæ ad præceptorum exactam obſeruationem maximè conducūt, illuſtrauit

In Cano. Miſſæ.

uit

uit, ac locupletauit. Pro circuncisionis, Paschæ, alijsque huiusmodi Sacramẽtis, quædam quæ propriam, & veram sacramenti rationem, & virtutem continent, pauciora quidem, faciliora, & præstantiora (vt inquit Augustinus) Ecclesiæ & ciuitati suæ substituit. Debuit ergo pari ratione, sacrificia non omninò de medio tollere, sed alijs commutare.

Aug. epist. 118.

Rursus, quis inficiabitur, sacrificium esse summum cultum, qui Deo tribui possit? Certè extra omnem controuersiam est, res verbis præstare; sacras profanis, publicas priuatis: eas, quarum ipsa natura in Dei honorem consumitur, illis quarum tantùm vsus habetur; cuiusmodi, profectò, est sacrificium propriè dictum. Cùm ergo, hoc diuini cultus genus in veteri lege institutum fuerit, operæ pretium erat, Christum, cui Sempiterni Parentis gloria summæ semper curæ fuit, in Ecclesia à se apprimè fundata, sacrificium aliquod publicum, & externum instituere, quo hi, qui diuini cultus studio tenerentur, eique fidem, & nomen darent, pro susceptis beneficijs gratias agerent. Deũ peccatis læsum placarent, & Diuinam Maiestatem protestarentur. At sublato sacrificio Missæ, nullum restat in Ecclesia Christi sacrificium externum & propriè dictum; ergo aut in Christi Ecclesia Religio nulla, nullus diuini Numinis cultus est, aut in Missa verum sacrificium Deo offertur; adeò est cum Religione coniunctum sacrificium.

Lubet autem hoc loco, quod Stanislaus Socolouius vir & pietate, & doctrina clarus obseruauit, consultò addere, tantum esse inter Græcos Patres, & Latinos consensum hac in re, vt cùm illi, & tota vetustas non vno, nec eodem nomine sacrificiũ altaris ornarint, & explicauerint, à ratione tamẽ veri sacrificij, hostiæ, & oblationis, ac summi mysterij, ea in re pertractanda, & illustranda, nullus deflexerit. Nunc enim communissimo, eoque vsitatissimo λειτουργίας nomine vtuntur, quam Strabo δημοσίαν ὑπηρεσίαν, hoc est, publicum muneris ministerium, & functionem interpre-

In annotationib. Censuræ oriental. c. 13.

terpre-

terpretatur; Nam Isocrates dicere solebat, Magistratuum functiones λειτουργίας non ἐργασίας, hoc est, ministeria, non quæstus faciēdi artes esse. In re sacra primus hoc vocabulo vsus est sacer Euāgelista Lucas, ὡς ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τῆς λειτουργίας, completi sunt dies ministerij eius; hoc est sacrificij, quod in vice sua obibat Zacharias. Et in Actis Apostolorum inquit idem, λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ καὶ νηστευόντων, quod quidam interpretatur, cum illi sacrificauerūt Domino, & ieiunarunt; quo deinceps vocabulo omnes alij scriptores in hoc mysterio sunt vsi. Nunc ἱερουργίαν, hoc est, sacram operationem vocant, quo nomine B. Ignatius Apostolicis temporibus proximus vti solet. Nunc; μυσταγωγίας quasi summi mysterij nomine vtuntur: quo nomine Gregorius Nazianzenus delectatur. Nūc τελετῆς, idest sūmæ cærimoniæ, quomodo Synesius τελετὴν, ἀπόρρητον, hoc est, arcanum mysterium, hoc sacrum appellauit. Inde Lucianus eam ob causam Saluatorem nostrum cruci affixum fuisse dicit, quod nouam in Palęstina τελετήν, hoc est. ritum & sacrificium constituerit. Hinc Christum τελεστάρχην, primum tanti mysterij conditorem magnus Dionysius appellare; ipsum autem sacrificium τελετὴν τελετῶν, quasi cærimoniam cærimoniarum, absolutissimumque ritum & sacramentum nominare solet. Vocant item προσφοράν, hoc est, oblationem; quo nomine & si ipsa dona aliquando & munera, quę vel ad conficiendum hoc sacrificium, vel ad ministrorum victum conferri solebant, appellantur, quæ propriè à veteribus καρποφορία, dicebantur, sæpius tamen ipsam rem sacram designant. Sic enim Concilij Nicæni Patres inquiunt: *Neque regula, neque consuetudo tradidit, vt hi qui offerendi sacrificium non habent potestatem, his, qui offerunt, corpus Christi, porrigant;* vbi verbo προσφέρειν, Patres vtuntur, Sic ipsi Apostoli ἁγίαν προσφορὰν appellare solent. Sic Ignatius: Non licet sine Episcopo neque baptizare, neque προσφέρειν idest offerre. Vocant item hoc idē mysterium nunc quidem simpliciter θυσίαν, vt Apostoli & Igna-

Luc. c. 1.

Act. c. 13.

Luci. mart.

Ignat. ep. 10

Can. 3. & 7.

Ignatius, οὐ δὲ θυσίαν, προσκομίζειν οὐδὲ δοχὴν ἐπιτελεῖν id, est neque ſacrificium immolare, neque cænam celebrare, ſacrificium ſimul & communionem complexus, quod vtrūque Latini Miſſæ nomine appellare ſolent. Quomodo item & D. Lucas nomine δοχῆς vſus eſt. Nunc vero cum additione, vt Nazianzenus habet, ἀναίμακτον θυσίαν, hoc eſt, incruentum ſacrificium. Iuſtinus προσφερομένην θυσίαν id eſt, quod offertur, ſacrificium appellat. Quid Chriſoſtomum, quid Tertullianum, quid alios adducam? Non me latet ab his, nunc dilectionem, nunc gratiarum actionem & collectionem, hoc ſacrificium paſſim appellari. Non ob aliud certè, quàm, quòd completa vniuerſa ſalutis noſtræ œconomia Dominus noſter Ieſus Chriſtus, priuſquam ad patrem ſuum reuerteretur, in memoriam & commendationem ſuæ mirificæ erga nos pietatis, eiuſq. quam noſtri cauſa ſuſceperat humilitatis ſacræ Euchariſtiæ ſacramentum inſtituerit. Quo admonemur cumprimis præteritæ Chriſti paſsionis, quæ fuit longè gratiſſimum Deo ſacrificium, quo nos ille ſempiterno Parenti ſuo reconciliauit, pro peccatis noſtris morte ſua ſatisfecit, ac non modo remiſſionem peccatorum noſtrorum nobis meruit, verum etiam dignos nos fecit, qui in filios eius & hæredes adoptaremur. Atque hac ratione Cyprianus dixit, paſsionem Chriſti eſſe ſacrificium quod offerimus. Admonemur deinde præſentis vnitatis, quam hoc ſacramentum efficit, atque ita vocatur Synaxis Græcè, Latinè communio, coniunctio, & copulatio: quòd per illud, ſicut tradit Damaſcenus Chriſto communicemus, carnis eius & diuinitatis participes efficiamur, ac ſicut cum ipſo, ita & inter nos vnum corpus, ſub vno capite Chriſto ſimus omnes, nec ab illo, ſine vitæ totius interitu, diſiūgi vlla ratione poſſimus. Admonemur denique eius quod futurum eſt. Quemadmodum enim in hoc ſacramento Chriſto coniungimur, & eo fruimur, non in ſua, ſed in panis & vini ſpecie, ita ipſius beneficio in cæleſti patria, ad quam

Iuſti. mart. oratio. ad Antoni. prope finem.

Lib. 2 ep. 3.

Dam. lib. 4. c. 14.

1. Cor. 10.

anhelamus, non per ſpeculum & in enigmate, ſed facie ad faciem videbimus eum ſicuti eſt. qua ratione vocatur viaticum; continet, enim, eum, qui via noſtra eſt, Dominum Ieſum Chriſtum. Appellatur etiam Euchariſtia, quod eſt actio gratiarum ſanctiſſima. Omnia ſiquidem diuina munera ambitu ſuo hoc epulum diuinum complectitur, ita, vt ſit animo gratiſſimo, prædicatione perpetua, laudibus ſummis efferendum. Eſt enim crucis ſalutaris monumentum, fœderis diuini ſacramentum, amoris fædus ſempiternum, immortalitatis pignus nulla perfidia violandum, denique, per hoc ſacramētum omnia in noſtros animos diuina beneficia largè atque magnificè congerūtur. Ob idque quocunque nomine ſacroſanctum hoc ſacramentum priſci Patres appellauerint, veram ſemper ſacrificij rationem continet, vnicumq. eſt & præſtantiſſimum ac proprium Chriſtianæ Religionis ſacrificium.

Quapropter B. P. Auguſtinus, agens in eos, qui ſuo quoque ſeculo nullum externum & conſpicuum ſacrificium in Eccleſia Dei eſſe oportere, audacter contendebāt, poſt alia ſic inquit: *Vnde verus ille mediator, inquantum formam ſerui accipiens, mediator effectus eſt Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, cum in forma Dei ſacrificium cum patre ſumat, cum quo & vnus Deus eſt; tamen in forma ſerui ſacrificium maluit eſſe quàm ſumere, ne vel hac occaſione quiſquam exiſtimaret, cuilibet ſacrificandum eſſe creaturæ. Per hoc & ſacerdos eſt, ipſe offerens, ipſe & oblatio. Cuius rei ſacramentum quotidianum eſſe voluit Eccleſiæ ſacrificium: quæ cum ipſius capitis corpus ſit, ſe ipſam per ipſum dicit offerre. Huius veri ſacrificij multiplicia variaque ſigna erant ſacrificia priſca ſanctorum, cum hoc vnum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res vna diceretur, vt ſine faſtidio multum commendaretur. Huic ſummo veroque ſacrificio cuncta ſacrificia falſa ceſſerunt.* Ecce conſtat ex Auguſtini ſententia, ſacrificium, de quo nobis incidit ſermo, eſſe ſacramentum, hoc eſt, ſacrum ſignum illius, nobis quidem nunc minimè aſpectabilis, ſacrificij, quo Chriſtus in cruce ſemetipſum in omnium oculis obtulit hoſtiam Deo

Lib. 10. de Ciuit. Dei. c. 20.

in odo-

in odorem suauitatis. Quod apertius, contra Faustum Manichæum scribens, dixisse mihi videtur. *Hebræi,* inquit, *in victimis pecorum, quas offerebant Deo multis & varijs modis, sicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Christus obtulit: vnde iam Christiani peracti eiusdem sacrificij memoriam celebrant, sacrosancta oblatione & participatione corporis & sanguinis Christi.* Post alia, verò constituens discrimen inter sacrificia Iudæorum, & quod in cruce Christus obtulit, ac illud, quod ex eius institutione & præscripto nunc offertur in Ecclesia, rem adhuc planius & apertius explicat; inquit enim: *Huius sacrificij caro & sanguis ante aduentum Christi per victimas similitudinum promittebatur, in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur, post ascensum Christi per sacramentum memoriæ celebratur.* Quod ergo figuris significatum fuit & promissum cùm naturæ, tùm scriptæ legis tempore, hoc in cruce redditum, in altari nunc repræsentatur & oculis nostris subijcitur, vt iugis tanti beneficij sit memoria.

Cont. Faust. lib. 20. cap. 18.

Cap. 21.

Itaque, quicquid semel in cruce actum fuit, hoc quotidie in Eucharistiæ sacrificio commemoratur. *Hoc,* inquit ipse Dominus, *facite in meam commemorationem.* Quocirca, cum Christus in cruce pro omnibus viuentibus, & exanguibus & mortuis, qui vnquam fidem ipsius susciperent, & iussa capescerent, se ipsum obtulerit: in Eucharistia autem fiat commemoratio eorum omnium, quæ in cruce fiebant: efficitur profectò, vt in Eucharistia, ex ipsius rei natura & Christi institutione, sit commemoratio tam viuentium, quàm eorum qui vita iam excesserunt, qui fide & charitate cum Christo copulantur. Nec enim obscurè Augustinus, eo loci nuper á nobis citati, indicare videbatur, & Ecclesiam per Christum, & Christum offerri per Ecclesiam, quæ nisi capiti suo Christo fidè sit & charitate connexa, ex ea oblatione, cuius repræsentatio fit in altari fructus percipi nullus potest. Vnde idem ad Renatum scribens, *Quis,* inquit, *offerat corpus Christi, nisi pro his, qui sunt membra Christi?* Quidquid inquam agebatur semel in cruce com-

De ciuitate Dei lib. 10. cap. 20.

Aug. Epist. ad Renat.

memoratur quotidie in Euchariſtia. In cruce ita pro nobis offerebatur Chriſtus, vt à nobis in ea forma nec offerri poſſet, nec corporaliter accipi & mãducari. In cæna, verò, ſic offerebatur Chriſtus ſub ſpeciebus panis & vini, vt ſemper debeat eodem modo, ex ipſius inſtitutione, & à miniſtris Eccleſiæ offerri, & ore alicuius participari. Illic erat proprium ſolius Chriſti ſacrificium, hic eſt commune Chriſti & Eccleſiæ ſacrificium. Illic Chriſtus erat velut agnus paſchalis ad cuius ſanguinem in liminibus ædium conſpectum Angelus Domini tranſilijt, & Iſraelitis pepercit; hic autem eſt velut agnus paſchalis, qui quotannis poſtea immolabatur ab Iſraelitis ad gratias ob priorem liberationem Deo agendas. Itaque, agnus idem & in cruce & in Euchariſtia offertur, ſed non penitus ad eundem finem. Ibi, vt liberaret nos, hic autem vt nos haberemus, vnde grati animi ſignificationem redderemus. Hoc igitur, eſt illud ſacrificium, quod adumbrabant, & cuius figuram gerebant variæ illæ Patrum immolationes, quæ & naturæ, & legis tempore fuerunt, incipiendo ab Abele iuſto, deinde per Noen, Melchiſedechẽ, Abrahamum, ad ſacrificia Haronis, & filiorum eius tranſeundo, quibus non aliud actum eſt, quàm vt fixum hoc in hominum memoria permaneret, à mundi exordio nulli aliter quàm per fidem huius hoſtiæ, quam illa ſacrificia figurabant, ſalutem contigiſſe. Quemadmodum, verò, ſacra illa fieri Deus Patribus inſtituerat, vt illis magni huius, quod futurum expectabant, ſacrificij recordatio in animis eorum in dies magis ac magis renouaretur, illius fides radices ageret, & propagaretur, cuius etiam fructum credendo & orando perciperent, ac denique illis hoſtijs immolandis Dei beneficia grata animi recordatione proſequerentur: ſic Eccleſiæ ſuæ Chriſtus mundam & ſalutarem corporis & ſanguinis ſui oblationem ſub ſpecibus panis & vini commendauit, qua corporis eius, in cruce pro nobis appenſi, & effuſi ſanguinis memoriam in animis noſtris ſubinde

reno-

renouaremus, & fructum illius oblationis in cruce factæ preciperemus, eam nobis applicantes.

ERant ergo, in lege vetere diuersa quidem, quæ rem eandem significarēt, vt sine fastidio & intelligentes magis meliusque venturæ salutis admonerentur, & rudes inter tot signa vnum saltem aliquod inuenirent, quo, quid futurum promitteretur, perciperent. Quæ omnia & ad nostrum institutum accommodare, & in Missæ sacrificio adimpleri, non foret sanè aut inutile, aut difficile demonstrare. Quoniam tamen cum doctis loquor, vnum naturæ, & scriptæ legis tēpore alterum, institutum sacrificium, magni huius sacrificij imaginem expressam fuisse paucis ostendam, cætera insinuasse sit satis. Exordiar autem, à lege scripta, & vt in vltima cæna Christus legislator noster Eucharistiæ sacrosanctum sacramentum; simul & propitiabile sacrificium, suffecerit, aperiam. Viuam enim atque eminentem Christi imaginem & figuram gessisse, agnum illum Iudæis iussum immolari, & eius esum, testantur BB. Ioannes, & Paulus. Quorum alter ait, post passionis Christi longam narrationem, *facta sunt enim hæc, vt scriptura impleretur: os non comminuetis ex eo*. Alter verò, inquit, *Pascha nostrum immolatus est Christus itaque epulemur in azimis synceritatis, & veritatis*. Hanc autem in institutione & celebratione sanctissimæ Eucharistię fuisse adimpletam, haud inficiabitur, qui ex sacra Euangelij historia æquè perpendet, Apostolos in nouissima cæna Christi carnem comedisse, ac proinde verum agnum paschalem, ad cuius epulas nos hortabatur Apostolus, (*Itaque epulemur* inquiens, *in azimis synceritatis & veritatis.*) comedisse. Epulum enim sequitur immolationem. Quare cum Apostoli carnis Christi cibum sumpserint, vt ipsius immolatio præcesserit maximè opus fuit,

CAP. XII.

Ioan. c. 19.

1. Cor. c. 5.

Deinde, liquidò ex scripturis constat, pignore & tessera veri sanguinis interuenienre, fœdera & testamenta fieri atque iniri. *Vnde nec primum quidem sine sanguine dicatum est;*

inquit

Hebræo.c.9 inquit Apostolus. Adeò certè, vt absurdissimum Paulo
visum fuerit, vetus testamētum vero sanguine reapse fuis-
se firmatum, ad noui, verò confectionem sanguinem nul-
lum intercessisse. Si ergo in illa Cæna conditum fuit testa-
mentum aliquod, & fœdus initum est, necessarium omni-
nò fuit, verum sanguinem re ipsa adhibere. Nam in fœ-
deribus percutiendis, tam ex sacris literis, quàm ex mo-
numentis rerum gestarum & omnium seculorum memo-
ria constat, eam semper obseruatam fuisse formulam, ut
interponeretur præsens victima, quasi tessera, de qua con-
trahentibus fædus æqualiter offerebatur, vt æqualiter se-
Gen.c.25. & 26. se obligari ad mutuam promissionem contestarentur. Sic
Deus Abrahamo præcepit, vt animalia quædam diuide-
ret ad fœdus cum ipso percutiendum: sic Isaac, & Abime-
lech fœdus ferientes de eadem victima conuiuantur. Sic
Iliados 3. pilos & carnes agni fœderalis Græci & Troiani partiun-
tur. Quò fit vt, cum antiquum testamentum sanciretur
Exo.c.24. à Mose, de victima veri sanguinis portio Deo fuerit obla-
ta, altera verò portio in populum sparsa. Agnus etiam pa-
schalis, typus Cænæ expressissimus, primo immolabatur
& offerebatur Deo, deinde populo pars sanguinis trade-
batur ædium postibus applicāda, & agnus totus post obla-
Exo.c.12. tionem edendus exhibebatur. Pari quoque ratione in no-
uo testamento decuit, ac necessarium fuit, victimā fœdera-
lem, qui Christus est, partim Deo, & partim populo offer-
ri, ad pacti vinculum colligandum, vt mutua fieret pro-
missio, obligatio & obsignatio. Ad hunc, igitur, effectum
maximè opus fuit, sanguinem Christi verum reipsa exter-
no ritu Crucis Deo exhiberi; erit, itaque, etiam necesse, ex-
terno ritu Cænæ, in qua confici nouum testamentum à
Matth.c.26 Christo pronunciatur, eiusdem sanguinem tam verè pro-
priè præberi, quàm fuit oblatus Deo. Hinc, cum
apud Matthæum iubentur Apostoli bibere, causalis di-
ctio γὰρ inseritur ac scribitur. Sic enim textus habet,
τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, quasi red-
dat

dat rationem, cur iubeat eos bibere, quia potu & perceptione ſanguinis ex parte hominum complendum eſſet nouum fœdus & teſtamentum recens: & ſtatim in eadem periodo ſignificatur idem ſanguis mox offerendus alteri parti contrahentium, nimirum Deo. Ob idque pollicetur eandem carnem ſe traditurum in cibum, quam eſſet daturus pro mundi vita. Idcirco etiam *Ioan. c. 6.* cænam cum paſſione ſua coniunxit, vt ita vnà, eodemq. tempore fœderalis ſuæ victimæ ſangninem & carnẽ vtrique parti adminiſtraret & exhiberet. Ex parte ergo nouum teſtamentum Chriſtus in cruce confecit, vbi ſanguinis effuſione maduit, & morte teſtamentum confirmauit. Sempiternoq. parenti ſuo, pro teſſera fœderis & teſtamẽti, ſanguine & cruento modo litauit. Sed & Euangelij ſacri ſcriptores, vna & mente & voce conſentientes, memoriæ prodiderunt, teſtamentum in cæna conditum fuiſſe, & ſanguinis effuſionem pro teſſera teſtamenti expreſſerunt; alio tamen modo quàm in cruce. Hic enim incruento modo & in hauſtum & potũ ſine mactatione effunditur & datur. Qua de cauſa ſcripſit Tertullianus, teſtamentũ *Tert. lib. 4. in Marci.* nouum in cæna Chriſti ſanguine obſignatum fuiſſe. Profitemur itaque, nouum teſtamentum partim quidem in cæna, partim verò in cruce conditũ, confirmatum & promulgatum fuiſſe, vt fœderum cæremonia à nobis expoſita exigebat. Niſi mauis, à Paulo potius teſtamentum adſcribi cruci, quàm cænæ, quòd illic planè fuerit confir- *Hebræ. c. 9.* matum morte intercedente, hic verò inſtitutum duntaxat. Etenim ipſemet Apoſtolus, non extra portam, ſed *Hebr. c. 13.* in ipſa ciuitate Hieruſalem, nouum teſtamentum editum *Gala. c. 4.* palam oſtendit, ſicut vetus in monte Sina.

His adde nouum teſtamentum in ea promiſſione contineri, quam Paulus adducit ex Hieremia: *Ecce dies veniũt,* *Hiere. c. 37.* *dicit Dominus, & feriam domui Iſraal, & domui Iuda fœdus nouum.* *Hebræ. c. 8.* *Quod nam fœdus & teſtamentum iſtud erit? Quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.* Noua ergo,

illa

illa promiſſio de peccatorum venia, bonorum operum gratia, & vita æterna, qualia non præſtabat vetus teſtamentum noui nomine comprehenditur. At remiſſio peccatorum non fit ſine ſanguinis effuſione, ait Apoſtolus. Cum igitur nouum fœdus peccatorum condonationem cõferat, veri ſanguinis effuſionem cum ſalute importet neceſsè eſt. Quapropter ſacri ſcriptores Euangelicæ hiſtoriæ, & D. Paulus à Deo inſtructus, in narratione inſtitutionis noui teſtamenti, exprimunt, in cæna poculum ſanguinis effundi in remiſſionem peccatorum. Effuſio autem ad imitationem Moſis pro aſperſione populi, ſeu ſanguinis intinctione & participatione, in cæna locatur; ſic enim Paulus ad Hebræos ſcribens, effuſionem interpretatur. Porrò, impoſſibile eſt, ſanguine hircorum, & taurorũ expiari peccata, & eorum pœnas exolui, quas diuina iuſtitia repoſcit: ſed vnius & ſingularis agni immaculati ſanguis tanti pretij fuit, vt eo Deus generi humano iratus & offenſus placaretur, homines de ſcelerum ſuorum colluuione veniam obtinerent, diuinæ verò iuſtitiæ cumulatiſſimè ſatisfactum ſit. Quocirca, cum ad noui teſtamenti inchoationem ſanguis Chriſti commemoretur in cæna effundi, idq. ad peccatorum exolutionem: profectò, de vero, & naturali, ac (vt ita dixerim) ſubſtantiali Chriſti ſanguine intelligendum eſt. Non enim teſtamentum ſanciri poteſt, niſi intermedio vero ſanguine: nec nouum fœdus & teſtamentum peccatorum veniam donabit, niſi proprio Chriſti ſanguine locupletaretur. Siue ergo, ex pignore fœderum & teſtamentorum, ſiue ex eorum formula externa, qua feriebantur, ſiue ex eorum proprietate, ſiue ex effectu noui teſtamenti & virtute, textum de ſanguine conſideremus, ipſum certè exponere minimè licebit, niſi de vero ac proprio Ieſu Chriſti ſanguine, qui ad conſtitutionem noui teſtamenti præſto fuerit in Cæna, & exteriore actione tam Deo quàm hominibus oblatus.

Hebræ. c. 9. (margin, beside "mentum noui nomine comprehenditur")

Hebræ. c. 9. (margin, beside "enim Paulus ad Hebræos ſcribens")

Nec verò ſilentio prætereundum eſt, ad figurarum comple-

complementum Christum partim suum sanguinem in calicem misisse, partim in cruce profudisse: Nam Moses sanguinem vitulorum & hircorum partim in crateras instillabat, partim in altari effluere sinebat, vt, duplex sanguinis Christi futura effusio adumbraretur. Quò fit vt sacra Eucharistia, quæ celebrationi agni paschalis successit, illud ipsum verum sacrificium sit, de quo Paulus ait, *Pascha nostrum immolatus est Christus*: Etenim paschæ nomine, non solum illa diei solennitas, verùm etiam agnus ille significabatur, qui iuxta ritum in lege præscriptum à patribus familias immolabatur, & immolatus mandebatur; sic enim Marcus, *Vbi vis eamus, & paremus vt manduces pascha?* Lucas quoque ait; *Venit dies azimorum in quo necessè erat occidi pascha*. Pascha, itaque, nostrum est ipsemet Dei filius. Hic est ille agnus, de quo Hieremias, *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam*. De quo etiam prædixerat Esaias; *sicut ouis ad occisionem ducetur, & sicut agnus coram tondente se obmutescet & non aperiet os suum*. Hic est ille agnus quem venientem ad se, quasi digito, Ioannes demonstrabat, inquiens, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Hic est ille agnus immaculatus, cuius pretioso sanguine nos redemptos esse scribit Petrus; quem in Apocalypsi ab origine mundi occisum esse legimus. Quotquot enim, à mundi exordio salutem consequuti sunt, quotquot etiam deinceps ad finem vsque seculi salutem consequentur, non a ij, quàm huic agno pro nobis immolato eam acceptam referent, quippe cum ipse peccata nostra in corpore suo super lignum luenda susceperit, sanguinem suum pro nobis fuderit, mortem crucis pro nobis obierit, atque sacrificio isto corporis & sanguinis sui mundum in gratiam sempiterni sui parentis reduxerit, & restituerit. Huius igitur, agni incontaminati expressam figuram gerebat agnus ille paschalis veteris legis, quem Hebræis immolare Dominus præceperat in recordationem beneficij suscepti, quando populus Israelis de seruitute Pharaonis liberatus, & de

1. Cor. 5.
Marc. c. 14.
Luc. c. 22.
Hiere. c. 15.
Esa. c. 53.
Ioan. c. 1.
1. Petri c. 2.
Apocaly. c. 13.
1. Petri. c. 2. & 3.

Aegypto eductus fuit:& in nouissima cæna, cum seipsum Deo Patri Christus sub speciebus panis & vini obtulit, huius agni immaculati immolatio facta est, quo nunquam ex hominum memoria summum illud beneficium laberetur quo affecti mortales à peccatis expiati,& à tartarea captiuitate liberati sumus. Ob idque eam à sacerdotibus in memoriam atrocissimæ mortis suæ grata animi recordatione fieri iussit. Præceperat Deus, vt cum essent agnum illum immolaturi Iudæi filios suos docerent, quid sibi vellet hæc immolatio. *Cum dixerint*, inquit, *vobis filij vestri, quæ est ista religio? Dicetis eis, victima transitus Domini est, quando transiuit super domos filiorum Israel in Aegypto, percutiens Aegyptios & domos nostras liberans*. Ecce, vt magni illius beneficij sempiternam memoriam illius agni immolatione & præscripto, ritu, ac cæremonia fieri Deus voluit. At non dissimile quiddam in hoc altaris sacrificio contingit. Nam si nunc interrogentur patres familias, hoc est, præsbyteri & seniores, à filijs Israelis non secundum carnem, sed secundum promissionem, quæ nam est ista Religio? Quid sibi vult hoc quòd sacrosanctum corpus & sanguis Christi sub panis & vini speciebus offertur in missa? Rectè respondebunt; gratam quandam esse commemorationem immensi illius beneficij, quo Dei filius homo factus corpus suum ex virgine assumptum pro nobis in mortem tradidit, sanguinem suum in cruce fudit, vt mũdum vniuersum à peccato, & ab æterna damnatione liberaret. *Quotiescunque*, ait Paulus, *manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annunciabitis donec veniat*. Ex Apostolo annunciatur mors Domini, & celebratur memoria Christi in cæna, non verbis nudis, non animo aut spiritu solo, sed externo ritu, & esu corporis dati pro nobis, & potu sanguinis effusi. Nam ipsa cænæ cæremonia quasi quædam est repræsentatio Dominicæ passionis, siue carnis immolatæ, & sanguinis effusi in remissionem peccatorum. Quapropter rectè censent, qui Domini verbum illud, *hoc facite in meam commemoratio-*

Exo.c.12.

1 Cor. 11.

rationem, interpretantur, hoc facite, vt testificetur de me ac de mea passione. In mistico enim conuiuio ipse Dei filius nobis comedendus apponitur, non vt nos in humanam naturam diuinum cibum transferendum existimemus, sed vt ipsius epuli diuini virtute & efficientia diuinæ naturæ consortes efficiamur. Quemadmodum igitur sacramentum hoc vires dilapsas instaurat, libidinis immanitatem comprimit, animos dissidentes conglutinat, illata vulnera sanat, mentes humi repentes excitat, à terrestrium rerum cupiditate ad inflammatum diuinitatis studium traducit, vitam denique pręstat sempiternam; (nam ipse Dominus inquit, *qui manducat me ipse viuet propter me*) sic etiam Christum præsentem sistit, mortisque illius, quæ mortem nostram perculit & abiecit, memoriam renouat. Crucisque trophæum in oculis & aspectu proponit. *Ioan.c.6.*

Illud etiam est æquè perpendendum, non modo præcepisse Saluatorem nostrum, vt distribuatur corporis & sanguinis sui sacramentum, verum etiam, vt benedicatur, seu consecretur, ac deinde immoletur, immolatum verò comedatur. Nam & apud Ethnicos vsitatum est, vt facere vsurpent pro eo quod est offerre, seu litare. quod vel ille Maronis versiculus indicat; cum faciam vitula. Sæpè etiam in diuinis literis, quod noster interpres transtulit facere, in Syriaco, & Hebræo idiomate est, sacrum facere, offerre, vel litare. Nam facere agnos anniculos, quod est in Exodo: facere hircum pro peccato, in Leuitico: facere turtures, in numerorum libro: facere hædum, in libro Iudicum: facere holocaustum, in libro Regum: facere septem arietes, & septem vitulos, apud Ezechielem, nihil aliud est, quam sacrificare. Neque obstat hæreticorum cauillum, qui, cum Hebraici idiomatis vim haud potuerint negare, obijciunt, esse quidem apud Hebræos idem facere, quod offerre seu litare, cum aditamento tamen, cuiusmodi est illud à nobis citatum, facere holocaustum, facere hircum, facere hædum. Non inquam, obstat hæc vana & inanis *In bucol. Eglo. 16.* *Exod.c. 29.* *Leuit. c.23.* *Num. c.6.* *Iudic.c. 6.* *Lib. 3. Reg. c.8.* *Ezech. 43. & 45.*

 aduer-

Luc.c.2. aduersariorum argutia: cùm, quia apud Lucam legimus, B. Virginem Mariam & Iosephum sponsum illius ascendisse Hierusalem vt Puerum Iesum iuxta legis Mosaicæ præscriptum *sisterent Domino, & darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum*: Paucis vero interiectis inquit, *Et cum inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo*, &c. Vbi facere, sine vllo additamēto, aliud significare non potest, quàm hostiam offerre, quòd prius dixerat. Et ex Leuitico citat Hieronymus iuxta interpretationem septuaginta virorum: *Accede ad altare, & fac pro peccato tuo*: ac paulo post, *descenditq. cum fecit pro peccato*. Quæ ipse postea ex Hebræo transtulit: *Accede ad altare & immola pro peccato tuo*. Et rursus, *Sicq. completis hostijs pro peccato, & holocaustis, & pacificis, descendit*: Tum etiam quia eo loci, de quo disputatio orta fuit, facere, est cum additione appositum. Nam cum dixisset Christus Dominus, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*, subiunxit è vestigio. *Hoc facite in meam commemorationem*, corpus, inquam, meum offerte: adeò certè vt nullus tergiuersandi locus aduersarijs relictus esse videatur, sed velint, nolint, fateri cogantur, ex ipsius Saluatoris nostri verbis efficaciter euinci sacram Eucharistiam verum esse sacrificium, quod, ex Domini præcepto, in Ecclesia quotidie offertur Deo à sacerdotibus, in recordationem eximiæ illius charitatis qua opus reparationis generis humani magnitudine gloriæ & decoris amplitudine illustre nulla vnquam obliuione delendum absoluit. Clemens, enim & benignus Dominus hoc insigne monumentum factorum suorum mirabilium in terra constituit, quod longissimo interuallo reliquis misericordiæ suæ monumentis, ad gloriam sui nominis, antecellit. Olim, namq. cibum suppeditauit hominibus, cum in Arabiæ vastitate versarentur, & inopia rerum omnium premerentur, & iussit vasculum illo cibo plenum, ad posteritatis memoriam, conseruari, ne ex animis beneficium illud excideret.

Leuit.c.9. *Hierõ.lib.1. cont. Pelag.*

Atqui

Atqui cibus ille mirificus, e cælo quotidie demiſſus, vt multitudinem innumerabilem in ſolitudine ſuſtentaret; non tantam vim habuit, vt aduentanti morti reſiſteret. Omnes, enim, qui eo pane veſcebantur, in ea ſolitudine morte conſumpti ſunt. Non etiam ad animi, ſed ad corporis vitam fulciendam olim conceſſum fuit, vt quod quotidie mors abſumeret, repararet, & labentes quotidie vires ſubſidio illius reficerentur: corporibus tamen immortalitatem non attulit. Senſus in res diuinas non incitabat; non fidem ſtabiliebat; non denique mentem ab humanarum rerum cogitatione ad ardens diuinæ gloriæ ſtudium traducebat, ob idq. & cibi illius vſus, & memoria ſimul euanuit. At in nouiſſima Cæna cibus non alendis corporibus ſed animis in vita perpetuò conſeruandis præſtitus fuit. Illic, enim, ita Saluator noſter Chriſtus corpus ſuum pro nobis ſempiterno parenti obtulit, vt & diſcipulis ſuis illud comedendum exhibuerit, quo nouum fœdus & teſtamētum ab ipſo editum ex parte hominum firmaretur. Animi, vero, qui eo cibo ſuſtinentur, emori non poſſunt. Non enim à Deo, à quo vera vita ſemper emanat, vllo tempore deſciuntur. Videntur illi quidem inſipientibus mori, cum eorum corpora naturali interitu conſumuntur: Sed animi eorum tunc vel maximè viribus vigent, & opibus diuinis aucti & amplificati ſunt, & gloria ſempiterna circunfluūt. Hunc ergo cibum, quòd immortalitatem contineat, & diuinæ gloriæ pignus ſit, necnon ad ſempiternam felicitatē perducat, Dominus eis, qui ſuum nomen reuerentur & colunt, apponi iuſſit. Eſt enim panis de cælo verus, panis, inquam, ille ſempiternus in terras à patre miſſus, vt mortis imperium extingueret atque deleret, Chriſtus. Hic cibus mentem recreat, morbos expellit, impetum mortis arcet animum iucunditate perfundit, & fœderis ſempiterni memoriam ſumma religione confirmat. Vetus enim fœdus illorum rebellione, qui illo adſtricti tenebantur, irritum factum fuit. Quare non erat cur illius monumentum diu-

tiùs extaret, quàm esset opus ad noui fœderis imaginem referendam. Illius verò fœderis, quod solidum & expressum iustitiæ sempiternæ fructum continet, & nullis erit vnquam seculis definitum, memoriam sempiternam extare voluit. Quod Regius Vates apertè explicauisse priscis Patribus visus est, cum ait. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se. Memor erit in seculum testamenti sui.* Testamenti, inquam, ipsius sanguine firmati, & illo sacrificio stabiliti, quod sub aspectū admirabilia opera Dei deducit, adeò vt numquam illius mensæ obliuisci sinat, in qua corpus & sanguinem suum, quod immolandum erat in cruce, sub panis & vini speciebus Deo Patri cum primis obtulit, deinde discipulis suis comedendum, & bibendum exhibuit. Consilio enim suo anteuertit, & arcano sacrificij genere, quod ab hominibus cerni non poterat, se ipsum pro nobis hostiam obtulit, & victimā immolauit, sacerdos simul existens, & agnus Dei, ille qui mundi peccatum abstulit Quādo id præstitit? Præclarè Gregorius Nissenus respondet. *Cum* inquit, *corpus suum discipulis congregatis edendum, & sanguinem bibendum præbuit, tunc apertè declarauit agni sacrificium iam esse perfectum. Nam victimæ corpus non est ad edendum idoneum, si animatum sit. Quare cum corpus edendum, & sanguinem bibendum discipulis exhibuit, iam arcana, & non aspectabili ratione corpus erat immolatum, vt ipsius mysterium peragentis potestati collibuerat.* Hoc ipsum in eius memoriam perpetuò in Ecclesia peragi iussit, ne ingrati, & immemores tanti beneficij essemus. Est, enim benefactoribus, ab ijs, qui beneficio affecti sunt, quædam gratiæ relatio si illorum sint memores, earumque rerum, per quas beneficio affecti sunt. Huius autem conseruandæ memoriæ homines plures rationes excogitarunt; sepulchra, statuas, columnas, dies festos & celebres, publica demum certamina: quorum omnium vnum est institutum, non sinere vt viri præclari & præstanti virtute obliuioni mandentur eorumq, erga nos merita, vlla vetustate, quæ rerum om-

Margin notes: Ps. 110. — Oratio 1. in Christi Resur.

omnium edax eſt, conſumantur. Tale eſt etiam, quod Saluator noſter ait; Alij quidem alia obliuionis quærent remedia, vt recordentur eorum, qui ipſos beneficio affecerunt: vos, autem, in meam recordationem hoc facite. Et quemadmodum ciuitates fortium virorum, nomina, per quos victoriam aſſecutæ ſunt, vel qui ſibi ſalutem attulerunt, aut res ſuas rectè geſſerunt, columnis inſcribunt: ita etiam in his ipſis diuinitus nobis traditis & relictis donis, nos ſacroſanctam illam Domini mortem, in qua vniuerſa ſita fuit aduerſus malignum victoria effingimus, planèque imprimimus. Et per ſtatuas quidem, ciuitates ſolum habent figuram corporis benefactorum; nos, autem, non rudem aliquam & mortuam formam, & imaginem in eis inſcriptam habemus, ſed illud ipſum viuum corpus, & ſanguinem Ieſu Chriſti, qui & in bello fortiſſimè ſe geſſit, & in Ciuitate ſancta à ſe exædificata trophæa poſuit, quæ bellicæ laudis victoriæque inſignia & monumenta ſunt. Nam, hoc ipſum etiam in antiquis conſtituerat, vt in figura facerent id, quod nunc eſt in rerum veritate. Id enim, paſcha & agni occiſio ſignificabat, quod Chriſtus in cæna, & ex illius præſcripto hodie in Miſſæ ſacrificio peragitur.

Colligamus ergo celebrationem agni paſchalis, figuram fuiſſe expreſſam celebrationis Euchariſtiæ. Nam Tertullianus explicans illud Lucæ, *deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum antequam patiar. Profeſſus*, inquit, *Chriſtus ſe concupiſcentia concupiſſe edere Paſcha vt ſuum, (indignum enim, vt quid alienum concupiſceret Deus) acceptum panem, & distributum diſcipulis, corpus ſuum illum fecit*. Si autem, (quod apud omnes certiſſimum habetur paſcha cum diſcipulis ſuis celebrabat, proculdubio, qui non venerat ſoluere legem, ſed adimplere, iuxta ritum legis celebrabat, iuxta quem immolabatur prius agnus deinde comedebatur, quare vt figuræ veritas reſponderet, neceſsè fuit, vt prius Chriſtus corpus ſuum & ſanguinem offerret Deo patri, poſtea vero

Lib. 4. adu. Marcio.
Luc. c. 22.

mandu-

manducandum traderet, nec aliter paſcha cum diſcipulis ſe comediſſe diceretur. Cyprianus etiam probat, non poſſe extra Eccleſiam vtiliter ſumi Euchariſtiam, ex eo, quod de agno paſchali ſcriptum eſt, in domo vna comedetur. Ac rurſus diſſerens de nouiſſima cæna inquit: *Diſpoſita inter ſacramentales epulas obuiauerunt ſibi inſtituta antiqua & noua, & conſumpto agno, quem antiqua traditio proponebat, inconſumptibilem cibum Magiſter apponit diſcipulis*. Gregorius, quoque, Nazianzenus inquit, imperaſſe Deum, vt ad veſperam agnus immolaretur, quia Chriſtus ad veſperam ſacramentum corporis ſui diſcipulis tradidit. At illius agni celebratio ſacrificium quoddam erat, (quod oſtendimus) ergo & ſacra Euchariſtia victima etiam eſt quæ Deo offertur. Vnde Ambroſius, *Quando* inquit, *ſacrificamus, Chriſtus adeſt, Chriſtus immolatur, etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*. Et Leo, *Vt ergo*, inquit, *vmbræ cederent corpori, & ceſſarent imagines ſub præſentia veritatis, antiqua obſeruantia nouo tollitur ſacramento, hoſtia in hoſtiam tranſit, ſanguinem ſanguis excludit, & legalis feſtiuitas dum mutatur impletur.*

Lib. de vni. Eccle. — *In ſerm. de cæna Domini.* — *Nazi. orat. 2. de paſch.* — *Amb. in c. 1. Luc.* — *Leo ſer. 7. de paſſion. Domini.*

CAP. XIII

QVod ſi ad legis Naturæ ſtatum mẽtis oculos conijciamus, profectò, & in eo ſacrificiũ iſtud, quo Chriſtus Saluator & legiſlator noſter à ſempiterno parente in terras miſſus Eccleſiam & ciuitatem ſanctam ſuam à ſe conſtructam cohoneſtauit, & æterna triumphi, de cacodæmonis tyrannide acti, laude decorauit adumbratum & expreſſè præfiguratum facilè conſpiciemus. Nam Moſes, poſt narrationem victoriæ, de Chordorlahomor & Regibus, qui cum eo erant, per Abrahamum, partę dilucidè explicatam, inquit; *At vero Melchiſedech Rex Salem, proferens panem & vinum, erat enim ſacerdos Dei altiſsimi, benedixit ei*. Quod teſtimonium diuino afflati ſpiritu Sacer Vates Dauid, & Paulus Apoſtolus ita ad Chriſtum referunt, vt non modo videantur ſignificare voluiſſe, Melchiſedechem figuram Chriſti geſſiſſe, quod de Aarone æque dici potuiſſet, verum etiam ſacerdotem quidem fuiſſe ſecundum ordinem Melchiſe-

Gen. c. 14.

chiſedech, non autem ſecundum ordinem Aaronis. Dauid, enim, cecinit, *Iurauit Dominus & non pænitebit eum, tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Paulus vero ait, hanc noui teſtamenti ætatem, illi antiquæ veterique ætati, ante legem, & poſt legem etiam latam, longè præſtare; quippe ante legem Abrahamus promiſſum & iuramẽtum habuit, poſt legem patres vltra illa duo, ſacerdotium habuerunt; ſed illud nec perfectum, nec perpetuum, nec templum ſtabile & æternum. Nunc verò & ſacerdotem gratiſſimum extitiſſe ait, & efficaciſsimum, & qui iam litauerit, & æternum templum ingreſſus fuerit, & æterno pontificatu fungatur, & ſecundum ordinem non Aaronis, verùm Melchiſedechis, iuxta promiſſam prædictamque antea à Deo rationem. *Confugimus,* inquit, *ad tenendam propoſitam, ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vſque ad interiora velaminis, vbi præcurſor pro nobis introijt Ieſus ſecundum ordinem Melchiſedech pontifex factus in æternum.* Interiora autem velaminis appoſuit, alludens ad tabernaculi interiorem partem quæ DEBIR dicebatur, eratque figura familiariſſimæ gratiæ atq. conſuetudinis Dei quæ in IeſuChriſto conſtitit, atque ex illius plenitudine ad ſanctos omnes deriuata eſt. *Hic enim Melchiſedech Rex Salem,* proſequitur Paulus, *Sacerdos Dei ſummi, qui obuiauit Abrahæ regreſſo à cæde Regum & benedixit ei: cui & decimas omnium diuiſit Abraham: primùm quidem qui interpretatur rex iuſtitiæ: deinde autem & Rex Salem, quod eſt Rex pacis, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, aſſimilatus autem filio Dei, manet ſacerdos in perpetuum.* Primum igitur, cernimus in hac Pauli præclara rerum admirabilium narratione, ſacerdotij ſummi dignitatem cùm Regis ampliſſimi maieſtate mirabiliter implicatam; cùm munus vtrumque fuerit antiqua lege atque more diſtinctum: deinde ſacerdotij æternitatem, venerabundi ſuſpicimus, cùm reliquos omnes ſacerdotes morte conſumptos fuiſſe videamus: Leuiticum prætereà ſacerdotium antiquatum, atq. adeo prorſus ab-

Pſ. 109.

Hebræ. c. 6.

Hebræ. c. 7.

 rogatum

rogatum eſſe, contuemur: poſtremò, ordinem & inſtitutum Melchiſedechis qui fuit Rex Salem, Aaronis ordini prælatum, noua ratione conſideramus. Itaque, cernimus, omnia quæ vetuſtate conſenuerant, morte deleri, & in legis demortuæ locum ſempiternam legem ſubſtitui: atque etiam, illam ſacrorum maieſtatem & ſanctitatem à Deo in Aarone, & Aaronis poſteritate inſtitutam, tantoq. tempore conſeruatam, Ieſu Chriſti doctrina è medio ſublatam fuiſſe: adeò vt otioſa iam, vel potius inutilis, imò perniciosa à Chriſti morte eſſe cæperit; quæ Paulus efficaciter oſtenſurus ſolidiſſimo inſiſtit fundamento veritatis diuinæ atque conſtantiæ in promiſſis præſtandis, ita vt, quod à Deo dictum fuerit nulla humanæ ſapientiæ exceptione, vel interpretatione infringi, aut auerti, vel in aliũ

Pſal. 109. euentum detorqueri poſſit. *Iurauit*, enim, *Dominus & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Quo ſanè ſacerdotiũ iureiurando confirmatum fuit, quod alteri Aaronico non contigit, vt pote quod inefficax & omni ex parte infirmũ Deus cognouerat. *In tantum*, inquit Paulus, *melioris teſtamenti ſponſor factus eſt Ieſus.* κατὰ τοσοῦτο, id eſt, adeò melioris fœderis factus eſt ſponſor hic ſacerdos Ieſus, tanto, inquam, melioris, quanto ipſe meliori ſacerdotio præfectus eſt. Sed cur Aaronis nomine præterito Dominus Melchiſedechis ritum commemorat? Primum quidem, quia cum nec illius origo, nec finis oratione definitur, quodammodo rationem æternitatis adumbrat. Omnium ſanè mortalium, quorum celebris aliqua in ſacris hiſtorijs mentio eſt, vel genus, vel patria, vel familia, vel aliqua ſanguinis nota ad cognoſcendum ac diſtinguendum apponi ſolet, vt non Aaronis modò, verùm etiam Abrahami ipſius manifeſtæ & certæ huiuſmodi annotationes adſcribuntur: Melchiſedechis verò nomini nulla huiuſmodi adiuncta annotatio eſt, vel parentum, vel genealogiæ, vel ætatis, aut annorum vitæ, ac dierum initij, vel poſtremi è vita exitus, ita vt per omnia filio Dei ſimilis

eſſe

esse ostendatur, adeò vt sacerdotium perpetuum retineat: nam qui dixit, sacerdos in æternum secundum ordinem, τάξιν, constitutionem, ordinationem, non solum de forma sacerdotij illud exemplum pronunciauit, sed de æternitate etiam. Tu es secundum constitutionem Melchisedechis sacerdos in æternum: ergo & Melchisedech iuxta illius declarationis, & iuramenti testimonium, sacerdos etiam in perpetuum manet. Esse vero Aaronem minorem Melchisedeche pluribus ostendit Paulus, sed ea potissima illius ratio mihi esse videtur; quòd Aaron secundum naturam Abrahamo patre minor fuerit, certè, non maior. Namque Abraham Patriarcha, Aaron Patriarchæ soboles fuit cum suis omnibus. Quicquid vero pater & Patriarcha professus est, pro se & posteritate sua profitebatur. Decimas autem dum daret, non solum se, sed omnes posteros suos, in quibus erat Aaron, decimas Melchisedechi debere, & illius benedictione egere profitebatur: ex quibus omnibus dignitate maius, authoritate prętantius, efficientia potentius, Melchisedechis sacerdotium, quàm Aaronis esse probatur. *Intuemini,* inquit Paulus, *quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha. Et quidem de filijs Leui sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere à populo secundum legem, id est, à fratribus suis, quanquam & ipsi exierint de lumbis Abrahæ. Cuius autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham, & hunc, qui habebat repromissiones, benedixit. Sine vlla autem contradictione, quod minus est à meliore benedicitur. Et hic quidem decimas morientes homines accipiunt; ibi autem contestatur, quia viuit. Et (vt ita dictum sit) per Abrahamum & Leui, qui decimas accepit decimatus est: adhuc, enim, in lumbis patris erat, quando obuiauit ei Melchisedech.* Hebræ. c. 7. Deinde cum apertè dicat sacerdotium illud Melchisedechis æternum esse, manifestè euincitur, hoc alterum Aaronis non esse æternum. quod si æternum non est, ergo, finiendum erat, & illius prioris sacerdotij præsentia extinguendum, & iam vetustate sua abolendum. Eo vsque enim Leuiticum istud sa-

cerdotium durare Deus voluit, quòad ipse suum illum sacerdotem publicè præficeret, qui sacerdotium secundum ordinem Melchisedechis idq. æternum teneret. Vt enim quamdiu noctis vmbra durat, lunæ nitor viget,& viatoribus quoquo modo prodest: verùm vbi solis lux orbem illustrauerit,lunæ splendor absorptus otiosusque redditur: ita,magno & efficacissimo sacerdotio lucente,minoris alterius lux nulla iam conspici potest. Quod si Leuitici sacerdotij lumen & virtus satis efficax foret, non promisisset aliud sacerdotium Spiritus sanctus:promisit autem,alterum æternum præstans,cui & Abrahamum, & omnem Abrahami posteritatem subiecit:igitur, præsente hoc, illud alterum antiquari consequitur,quippe quod nec propriam lucem,virtutemq. obtinebat, nec perfectam. Est & alia ratio,cur Aaronis nomen Dominus prætererit, Melchisedechis ritu assumpto, quia scilicet vis nominis, iustitiæ Regem designat,& similiter Salem nomen,pacem denotat, quæ quidem iustitiæ gremio continetur. Deinde, quia Melchisedech,non sanguine quadrupedum, sed pane atque vino litauit. Ac denique, quia vnica tantum oblatione nomen illius æternitati consecratum animaduertimus. Est autem Christus Saluator noster, cui Melchisedech assimilatur, Rex summus,sacerdosque sanctissimus,qui iustisimè Regium munus administrat:qui gratisimo sacrificio nobis pacem conciliat; cuius nec imperiũ vllo fine terminabitur, nec sacerdotij sanctitas euanescet,qui cælestem panem & vinum nobis porrigit;cui omnes viri religionis sanctitate præcellẽtes, honores diuinos instituunt;& à quo se omnia bona consecutos esse profitẽtur; qui, denique, vnica tantum oblatione, eos ò summe Christe, qui sese ad tui nominis augustisimi cultum toto animo contulerunt,sanctitatis egregiæ muneribus, & ornamentis,excoluisti.Sed ne hęc difficiliora ad prosequendum esse videantur, ea ad finem nobis propositum adaptemus.

Duas, itaque cognoſcimus ex vniuerſa hac Pauli doctrina potiſſimas differentias inter Melchiſedechis, & Aaronis ſacerdotia. Alteram quòd illud fuerit vnius duntaxat hominis, qui nemini quidem ſucceſſit ? nec ſucceſſorem habuit ; hoc verò fuit multorum, quod alius ab alio proditum accepit. Quamobrem Paulus inquit, Chriſtum eſſe Sacerdotem in æternum, qui nimirum, nulli ſucceſſit, & cui nemo ſuccedere debeat, cum ſemper viuat, & ſacerdotium illius ſempiternum futurum Deus ipſe, qui nec falli, nec fallere poteſt iureiurãdo ſpoponderit. Quod ſi Chriſti ſacerdotium durat vſq. ad mundi conſummationem (id enim in ſacra ſcriptura æternum dici iam alibi oſtendimus) certè & ſacrificij ritus durare debet, niſi forte quis temerè contendat, otioſum ſacerdotium Chriſto fuiſſe. At ſacrificium crucis ſemel tantùm peractum eſt, nec repeti amplius poteſt, cũ Chriſtus iam mori nequeat. Aliud, ergo, ſacrificium eſſe oportet, quod iugiter offeratur. Non enim ſacerdos iure dici poteſt, qui nullum habet ſacrificium, quod offerat. Veram igitur ſacrum faciendi rationem, quæ Chriſto ſummo ſacerdoti per miniſtros ſuos tribuatur, in Eccleſia eſſe conſtituendũ eſt: qualis certè actio nulla erit, ſi Miſſæ ſacrificium tollatur è medio. *Hebræ. c. 7.*

Prætereà, ante Chriſti incarnationem, quia Chriſtus re ipſa nondum erat ſacerdos (ſacerdotium, enim, Chriſto conuenit, vt minor eſt patre, & proinde vt homo eſt, non vt Deus, quod diligenter aduertit D. P. Auguſtinus) non poterat per ſe ſacrificium offerre. Vt tamen tunc temporis & ſacerdotium illi adſcriberetur, & ſacerdos iure optimo dici poſſet, ipſe vnus, ab initio & primo mundi exordio, vſq. ad eius finem & conſummationem, ſummus Sacerdos, eo modo quo poterat, ſacrificium offerebat, nimirum per typos & figuras. Vt enim omnia ſacrificia lege veteri præſcripta figuræ erant ſacrificij Crucis, & in omnibus illis victimis ipſe immaculatus agnus typicè mactabatur, vnde, à ſacro vate & diuino Euangelicæ hiſtoriæ *Aug. in pſ. 109.* *Apoc. c. 13.*

ſcripto-

ſcriptore, dicitur agnus ab origine mundi occiſus, ſic omnes illi ſacerdotes, typi Chriſti erant, & in omnibus, qui tunc victimas immolabant, ipſe ſacra faciebat. Quòd ſi, propter ſacerdotij æternitatem, Chriſtus, etiam ante incarnationem, eo modo quo poterat ſacerdotio fungebatur, quanto magis, poſtquam humanam naturam arctiſſimo vinculo ſibi copulauit, quando reipſa à ſempiterno ſuo parente ſacerdos eſt appellatus, cui nemo habet ſuccedere, ſacerdotij munere ſanctiſſimo, ad mundi conſummationem, non vacabit? Quorſum enim ſacerdotium illud in Eccleſia permaneret, ſi amplius in ea, hoſtiæ nullæ immolandæ, nullæ victimæ mactandæ, nulla forent ſacra facienda? Præclarè ſanè Cyprianus, (cum prius dixiſſet, interituram eſſe religionem ſi corpus Domini in Euchariſtiæ ſacro conuiuio à conuiuis tādem conſumeretur, quia nulla ſupereſſet victima, ſine qua Religio eſſe non poteſt,) inquit, æternitatem ſacerdotij Chriſti in eo conſtitui, quòd iugiter ſtudioſè & crebrò ſacrificium Euchariſtiæ offertur. *Perpes*, ait *eſt hoc ſacrificium & ſemper permanens holocauſtum: nulla panem hunc multitudo conſumit, nulla antiquitate veteraſcit*. Cum enim minimè deceret, Chriſtianam Religionem conſpicuis ornamentis occupatam & impeditam in manu factis delectari; ipſa ſane tabernaculi cōſumptio, ipſa templi ruina, ipſa ſancta in rapinam expoſita, excellentioris cuiuſdam gloriæ ſtabilitatem & firmitudinem indicabant: manentia in perpetuum ſacramenta, cultores ſuos ad eorum quæ ab oculis remota ſunt contemplationem, & conſpectum informabant, vt, abſtractis animis à caducarum rerum complexu, cæleſtis templi decorem ambirent, cuius nec aboleſcit nec ſeneſcit religio; *vbi ſanguis animalium*, inquit Cyprianus, *non infertur in ſancta, nec ſunt hæreditariæ ſucceſſiones Pontificum, vel vni Leuiticæ tribui miniſteria aſsignata; ſed de omni tribu, & gente, & lingua, quos dignos & idoneos diuina probat electio, ſecundum vitæ non generationis meritum ſtatuit ſacerdotes, quibus calicem ſanguinis*

Serm. de cæna Domini.

Cypr. de vnct. Criſmat.

guinis sui inexhaustæ plenitudinis abundantia semper refertum, conseruandum tradidit, & erogandum, cuius aspersione intus & extra corda & corpora mundarentur.

Est & discrimen alterum idque potissimum in externa sacrificij specie constitutum. Nam sacrificia veterum, quamuis in re significata mirificè sibi mutuo cōuenerint, eundem enim Christum cruci affixum significabant; in signis tamen longè alia ab alijs differebant. Sacrificia, enim Aaronica, cruenta erant, & sub animantium occisorum specie Christi mortem repræsentabant; at Melchisedechis sacrificium, quod incruentum fuit, sub specie panis & vini eiusdem Christi corpus & sanguinem præfigurauit. Si, ergo, Christus Sacerdos est secundum ordinem Melchisedechis, & non Aaronis, sacrificium proculdubio instituere habuit incruentum & sub specie panis & vini, vt Catholica Ecclesia in eiusdem festi celebritate canit. Quod si, ex vi sacerdotij secundum ordinem Melchisedechis, non certo colligeretur, vt verè colligitur, Christum immolare debuisse hostiam in panis & vini specie, id tamen ex vi typi & figuræ haùd obscurè appareret. Nam Melchisedech in ea cæremonia panis & vini, ex doctrina omnium priscorum patrum, fuit manifestissima figura Christi sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum instituentis in pane & vino. At Melchisedech panem & vinum obtulit, vt sacerdos Dei altissimi, ac proinde verè litauit; igitur & Christus in Eucharistiæ institutione, vt sacerdotis officio verè functus egit, & verè sacrificium Deo patri suo obtulit, alioqui non exactè figuram illam impleuisset. Ita Clemens Alexandrinus inquit: *Melchisedech Rex Salem sacerdos Dei altissimi, qui vinum & panem sanctificatum dedit nutrimentum in typum Eucharistiæ.* Rex, autem Salem, (addit doctissimus Heruetus) qui fuit figura Christi, non quemuis panem dedit in alimentum Abrahæ à cæde Regum reuertenti, sed panem sanctificatum, id est, consecratum, vt qui esset sacerdos Dei excelsi, in typum Eucharistiæ, in qua sub

Lib. 4. Stromat.

In commentar.

ſub ſymbolis panis & vini, Deo conſecratur, immolatur, & offertur verum corpus & ſanguis Chriſti Domini. Cyprianus, etiam Cecilio ſcribens, cum verba illa Regij vatis ad duxiſſet, *tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech,* ſubiunxit: *Qui ordo vtique hic eſt de ſacrificio illo veniens, & inde deſcendens, quòd Melchiſedech ſacerdos Dei altiſſimi fuit, quòd panem & vinum obtulit, quod Abraham benedixit, Nam, quis magis ſacerdos Dei ſummi, quàm Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ſacrificium Deo patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchiſedech obtulerat, id eſt, panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem?* Alibi vero idem Cyprianus inquit; *ſignificata olim à tempore Melchiſedech prodeunt ſacramenta, & filijs Abrahæ facientibus opera eius, ſummus ſacerdos panem profert & vinum, hoc eſt, inquit, corpus meum.* Nec aliter cenſuit Euſebius Pamphilus Cæſariæ Epiſcopus; cùm, enim, ad eum locum Regij vatis perueniſſet, *Tu es ſacerdos in æternum; Non eris, ait, qui olim non fueris: ac ne fuiſti quidem antea, nunc autem non es: ſed ab eo qui dixit, Ego ſum qui ſum, tu es, & ſacerdos in æternum permanes.* Quamobrem, cum neque à tempore ſacerdotij initium acceperit, neque de tribu ſacerdotum exortus fuerit Chriſtus, neque artificiosè inſtructo & temporali, vel terreſtri oleo inunctus; ſanè nec finem vllum ſacerdotij eſt habiturus, neque item ſolis Iudæis, ſed omnibus gentibus conſtituendus. Ob idque iure optimo, non quidem Aaronis, ſed certè ad ſimilitudinem Melchiſedechis, ſacerdotium obtinuiſſe affirmat. Et ſanè oraculi exitus admirabilis illis videbitur, qui attentis animis contemplabuntur, Saluatorem noſtrum Ieſum, qui eſt Chriſtus Dei, ipſius Melchiſedechis ritu, ea quę ad ſacerdotium hominibus gerendũ ſpectant, per ſuos miniſtros perfeciſſe. *Nam quemadmodum ille* (ſic enim Euſebius) *qui ſacerdos gentium erat nuſquam videtur ſacrificijs corporalibus functus: ſed vino ſolo & pane, dum ipſi Abraham benedicit: ita ſanè primus ipſe Saluator ac Dominus noſter, deinde qui ab ipſo profecti ſunt ſacerdotes in omnibus gentibus ſpirituale ſecundum eccleſiaſticas ſanctiones ſacerdotij munus obeuntes, vino ac pane, & corporis illius, & ſalutaris ſanguinis myſteria repræ-*

Cypr. epiſt. 63.

Serm. de cæna Domini.

Euſeb. lib. 5. demonſ. Euang. c. 3.

Ibidem.

repræsentant, quæ sanè mysteria, Melchisedech tanto antè spiritu diuino cognouerat, & rerum futurarum imaginibus vsus fuerat. An non vides Melchisedechem in sacerdotij sui functione solo pane & vino vsum fuisse; & Christũ, & eius ministros in toto terrarum orbe in panis & vini specie sacrificium Deo offerre, atque hoc etiam modo stabile ac perpetuum esse Christi sacerdotium secundum ordinem Melchisedechis? Ambrosius quoque, cùm sæpè aliàs, tum etiam in expositione epistolæ ad Hebræos, incidens in illud ipsum Vaticinium, *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedechis, Constat,* inquit, *pecudum victimas periisse, quæ fuerunt in ordine Aaron: sed manere Melchisedechis institutum, quod toto terrarum orbe in sacramentorum erogatione celebratur.* Certè Epiphanius Episcopus Constantiæ Cypri tradit, sacerdotium Aaronis ad Melchisedechis sacerdotium fuisse translatum: *quod sanè,* inquit ille, *nunc in Ecclesia viget à Christo & huc vsque, dum non amplius semen secundum successionem eligitur, sed forma iuxta virtutem quæritur.* Præclarè Hieronymus in ea epistola, quam ad Marcellam scripsit, quò ei suaderet, vt Bethlehem pergeret, inquit; *Recurre ad Genesim, & Melchisedechem Regem Salem huius principem inuenies ciuitatis, qui iam tunc in typo Christi panem & vinum obtulit, & mysterium Christianum in Saluatoris sanguine & corpore dedicauit.* Quid Irenæum, Hipolytum, Eusebium Emissenum referam? Profectò ex eorum sententia probat Hieronymus ordinem Melchisedechis in eo constitutum esse, quòd ipse non immolauerit cruentas victimas, sed pane & vino simplici, puroque sacrificio Christi dicauerit sacramentum. Augustinus, verò, paucissimis quidẽ sed apertissimis verbis, tradit Melchisedechis oblationem figuram fuisse Eucharistiæ, & in ea offerenda æternitatem sacerdotij Christi proculdubiò consistere *Melchisedech,* inquit; *prolato sacramento mensæ dominicæ nouit æternum eius sacerdotium figurare.* Alibi etiam cùm de Melchisedechis oblatione sermonẽ instituisset, inquit, *ibi primũ apparuit sacrificiũ, quod nunc à Christianis offertur Deo toto orbe terrarum, impleturque*

Amb. in c. 5. epist. ad Hebræ. & lib. 5. de sacra. c. 1. lib. 3. de sacr. c. 3. & 6. & de initi. myst. cap. 8.

Epipha. lib. 2. to. 1. hær. 55.

Hiero. epist. ad Marcel. & in epist. ad Euagr. & in quæst. in Gene. explicãs c. 14.

Aug. epist. 95. ad Innocen. Pap.

De ciuit. Dei lib. 16. cap. 22.

que illud, quod, longè post hoc factum, per prophetam dicitur ad Christum qui fuerat adhuc venturus in carne. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Non scilicet secundum ordinem Aaron: qui ordo fuerat auferendus illucescentibus rebus, quæ illis vmbris prænotabantur. Quid plura? In eadem omninò sententia sunt, Theodoretus, Leo Magnus, Eucherius, Primasius, Cassiodorus, Remigius Antisiodorensis, & Euthymius Zigabenus, Ioannes Damascenus, Oecumenius, Theophilactus, Anselmus, omnes denique prisci patres. Est & illud nequaquam contemnendum, quod P. Robertus Belarminus Societatis Iesu, vir & Doctrina & Religione clarissimus, refert, veteres Hebræos ab hac sententia minimè recessisse. Nam R. Phinees inquit: *Tempore Messiæ omnia sacrificia cessabunt, sed sacrificium panis & vini non cessabit; sic dictum est in genesi, Et Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum. Melchisedech enim, id est, Rex Messias excipiet à cessatione sacrificiorum sacrificium panis & vini, sicut dicitur in psalmo, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

Theo. in ps. 109. Leo 1. ser. 2. de anniu. assū. su. Euche. lib. 2. c. 18. in Gen. Prim. in c. 5. epist. ad Hebræ. Cassiod. in ps. 109. Damasc. lib. 4. de fide c. 14 Oecum. in c. 3. epist. ad Heb. Theophi. & Ansel. ibid. Belar. lib. 2. de Missa c. 6. To. 2. R. Phine. in 28. nu.

CAP. XIV

ILli, itaq. qui sacrorum scriptorum volumina diligenter euoluerint, & Prophetarum monumenta exactè perpenderint, & quæ olim de hoc sacrosancto mysterio & placabili sacrificio sub figuris & velamine reuelata, & adumbrata à diuinis hominibus in scripturam relata sunt, mente perceperint, non poterunt profectò summam illius amplitudinem vllo modo inficiari, vel religionem, & cultum despicere; adeò sunt omnia clara & illustria, si ad illius institutionem & commendationem in sacra Euangelij historia contentam, & fideliter, & candidè, & accuratè referantur. Nam, vt hinc dicendi filum sequamur, quis est adeò diuinarum rerum ignarus; qui nesciat Patriarcham Isaacum, cum ad extremam ætatem peruenisset, nec amplius oculi eius suo munere fungi potuissent, & maximè exoptauisset filio suo Esauli, (quem præ Iacobo proculdubiò diligebat, quòd frequenter ijs, quæ ille ex venatione capiebat, vesceretur, quòdque primò illum genuisset) bo-

na

na precari, non ſine diuinæ prouidentiæ diſpoſitione, filio ſuo Iacobo benedixiſſe, qui perſuaſione Rebecchæ matris ſuæ, diligenter illi attulerat cibos edendos, ſe Eſaulem eſſe ſimulans? Certè vſque adeò hæc nota ſunt, vt, vel etiam parum in diuinis literis verſatis, ea omnia, quæ tunc acciderunt, ſingulatim narrare, ſuperuacaneum mihi videatur. Sumpſit quidem Iſaacus experimentum, & oſculatus Iacobum non cognouit ipſum: arbitrans autem eſſe filium ſuum primogenitum Eſaulem, ait illi. *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini.* Nonnè Eſaul reprobatus, ſynagogam; Iacobus verò electus & Deo charus, apud Veteres patres Catholicam Eccleſiam ſignificat? Proculdubiò. Eſt & illud ſpiritui ſancto valdè familiare in diuinis literis, verbum diuinum cæleſtis roris nomine appellare. Nam apud Eſaiam Dominus promittens ſe nunquam illos, qui ſibi datam fidem integerrimè ſeruarint, etiam in maximis acerbitatibus conſtitutos, ope ſua non deſtituturum, vt omnem à piorum animis mærorem depellat, ait. *Viuent mortui tui, interfecti mei reſurgent. expergiſcimini, & laudate, qui habitatis in puluere: quia ros lucis ros tuus.* Dominus quidem ſponſam ſuam Eccleſiam alloquitur. Mortui tui, O Eccleſia, reuiuiſcent, &, qui nominis mei cauſa cruciatus ſubierint, ad vitam beatam aſſumentur, ex monumentis, (ſic, enim, veteres hunc locum interpretantur) *quia ros lucis, ros tuus.* Septuaginta viri vertunt. *Nam ros, qui à te ſanitas tibi eſt.* Procopius inquit, *At fuerit eis reſurrectionis cauſa, ros ille tuus, id eſt, à te effuſum verbum illud vnigenitum, quod viuificas guttas ſuas in proprios mortuos inſtillans, eorum, quæ humanitus contraxerunt, medelam illis afferet, & vitam ſimul reddet ſempiternam.* Hieronymus ad verbum reddidit lectionem Hebræam; *Ros lucis ros tuus.* Nam Hebraicè eſt, *Ros luminum & ſplēdorum ros tuus:* Vt non ſolum ſignificet mortuorum reſurrectionem futuram, cum ros ille inſtillauerit in mortuos, id eſt, vnigenitus filius Dei mortuos ad vitam ſuſcitarit, ſed etiam oſtendat

Gene. c. 27.

Eſa. c. 26.

Procop. Theodoret. & Tertul. lib. 2. de reſurre. carn. Aug. de ciui. lib. 20. c. 21.

Sap.c.3. corpora resurrectura gloriosa, splendore radiantia: *fulgebunt*, enim, *iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* splendore, inquam, mirifico coruscabunt; & tanquam ignis in culmis aridis discurrent. His itaque verbis Dominus illis omnibus quibus diuinorum pręceptorum obseruatio cordi maximè fuerit, immortalitatē, & beatorum statum felicissimum pollicetur: Vt, quemadmodum vnigenitus Dei filius corpus proprium insita sibi virtute suscitauit, sic etiam & ipsorum corpora eiusdem Dei filij virtute reuiuiscant. Veniet enim tempus, cùm mortui sepulchris inclusi audient vocem filij Dei: vt hi, qui sanctè vixerint, diuina gloria, atque æuo sempiterno perfruantur. Expergiscimini, inquiet, qui sepulti eratis & læti estote: magnis acclamationibus vobis ipsis mutuò gratulamini: Deoque gratias immortales agite, qui tumulis obruti in puluere latuistis & tamen iam inde liberati estis. Resurgent autem mortui hac voce confestim: & quasi de somno excitabuntur; ac luce clarissima vestiti, gloria sempiterna donabuntur. Quid ita? Certè spiritus tuus, ò Dei fili, sempiterni, inquam, parentis, fili primogenite, vitalis est atque salutaris, ad similitudinem roris cælestis, qui arescentibus herbis viriditatem & amænitatem restituit, sic enim, & tu nos in vitam diuinis muneribus ornatam, & amplificatam tuo spiritu reuocabis. Si ergo, ros diuinū verbū, & Iacobus Catholicam significat Ecclesiam, nullus iam inficias ibit, Patriarcham Isaachum ita filio suo Iacobo benedixisse, vt diuino afflatus spiritu is ipse ea oratione prædixerit, quod beneficium collaturus esset in Ecclesiam suam vnigenitus Dei filius factus homo in extrema vitæ suæ periodo, hoc est, ante diem festum paschæ certò sciens sibi iam mortem imminere, cum, hoc sacrosanctum, & augustum sacramentum, & sacrificium propitiatorium, in nouissima Cæna instituit; & in Ecclesia à se exædificata perpetuò offerri iussit, verum, scilicet, corpus & sanguinem suum sub specie panis, & vini: Nam hæc est copia illa frumenti, & vini,

quam Iſaacus Iacobo filio ſuo precatus eſt. *Det*, inquit, *tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini*. Hoc eſt, verbum illud æternum, Dei filius, veluti ros cæleſtis in terras à ſummo parente demiſſus, vt ſempiterno fœdere humanam ſibi adiungeret naturam, tibi, O fidelium collectio ſanctiſſima in vniuerſas orbis regiones longè lateq. diffuſa, bonorum omnium, quæ nec mente quidem aſſequi, nec animo deſiderare potuiſſet humana imbecillitas, abundantiam & copiam ſuppeditabit. Nam ipſe proprium corpus in cibum, & ſanguinem ſuum in potum ita largiter & mirificè largietur, vt vſq. ad conſummationem ſeculi nunquā illius indigētiam patiare. Ego, enim inquit ipſemet Dei filius, *ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi*.

Hinc, credo equidem, ſacrum vatem Oſæam, cùm Iſraelis futuram conuerſionem, tum eandem felicitatem omnibus, qui ad Deum conuertentur (qui ſunt etiam in veri Iſraelis cætu numerandi) proponentem, & quæ illos huiuſmodi conſequentur bona, nempè, poſteritatis diuinæ propagatio, filiorum multitudo, decoris elegantia, virtutis ſtabilitas, pietatis odor & iucunditas, aptiſſimis quibuſdam ſimilitudinibus ab agricultura deſumptis explicantem, vt aliqua tandem ratione intelligere poſſimus, quàm florentes atque beati ſint homines, qui Chriſto nomina dederunt, & cum ſpiritu illius ſunt amore ardentiſſimo copulati, dixiſſe. *Ero quaſi ros Iſraelis, germinabit ſicut lilium, & erumpet radix eius, vt libani ibunt rami eius, & erit quaſi oliua gloria eius, & odor eius, vt libani, conuertentur ſedentes in vmbra eius: viuent tritico, & germinabunt quaſi vinea, memoriale eius, ſicut vinum Libani*. Ego omnino vaticinium hoc, cum viris peritiſſimis & in ſacris literis multum verſatis, intelligo de ſacroſancto Euchariſtię ſacramēto & propitiatorio ſacrificio, in quo fideles verum Chriſti corpus, & ſanguinem ſumunt, ſacerdotes verò offerunt Deo ipſum Chriſtum, hoſtiam viuentem, & Deo quàm maximè placentem. Quod D. Hieronimus inſinuaſſe mihi videtur. Sic enim inquit: *Et*

Oſe.c. 14.

In commentar.

ero

ero eis quasi ros: vt fornacem Babylonicam, & caminum æstuantis incendij meo rore restinguam: qui & per Isaac patriarcham ad Iacob seruum meum locutus sum: de rore cæli erit habitaculum tuum. Quomodo enim, Dominus sit credentibus lumen, via, veritas, panis, vinea, ignis, pastor, agnus &c. sic qui indigemus illius misericordia, & peccatorum febribus

Esa.c.26. æstuamus, in rorem nobis vertitur: ad quem dicit Esaias; *Ros, enim, qui à te est, sanitas eorum est*. Erit igitur, Dei filius, veris Israelitis, quasi ros, *conuertentur sedentes in vmbra eius*. septuaginta viri vertunt, *conuertentur, & sedebunt sub vmbra eius*. Est enim, figura, quam Græco nomine appellare consueuerunt eruditi, ὕστερον πρότερον, cum id quod posterius est, primo ponitur. Vnde Hieronymus ait, cum autem conuersi fuerint ad Dominum, accipient conuersionis suæ præmium, vt sedeant in vmbra eius. Nam sponsa suauissimam cum viro suo consuetudinem laudans, & quæ ex illa bona percepe-

Cant.c.2. rit, commemorans, post alia inquit: *Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis guturi meo*. Non amplius nubis vmbraculo mihi opus est, præterijt, enim, tempus illud, quo in Arabiæ solitudine Solis ardorem nubis vmbraculo repellebam: & in illius vmbra, quem ardenter amo, è grauissimis malis emersa requietē capio. Est siquidem ille arbor vitæ ad mentes hominum quodāmodo adumbrandas ramis diffusa, vt eis vitam afferat in omnium seculorum æternitate duraturam: fructus, autem illius dulcedine mirabili iucundissimè commouentur: animum enim, satiat, incrementum præbet; vires auget, voluptates affert, quas nulla temporis iniuria aut extinguere, aut delere vnquam poterit. Itaque in illius tutela viuimus, qui ita omnium nostrum patrocinium suscepit, vt & pro delictis nostris seipsum Deo patri hostiam obtulerit. *Spiritus oris no-*

Tren.c.4. *stri Christus Dominus*, inquit Hieremias, *captus est in peccatis nostris: cui diximus, in vmbra tua viuemus in gentibus*. Certè Hiero-

Hier.in cō. nymus de Iesu Christo vero vniuersorum Domino, ac vita animarum fidelium, hoc vaticinium intelligit, sub cuius tutela in vniuersis gentibus versatur Ecclesia. Ipse autem

tem ſpiritus oris noſtri eſt, *in quo viuimus, mouemur, & ſumus*. *Act. c. 17.*
Igitur, quaſi ros Iſraeli eſt Dei filius, ſub cuius patrocinio ſeruatur Eccleſia, atque ab impiorum incurſionibus ſtrenuè defenditur. Nam & Chaldæus vertit, *congregabuntur de medio captiuitatis ſuæ, habitabunt in vmbra Christi ſui. Et viuĕt tritico.* Septuaginta vertunt, confirmabuntur tritico. Vt ſit illud ipſum, quod Iſaacus Eſauli filio ſuo de Iacobo dixerat, *Frumento & vino ſtabiliui eum*. Eſt, enim hoc ſacroſancto & auguſto ſacramento, atque propitiabili ſacrificio munita Dei Eccleſia aduerſus nefarios hoſtium conatus, cuius proculdubio virtute retardantur, comprimuntur, reſtringuuntur. Nam & idemmet Saluator noſter, cùm dixiſſet ſe ædificaturum Eccleſiam ſuam tanquam ciuitatem quandam ſuper immobilem rupem cōſtructam, quæ expugnari quidem minimè poſſit; ne quis, tamen, videns ab immani hoſte bellicis tormentis vndequaque ciuitatem iſtam ſanctā Hieruſalem oppugnari, ſpem ſalutis, & incolumitatis illius perdat, in ſe vno collocatam ſpem nullo iure extenuari, nedum euaneſcere debere, efficaci perſuaſione contendit, inquiens; *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi*. Me duce aduerſariorum impetus retardabitis: corpus, & ſanguinem meum Deo offeretis, & eius maieſtatē, ſcelere offenſam, placabitis; ſum etenim victima ſemel in cruce immolata, millies, & centies millies ſingulis quibuſque diebus in Chriſtiano orbe pro peccatis hominum immolanda: nec vobis ab hoſte obſeſſis. & in diſcrimen adductis, deſperandum eſt, nequaquam enim ægeſtatem patiemini, ego enim ſum panis viuus, quem qui puro corde guſtauerit, viuet in æternum. Hoc ergo frumento Iſaacus Iacobum ſtabiliuit; hoc tritico Oſæas fideles, qui Deo nomen profeſſi ſunt, confirmandos affirmat. Quorſum, enim cum maximis illis, & ampliſſimis beneficijs, & munerum diuinorum vbertate, quæ Deus ſuis ſe tributurum promittebat, triticum adnumeraret? Certè Eſaias non obſcurè rem hanc explanaſſe mihi videtur ad vniuerſum

Iſrae-

Isa.58. Israelem Dei mandata referens. *Tunc*, inquit, *delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui. Os enim Domini locutum est.* Sicut, cùm tuo consilio ducebaris, & cupiditate quocunque lubebat rapiebaris, omnes te pestes, & ærumnæ inuadebant; &, curis tristissimis, & doloribus summis, temeritatis, & perfidiæ pœnas ingentes dabas; ita postquam voluntatem tuam detestata fueris, & te totam ad Dei voluntatem conuerteris, & ad nutum spiritus diuini applicueris, cum Domino vehementer oblectaberis, & illius suauitate perfrueris, ipse te prouehet, & in summo terrarum imperio collocabit, fructuque patriæ hæreditatis, quam Iacobo & illius sanctæ posteritati promisit, satiabit. Quis hic fructus, aut quæ hæreditas Iacobi? Non terrenam illam, proculdubiò, sed cælestem oportet, intelligamus. Iacobo filio suo, qui Catholicam figurabat Ecclesiam, dixit Isaacus, non sine diuini numinis voluntate; *Det tibi Deus de rore cæli,*
Gen. 27. *& de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini.* Hæc Iacobi hæreditas cælestis, hoc diuinum munus proprium Ecclesiæ Christi, hic patriæ hereditatis fructus, quo Iacobi posteritas sancta satiatur, nempe Dei filius factus homo sub panis & vini specie ineffabili & arcano sacramento latens; hoc sanctissimum mysterium amoris in nos diuini monumẽtum, exilij nostri solatium, imbecillitatis humanæ præsidium; cibus est cælestis, nobis in illa vltima cæna manibus ipsius Domini comparatus, illiusque beneficio Deo iugiter offerendum sacrificium summa pietate insti-
Luc.c. 22. tutum. *Accipiens enim panem & gratias agens fregit, & dixit: accipi-*
1. Cor.c.11. *te, & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur:* vel, vt Pau-
Matth.c.26 lus habet, *quod pro vobis frangitur:* Item: *hic calix est nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis funditur:* Matthæus addit, *in remissionem peccatorum:* Quid postea? *Hoc facite in meam commemorationem.* Corpus, inquam, meum comedite: sanguinem meum bibite: hoc ipso corpore, & sanguine litate: est enim & epulum, & hostia propitiabilis: ac, pro summo

hoc

hoc in nos collato beneficio, gratiarum actio singularis exhibenda est. Nam quod inquit, pro vobis datur, frangitur, funditur, non significat, proculdubiò, dari, vel effundi Apostolis ad comedendum, & bibēdum, sed dari & effundi Deo in sacrificium, idcircò, adiecit, effunditur, & datur pro vobis. Hoc, vero, summæ pietatis monumentum, constans, & sempiternum est, nec vllius temporis vicissitudini subiacet. *Os enim Domini locutum est*, inquit Esaias Sempiterna fide, & misericordia illud in Ecclesia sua stabiliuit. *Isa.c. 58.*

Quod si pleniorem huius rei probationem aliquis desideret, ad ea, precor, quæ postea quàm Isaacus Iacobo benedixit, acta sunt, mentis oculos conuertat. Vix enim Isaacus dicendi finem, fecerat, & ecce egresso Iacobo foras, venit Esaul, coctosq. de venatione cibos obtulit patri suo. Cui ille: *Quis enim es tu?* Cumque cognouisset Esaulem filium suum, rem quidem tacitus considerans, in maximam tamen ductus admirationem, ait. *Venit frater tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam*. Vix dici potest, (nam & id Spiritus sanctus expressit in huius historiæ narratione) quantum Esaul perceperit dolorem ex hoc euentu, & quā fuerit in fratrem suum ira accensus, post tamen lachrymas, post quærelas, post suspiria, post minas, quas animo quidem iaciebat, patri suo, inquit, *Nunquid non reseruasti mihi benedictionem*. Cui Isaacus. *frumento, & vino stabiliui eum, & tibi post hæc fili mi, quid faciam. Cumque eiulatu magno fleret, motus Isaac, dixit ad eum, in pinguedine terræ, & in rore cæli desuper erit benedictio tua*. Ecce Isaacus, vt filij sui Esaulis dolorem summum, quo afficiebatur, leuaret, atque molliret, in pinguedine terræ, & de rore cæli illi qualemcumque precatur felicitatem. Iam sic colligo: Bona, quæ Isaacus filio suo Iacobo, optauit & spiritu sancto afflante promisit, & concessit, longè præstant benedictioni Esaulis; cum, ergo, vtrique eisdem ferè verbis benedixerit, Iacobo quidem, hoc est, fidelium collectioni, de rore cæli, & pinguedine terræ; Esauli, verò, in pinguedine terræ, de rore cæli, bo- *Gen.c.27.*

M norum

norum vbertatem precatur; efficitur proculdubiò, Esauli, hoc est, synagogæ,& reproborum multitudini, nihil nisi terrenum & temporale, Ecclesiæ verò Catholicæ, Dei ciuitati sanctissimæ, vbertatem cælestis illius frumenti, quod dixit, *ego sum panis viuus, qui de cælo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum*, Isaaci oratione diuinitus promissam,& concessam fuisse.

CAP. XV.

NEc desunt profectò, apertissima sacrorum vatum testimonia, quibus hoc ipsum, quod intendimus, confirmare,& id, quod contra diceretur, refellere facilè possemus. Quoniam, tamen, cum illis nobis sermo est, quos non tàm sententiarum multitudine obruere, quàm ponndere veritatis, & oraculorum efficacia, in assensum Euangelicæ & Catholicæ Doctrinæ adducere conamur; vnus nobis instar omnium sit Malachias, per quem Dominus Iudæorum sacerdotibus inquit: *Non est mihi voluntas in vobis,& munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim Solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus.* Ecce vt summus Deus, longè ante quàm id opere compleuisset, dixit, fore abolendum Aaronicum illud sacerdotium, quo solus Israel vtebatur, cui suffecturus erat nouum & æternum sacerdotium secundum ordinem Melchisedechis, ad quod non ex vna duntaxat familia Aaronis, sed ex omnibus gentibus sacerdotes assumendi forent, qui in omnibus totius orbis, etiam remotissimis regionibus, hostiam mundam, hoc est, corpus & sanguinem filij Dei sub specie panis, & vini, eiusdem sempiterno parenti iugiter offerrent. Hanc, autem, esse veram & genuinam huius oraculi expositionem, docent Hieronimus, Augustinus, Cyrillus, Theodoretus, & omnes prisci patres; Eusebius Cæsariensis, Iustinus martyr, Cyprianus & ipse martyr, Damascenus. Chrysostomus, *Vide*, inquit, *quàm luculenter, quamquè dilucidè mysticam interpretatus est mensam, quæ est incruenta hostia.* Alibi etiam hoc vaticinio

Mala.c.1.

Hierony. in com. Aug. de ciu.l.18. c. 35. Euse. l.1. de demonst. Euangel. cap.6. Iustin. dial. con. Tripho. Cypri. lib.1. con. iudæ. c. 16. Damasc. lib. 4. de fide orto. c. 14.

ticinio vſque adeò vrget Iudæos, vt nunquam, niſi in noſtro ſacrificio, illud fuiſſe adimpletum, non modò aſſerat, ſed etiam efficaciter concludat. Sacrificium, enim, Iudæorum neque in toto orbe oblatum fuit Deo, neq. etiam offerri poterat extra ciuitatem Hieruſalem; ſic namque à Domino cautum erat. Hinc Patres in Concilio Tridentino inquiunt. *Et hæc quidem illa munda oblatio eſt, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari poteſt, quam Dominus per Malachiam nomini ſuo, quòd magnum futurum eſſet in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit.* Quo fit, vt ad eam, quæ in cruce à Chriſto facta eſt, oblationem, Malachiæ oraculum minimè referri poſſit: cùm nec inter gentes, nec in omni orbis loco, ſed in vna Iudæa Chriſtus ſemetipſum in mortem obtulerit. Cùm etiam Apoſtolus Corinthijs ſcribens aſſeruerit hoſtias, quas gentes immolabant, non Deo, ſed dæmonijs offerri; liquet profectò, vaticinium Malachiæ, de ſacrificijs gentium idololatrarũ nequaquam rectè intelligi poſſe, quippe quarum oblatio munda haberi nequiuerit. Non, denique, ad demiſſi & contriti cordis ſacrificium, puræ mentis, & bonæ in Deum voluntatis officia, oraculum illud propriè accommodabitur. Quamuis, enim, huiuſmodi hoſtiæ & Deo ſint gratiſſimæ & valdè acceptæ, eique in omni loco à pijs hominibus crebrò offerantur, nullus tamen eſt, qui ſine maxima temeritatis nota gloriari poſſit, mundum ſe habere cor, & ſuam oblationem mundam eſſe: Sunt, enim, omnes iuſtitiæ noſtræ quaſi pannus menſtruatæ, vt inquit Eſaias. Vitiorum, namque ſordibus polluti, atque penitus infecti, quaſi arborum folia dilabimur, & iniquitates noſtræ nos, tanquam ventis ſublatos, diſpellunt. Nulla ergo alia propriè & ſimpliciter munda oblatio poteſt intelligi, præter illam, quæ ſemel in cruce oblata eſt, cuius in Eccleſia iugis fit commemoratio.

Chriſ. in pſ. 95. & orat. 2. con. Iudæ.

Deut. c. 16.

Seſſ. 22. c. 1.

1. Cor. 10.

Pro. c. 10.

Eſa. c. 64.

Quibus & illud non abs re addimus, cordis contriti ſacrificium, non magis huius Eccleſiæ, quæ ſecuta eſt Chri-

ſti paſſionem,& mortem, quàm illius quæ præceſſit, proprium cenſeri debere. Adeò certè vt æquè tempore legis antiquæ, ac nunc, viri, qui in omni ætate floruerunt, ſanctiſſimi, ſpiritualia ſacrificia Deo offerre potuerint: necque etiam ad ſacerdotes potius, quàm ad alios cuiuſcunque tãdem ordinis illi eſſent, hæc oblatio pertineret, quod quam ſit à veri & propriè dicti ſacrificij ratione alienum, nullus, vel etiam in naturali & diuina philoſophia parum verſatus, non intelliget. Iam, verò, iuge illud ſacrificiũ, quod nouiſſimis temporibus per Antichriſtum ſublatum iri Daniel prædixit, quodnam aliud, ſi iſtud, corporis, inquam, & ſanguinis Chriſti ſub panis & vini ſpeciebus mirificè latentis ſacrificium ſilentio prætereatur, eſſe dicemus? Quod tamen vſque ad conſummationem ſeculi in Eccleſia duraturum eſſe, minimè dubitandum eſt, quantumlibet illud etiam nunc per ſuos anteſignanos oppugnare & expugnare conatur Antichriſtus, in eoque omnes neruos intendit. Antichriſtus, igitur, ferè orbis tenens imperium, tollet è medio ſanctiſsimum miſſæ ſacrificium, non quidem omninò, ſed quatenus eius notitia vel potentia pertinere poterit. Nam ſancti perpetuò ipſum cuſtodient, & colent, nec vnquam agere deſinent; non tamen vbique, aut publicè, ſed priuatim & occultè atque in locis ſecretis, & à cognitione Antichriſti remotis. Quod ergo, græcè dictum ſit ἐνδελεχισμὸν, quod ſonat continuitatẽ, nimirum diuini cultus, qui in Eccleſia omni tempore Deo exhibetur, vt interpretãtur Hieronymus & Theodoretus, præcipuè refertur ad ſanctiſsimũ Miſſæ ſacrificium apud Danielem: hoc enim ſummo odio præ omnibus alijs rebus, proſequetur, inſectabitur, & omninò tollere conabitur Antichriſtus, arbitrans, ſic Chriſti Domini Religionem ſanctiſſimam facilè extingui poſſe, ſi hunc Dei continuum cultum, quem angelus iuge ſacrificium appellauit, quoniam, non vno duntaxat in loco, nec bis tantum per ſingulos dies, mane & veſperi, vt illud Iudaicum, ſed

Dan. c. 12.

in om-

In omni loco (quod inquit Malachias) & omni tempore agitur, & offertur Deo, omnino de Ecclesia auferet. Nec mirum videri debet, si hæc hostia omni tempore Deo offerri dicatur; cùm enim Ecclesia Christi per omnes orbis partes sparsa sit, nullum est tempus diei, quod non alicubi terrarum sit ante meridianum, id est, peragendo Missæ sacrificio idoneum. Præclarè sanè D. P. Augustinus, inquit. *Audite hæc duo, Deus quomodo superbis resistit, deinde, quemadmodum humilibus det gratiam. Posuit flumina in desertum. Currebant ibi aquæ, currebant prophetiæ. Quare modo apud Iudæos prophetam non inuenis; quæris sacerdotem, non inuenis: quæris sacrificium, non inuenis: quæris templum, non inuenis. Quare hoc? Quia posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim. Vnde? Quo merito? A malitia habitantium in ea. Ecce quomodo superbis resistit. Audi quomodo humilibus det gratiã. Posuit desertum in stagna aquarum, terram sine aqua in exitus aquarum, & habitare fecit illic esurientes. Quoniam illi dictum est, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedechis, quæris sacerdotem & sacrificium apud Iudæos; & non inuenis secundum ordinem Aaronis, quia posuit flumina in desertum. Quæris secundum ordinem Melchisedechis, apud illos non inuenis, sed per totum orbem celebratur in Ecclesia.* A solis ortu vsque ad occasum laudatur nomen Domini. Et dicit Deus, quorum flumina posuit in desertum. *Non est mihi voluntas in vobis nec accipiam sacrificium de manibus vestris. Quoniam ab ortu Solis vsque ad occasum sacrificium mundum offertur nomini meo.* Quemadmodum igitur in deserta Arabiæ solitudine diuino imperio factum est, vt fluuij è rupibus scaturientes largè profluerent; sic proculdubio eiusdem summi Dei beneficio, qui rerum omnium supernarum inopia laborabant, qui legem Domini prorsus ignorabant, qui immundis sacrificijs, non vero Deo, sed arte & humano ingenio efformatis idolis litare studio maximo curabant, quæ ad interitum, non ad salutem sibi proficiebant, diuini spiritus affluentia lætantur, ex cælesti cibo miram percipiunt iucunditatem, & munda oblatione in omni orbis loco, & omni tempore Deo litant.

Aug. in psal. 106.

Ps. 112.

Non

CAP. XVI. NOn, est, autem, quòd miremur Paulum eo loci, quo agit de sacerdotio Melchisedechis, de oblatione panis & vini verbum nullum fecisse, cum tamen cætera omnia ita accuratè pertractauerit, vt etiam illorum, in quibus minus erat momenti nihil prætermiserit. Nomen, enim, hominis, sedem Regni, perpetuitatem vitæ, ius decimarũ, & benedictionem prosequitur. Non est, inquam, quòd hoc miremur. Quamuis, enim, existimandum non sit, obliuione lapsum esse Dei spiritum, vt dum rebus minutis immoratur, quod erat præcipuum, & ad causam plurimum valebat, id prorsus omiserit: non tamen idcircò huius sacrificij veritas vllo modo eneruatur, sed præceptorem suum
Ioan. c. 10. Christum Saluatorem nostrum imitatus est. Quemadmodum enim ille quondam (quod est apud Ioannem, dixerat discipulis suis; *adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis ea portare modò*: Sic Paulus, quem ipse per se erudiendum susceperat, de hoc ineffabili sacramento, & propitiatorio sacrificio verba facturus, quid ingenium assequi posset prudenter metiebatur. Cumque eam esse illorum imbecillitatem cognouisset, vt lacte potius indigerent, quàm solido cibo, non omnia de Melchisedeche oratione complexus est, sed ea tantum, quæ illorum captum non excedebant. Vnde disertè, cum retulisset præclarum nomen æterni sacerdotis, non iam ritu Aaronis, cuius sacrificia nihil ad perfectum adduxerunt, sed secundum ordinem & institutio-
Ad Euagri. to. 3. nem antiqui illius Melchisedechis, inquit; *De quo nobis grandis sermo & ininterpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti estis ad audiendum*. Id est, sic enim Hieronymus, qui dicendi difficilem hoc tempore interpretationem habet, exceditque omnem verborum vim ac significationem. Non enim fideles iã, sed adhuc perfidiæ errore detenti erant Hebræi, cum quibus Apostolus loquebatur. Vnde, non quòd non potuerit id exponi, sed quia illius temporis non esset, luculentiorem expositionẽ in tempus aliud differre è re Christiana esse duxit. Non enim, omnia, nec omnibus, nec ab

omni-

omnibus,nec omni loco & tempore tradenda esse, præclarè docuit Gregorius Nazianzenus. Tunc enim vnaquæquæ res benè dicitur, si benè fiat: Neque tam est rectum aliquid, quod si desit prudentia, non æquè perniciosum euadat,atque,sapienter administratum,futurum fuerat salutare. Certè Christus Dominus de morte sua sermonem initurus, qua nihil esse potuit humano generi salubrius,discipulos suos ab aliorum consortio segregauit,quibus cum ea de re ageret,quòd vulgò mysterium hoc rectè communicari non posset. *Nazianz. de Theolo. lib. 1.*

Adeò autem interest opportuno loco, & tempore aliquid fieri,vt summus ipse Deus quandoque opportunitatem spectasse videatur. Nam in Mosaicis libris, sempiternus parens apertè prædicatur, de filio verò obscurior sermo habetur: At in Euangelicis, Deus filius palàm annunciatur, sancti verò spiritus diuinitas non ita patentibus argumentis explicatur; quæ posteà tamen intellecta & ipsa est. Cur ita? Disertè Nazianzenus: Quia non dum patris diuinitate confessa,manifestè filium Deum prædicare: ac rursus non dumDeo filio declarato,spiritui sancto diuinitatem apertè tribuere, quid futurum erat aliud, quàm infantibus lacte alendis solidum cibum comedendum offerre? Prudenter,igitur,se gessit Apostolus Paulus, ea tantum proferēs, quæ profutura arbitratus est,cætera quamuis cognitu dignissima atq. maximè necessaria,in tempus aliud magis opportunum consultò differens. Hoc ipsum, cùm apud Athenienses sermonem habuit, fecisse legitur. Ne, enim, gentes nouitate doctrinæ deterreret,non statim à principio in idolorum cultum inuehendum sibi esse putauit, sed ab vno Deo mundi opifice sermonem inchoauit, cui vel saltem naturæ ductu assentire cogebantur. Quæ, enim,gens, aut natio adeò barbara & immanis est à communi sensu aliena, quæ si vel parum ad mundi opificium mētem appellat,non agnoscat vnum esse rerum omnium fabricatorem, Deum vnum, vnum omnium factorem? *Lib. 5. de Theolo. & orat. in 5. pente.*

Stans,

Actor.c.17. *Stans igitur, in medio Areopagi, ait. Viri Athenienses per omnia quasi superstitiosiores vos video. Præteriens enim, & videns simulachra vestra, inueni & aram, in qua scriptum erat, Ignoto Deo. Quod, ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis. Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt, hic cæli & terræ cum sit Dominus non in manu factis templis habitat.* Video inquit vos ò Athenienses, præter cæteros Græcos in dijs colendis, & inquirendis deorum naturis nimis studiosos: idque facilè vobis ostendam, dummodò veritatem, quam inquirere & cognoscere in primis oportet, amplectamini: & quoniam res ipsa, ingenium vestrum, & studium fores mihi aperit ad referandam vobis rem nouam, simul & antiquam; antiquam, vtpotè quam apud vos constare video; nouam, quippe cuius cognitionem & certam rationem minimè habetis, vos oro, vt attentis animis & auribus bonaque cum venia quicquid dixero, audiatis: Intelligetis enim à me non inauditos, nec nouos deos vobis afferri, verum de Deo à vobis culto, nouam & certam rationem reddi. Cum autem auditorum animos sibi conciliasset, & maximam attentionem comparasset, Deum vnum omnium conditorem, ex ijs, quæ ipsis haud ignota esse poterant, facilè ostendit; nempè ex hominum origine, & poetarum sententijs. Quamuis enim nationibus varijs, ac regionibus disiuncti, tamen ab vno Noe ortum duxere, atque post diluuium missi sunt, & diuisi in regiones, quas habitarent, certis limitibus distincti, & certis terminis cohibiti: neque, enim, in immensum extenditur terra. Ita alij cum alijs conferentes poterant originis suæ notitiam & communionem conseruare. Deinde etiam cùm vterentur statutis temporum spatijs, ad communem omnium vtilitatem, poterant cognoscere authorem illum vnicum, qui hæc ipsis adeò constanter præberet, atque hoc modo & suam dignitatem concordia summa tueri debuerunt, & ipsum maximum sui generis authorem beneficentissimum quærere atque inuenire, illi tanquam patri omnium inhærere studentes maximè cum ipse adeò propè sit

vt

vt inueniri à quærentibus facilè poſſit, quippe qui vltrò ſeſe, collatis in omnes beneficijs, inſinuet. *Fecitque*, inquit ille, *ex vno omne genus hominum inhabitare ſuper vniuerſam faciem terræ, definiens ſtatuta tempora, & terminos habitationis eorum, quærere Deum, ſi fortè attrectent eum, aut inueniant, quamuis non longè ſit ab vnoquoque noſtrum; in ipſo, enim, viuimus, mouemur, & ſumus*. Deinde ex veritate ab ipſorum poetis decantata, atq. conſenſu omnium comprobata, oſtendit intelligere & cognoſcere eos maximè oportere, diuinam naturam longiſſimè eſſe à materia, atque ab imperfectione iſtarum rerum, & artium, quæ nobiſcum comparatæ nihil ferè aut ſunt, aut videntur: aut, ſi quid formæ habent, id ab hominibus acceperunt, non ſecundum naturam hominum, ſed ſecundum cogitationem & artem à naturæ perfectione infinito ferè interuallo diſtantem. *Genus, ergo, cum ſimus Dei* (proſequitur Paulus) *non debemus æſtimare auro, aut argento, aut lapidi, ſculpturæ artis & cogitationis hominis, diuinum eſſe ſimile*. Tunc ad pænitudinis ſtudium ob ſuſceptum idololatriæ atrox & nefarium crimen eos hortatur. Denique, cæleſtis ac diuinæ huius ſapiētiæ ad animorum ſalutem magnoperè neceſſariæ Doctorem, oſtēdit fuiſſe Chriſtum, quem à mortuis ſuſcitatum ſtatuit Deus perpetuum magiſtrum & certiſſimum authorem huius veritatis, & exactiſſimũ & ſeueriſſimum iudicē, cuius virtute & munere certa ſibiq. conſtituta die Deus vniuerſum orbem æquiſſimè iudicaturus eſt. Nec tamen Deum maluit quàm hominem Chriſtum nuncupare. Qui, enim de rebus ſupernis, & quæ omnem captum lōgè ſuperant, apud aliquos tractare inſtituit, diligenter debet eorũ perſonas conſiderare, ne, vt inquit Ambroſius, priùs irrideatur, quàm audiatur. Si enim Athenienſes irridebant Paulum, & quaſi ſybilis proſequebantur, quamprimùm audierunt reſurrectionem mortuorum futuram, quanquam de animi immortalitate in illis gentium tenebris nonnullæ ſcintillæ eluxerint; quam ei fidem adhibuiſſent, ſi verbum carnem factum, & de ſpiritu ſancto virginem

Act.c.17.

Amb.lib. 6. in Luc.

concepisse Apostolus annunciauisset, quod nulla philosophiæ ratio excogitare nulla humanæ sapientiæ perspicacitas inuenire, neq. nisi à Deo expositum cognosci potuit? Quidam tamen, viri, in quibus Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, per fidem & pœnitudinem ab ipso indictam & postulatam, suum nomē in illius disciplinam profitentes, crediderunt in virum, vt in Deum crederent. Non, ergo, in principijs perfecta sunt quærenda, sed ex principijs ad ea, quæ perfecta sunt, perueniendum est. Quamobrem & alij Apostoli à Paulo mysteriorum reuerentiam, & authoritatem silentio conseruandam esse putauerunt: Vnde & mysteriorum nomen illis tributum est, quòd ea occulta esse, neq; in vulgus prodi oporteret. Quò fit perperam à Satanæ ministris colligi; Non meminit sacrificij huius panis, & vini Paulus, vbi de Melchisedeche tractat, malè igitur ad Christi sacrificium refertur.

C. XVII. SEd quid si Paulus stupet mysterium, & silentio suo fatetur illud esse ineffabile? Certè, si quid censeam, dicere mihi fas est, & hoc magis in amorem eiusdem Dei filij tanti mysterij authoris nos excitare debet. Nam, si animum ad sacras literas, vt decet, aduertamus, facilè profectò inueniemus, in quàm multis Dei operibus adeò eminere id, quod ipsius gloriæ amplitudinem declarat, cum eo copulatum, quod mentis nostræ tenebras expellit, nos illustrat, erudit, & in illius amorem nos trahit, vt id ipsum, quod magnitudinem, & Dei omnipotentis amplitudinem notam facit, quod eius gloriam aperit, quod ipsius maiestatem amplificat, adeò vt in admirationem maximam nos rapiat, & animos nostros reddat attonitos, hoc ipsum admiratione sui impellat nos ad laudes ipsius Dei prædicandas, & ei summa cum fidelitate doceat inseruire. Equidem, hoc idem ipsum, quod Deum immensum, nullis terminis circumscriptum, nulli tempori obnoxium nobis ostendit, hoc, inquam, ipsum suadet, vt ei totis viribus, & neruis placere studeamus. Hinc profectò, cum totius orbis conditor,

tor, & rerum omnium ſator in faſtigio montis Sinæ, qui mons eſt in Arabia, legem ſanctiſſimo Moſi dedit tonitribus & fulguribus ei ſeſe oſtendendo, & timorem quàm maximum incutiendo omnibus, qui ſub Moſe erant, prodigijs ingentibus maieſtatem ſuam indicantibus emiſſis, populus ille à duce ſuo petijt, vt ſibi patefaceret Domini mandata, quia non audebat, ſine interitu, verba Dei talem terrorem inijcientis audire. Cui Moſes, *Nolite*, inquit, *timere, vt enim probaret vos Deus venit, & vt terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis*. Non quidem, vt ſibi innoteſceret, qui ſitis; ſed vt vobis ipſis appareat, quòd timeatis Deum, eiuſque perſonam & maieſtatem; & terror hic vos à peccato cohibeat. Itaque, quod proprium erat ad manifeſtandam Dei amplitudinem, & maieſtatem, factum quoque erat ad reprimendos à ſceleribus homines, & cohibendos, ne tantum Dominum, tam potentem Deum, à quo cæleſti rore paſcebantur, criminibus ſuis offenderent. Et re vera, patratio criminum in Deum, in Deum, inquam, qui, vt aſpectu ſuo omnes beat ordines cæleſtes; ita oculos auertendo, omnium malorum genera, quæ concipere nequaquam mente poſſumus, nos citato curſu inſequuntur, non aliunde proficiſcitur, quàm ex timoris depoſitione. Nam eo ſublato & ex animis noſtris penitus expuncto ſceleribus nos tradimus, & diuinum lædimus numen. Vnde, cum Moſes dixit, *vt terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis*, proculdubiò voluit ſignificare, populum illum nihil in Deum cōmiſſurum, quamdiu in memoria haberet maieſtatem Dei, qui tot prodigijs timorem non mediocrem intulerat: & quamdiu eius immenſa poteſtas ante oculos verſaretur, qui homines ad nihilum poterat redigere.

Exo.c. 20.

Reducamus ergo in mentes, & animis noſtris pertractemus myſteria Religionis Chriſtianæ, & fidei orthodoxæ, quam Eccleſia Romana profitetur, & docet; eadem, enim hæc, quæ ſtuporem mentibus ingerunt, linguæ implicationem addunt, memoriam retardant, nos Deo ſerui-

 re in-

re inducunt,&,vt ita loquar,impellunt, & cogunt, & nos in officio nostro retinent. Quid admirabilius? Quid animos hominum magis attonitos reddit? Quid mentes nostras in maiorem admirationem trahit, quam id, quod fides de numine diuino nos docet, nimirum, id esse vnum in substantia,& trinum in personis:Dei filium à Deo patre genitum,illi coæternum,illi parem gloria,potentia & maiestate; præditum eadem natura atque essentia, & omnibus perfectionibus ornatum: Patrem verò & filium iam inde ab æternitate se mutuò diligentes amorem spirare æternum & infinitum,qui non affectio aliqua est,aut habitus,sicut amor noster, sed verus Deus,& eiusdem ac pater & filius naturæ: Cùmque vna sit simplicissima Dei natura,eam tamen trina hyposthasi perfectam, patre, filio, & Spiritu sancto sine vlla diuisione consistere. Vt, quia non vna est hypostasis,non sit solitarius; quoniam vero eadem est trinæ hypostasis natura,vnus tantum sit,& nominetur Deus. Itaque vnaquæque persona sua proprietate distinguitur, & omnes inter sese naturæ cæterarumque rerum, sine vlla exceptione, communitate iunguntur. Sic fit, vt filius cum patre,sine vlla confusione aut permixtione, vna penitus natura coniunctus, & ab eodem, sine vlla distractione aut auulsione, hyposthasi sit distinctus. At verò spiritus sanctus ex patre & filio vno sui ipsius principio æternus ex æternis, nec creatus, nec generatus mirabiliter procedat,& ita cum vtroque eiusdem prorsus naturæ communione copulatus,alius sit ab vtroque. Quid hoc admirabilius aut dici, aut cogitari potest? Quid hoc præstantius? Quid hoc augustius? Quid etiam maiorem consolationem affert humanę menti,quàm cogitatio huius tam incomprehensibilis & ineffabilis mysterij? Quid est,quod magis alliciat homines ad colendum omni obseruantia talem ac tantum Deum? Quid, quod magis nos deterreat à transgressione omnium, quæ ab illo nobis imperantur? D.Chrysostomus, agens in eos, qui se ita insolenter gerebant,

Chrys. to. 5. de incompræh. Dei natura hom. 1.& 2 cont. Anomæos.

bant, & se tam rerum diuinarum peritos iudicabant, vt non vererentur dicere, naturam & essentiam ipsius Dei sibi prorsus cognitam & perceptam, disertè ait: Cum Deus incomprehensibilis sit, minimum illud, quod de natura, & amplitudine ipsius cognosci potest, tantum esse incitamentum ad ipsum diligendum, quantum ad nos in aduersis consolandos. Nam, si Deum, quia non solum bonus, sed etiam ipsum bonum est, amore prosequimur, tantò magis à nobis diligendus & obseruandus est, quantò minus eius inexhaustam bonitatẽ assequi possumus. Si, quia omnibus affluit diuitijs, illum amamus, eò profectò accuratius ipsi seruiendum est, quia non valemus, neque acie oculorum, neque animo, cernere finem opum quas possidet, neque metas munerum, quibus nos potest cumulare. Coniectis igitur quantum in nobis est, oculis in magnitudinem Dei, in illius gloriæ immensam profunditatem, in celsitudinem potentiæ, qua valet, in maiestatem, quæ vbique diffunditur, tanto maiori afficiemur consolatione, quanto minus de diuina amplitudine comprehendemus, & animi nostri multò magis obstupescent, cum videamus spes nostras eo firmiores esse, & amorem tantò meliùs collocatum, & obsequia tantò maioribus præmijs prosequenda, quantò maior est Deus, cui hæc impenduntur. *Hæc cum audis*, inquit Chrysostomus, *non te luges? Non te ab hominum consortio distrahis? Non te obruis, qui eo amentiæ atque temeritatis proruisti, vt quem glorificare duntaxat debes, & adorare, hunc vt rem quandam abiectam & vilem curiosè scruteris, & contendas penitus comprehendere?* Pusillus esset Deus, & pusilla esset potentia, quos capere possemus: & ideo Deus & Dominus noster, est omnium linguarum præconijs dignus, & omnia obsequia, quibus illum prosequimur, in eo sunt meritò collocata, quia ipsius natura, ipsius gloria, ipsius maiestas ea est, vt mens neq. angelica, neque humana vel minimam possit partem assequi. Hoc idem videre est in rebus alijs. Quid magis stupendum? Quid maiorem humanæ menti parit

Hom. 2.

admi-

admirationem? Quid ſenſus noſtros magis rapit, quàm id, quod à Chriſto profertur, de beatitudine? nimirum, eam poſitam eſſe in paupertate, in tolerantia iniuriarum, in tā-to animorum vigore & celſitudine, vt inimicos diligamus: vt noſmetipſos vincamus: vt Deo morem geramus, vel natura noſtra reluctante, vel appetitibus, qui nobis inſunt, repugnantibus. Quid contra, maiori ſolatio poteſt eſſe Chriſtiano homini, quàm intelligere, beatitudinem noſtrā quamdiu hic viuimus collocatam eſſe in illis rebus quæ tunc ſibi facilius contingent, cùm minus fortunatus apud homines fuerit.

Fige obſecro oculos in hoc admirabili & auguſto ſacramento, & vtrumque quod diximus reperies: ſcilicet admirationem incredibilem, & ſolatium non vulgare. Si quæris, quid ſit? A Chriſto accipies, qui, omnibus ambagibus remotis ingenuè aſſerit ſuum eſſe corpus & ſanguinem velatum panis & vini accidentibus; non imminutus, ſed totus Chriſtus, non in partes ſectus, aut diuiſus, ſed integer in puriſſima eſt hoſtia, & in eius minima parte tantus, quātus eſt, ineſt. Quid igitur eſt, quod maiorem pariat admirationem, quàm celſitudo, & amplitudo huius tam miri & tam præſtantis ſacramenti? Illud etiam me rapit, & me attonitum efficit, quod cùm in hoc ſacramento verus ſit Chriſtus filius Dei eiuſdem naturæ, eiuſdem potētiæ, eiuſdem maieſtatis cum patre: Chriſtus inquam verus Deus & idem verus homo, velit ipſe, & iubeat ſe pro cibo accipi ab homine, creatura ſic abiecta & vili. Tam ſublime, & tam difficile eſt hoc myſterium, vt cum D. Paulus voluiſſet in mentionem eius ingredi, neceſſarium exiſtimauerit, ſermonem ſuum authoritate diuina ſtabilire, & ſe diſcipulum Chriſti profiteri, ab ipſo edoctum. *Ego enim*, inquit, *accepi à Domino, quod & tradidi vobis*. Et in epiſtola ad Galatas, *Notum, enim, vobis facio fratres, Euangelium, quod euangelizatum eſt à me, quia non eſt ſecundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici: ſed per reuelationem Ieſu Chriſti.*

1. Cor. c. 11.
Ad Gal. c. 1.

Quod

Quod si D. Paulus hoc mysterium quàm maximè admiratur, &, ne homines audientes ipsius de hac re concionē, incredibile hoc arbitrarentur, necessarium duxit testimonijs vti cælestibus, vt maior fides dictis suis esset: oculos quæso mentis è somno iam tandem excita, atque expergefactus vide, & diligenter, non defunctoriè, animaduerte totam tuam & nostram consolationem in celsitudine, & maiestate huius sacramenti sitam atque collocatam esse. B. Ephræm omnia fidei & Religionis Christianæ singulatim euoluit mysteria, & ad nullum eorum oculos conuertit, quod ipsi non in mentem reducat beatitudinem & felicitatem illam, ad quam creati & nati sumus: quia in singulis, quas videbat, rebus animaduertebat, vnamquanque earum satis superq. esse ad hominem beatum reddēdum. *Cum* inquit, *Christianæ vitæ rationem considero, singula ipsius instituta afferre beatitudinem perspicio*. Si præcepta Diuinæ legis, à quibus homines abhorrebant, intuebatur, eadem hæc ipsi videbantur portus, qui animo tranquillitatem tempestatum, quibus homines, qui alium motum sequuntur, variè & cum maximo iactantur periculo, haud obscurè promittebat: Causa enim oblectamenti, & pudicæ voluptatis multò certior, multò firmior & multò constantior homini Christiano est, quàm eius desideria. Si præmia, si solatia considerabat, quæ hominibus legis Diuinæ studiosis cultoribus tribui solent, eos quidem multo beatiores & feliciores iudicabat, quia tantis solatijs refecti vitam degunt, & pro tam magnis præmijs insudant, & tanta spe aluntur. Hic B. Ephræm sistit, neque vlterius progreditur, & procul omni dubio videtur nullum exemplum sacramentorum, quæ Christus in nostram vtilitatem, & Ecclesiæ suæ decorem & amplitudinem instituit, ab illo in medium prolatum, tanquam hoc liquidò constaret. Sed nos præcipuè & ante omnia prosequamur diuini sacramenti altaris institutionem, quod profectò dilucidius, & clarius, quàm vlla res alia, nobis ostendit beatitudinem nostram: siqui-

lib. de vitijs & virt.

ſiquidem eſt verum & perpetuum ſignum amoris, quo nos amplectitur Deus ille, cui iuſtis de cauſis inſeruimus, à quo pendemus, cuius potentiam ſubterfugere non valemus, à cuius beneficijs declinare neque fas eſt, neque licet, neque poſſumus. Nam, vt amor vlterius tendere non poteſt, quàm vt Deus ſe conſtituat cibum, quo mentes noſtræ paſcantur, & ſacrificium, quo Deum patrem placemus; ita nullum maius amoris pignus habere poteramus, quàm ipſum Deum, quem ſuſpicimus, quem colimus, quē veneramur, factum cibum ad noſtram conſolationem & animorum certiſſimum alimentum. Beatus Dionyſius hoc idem probat, quia etiam bona cæleſtia in hoc ſacramento depicta & expreſſa ſunt. Ieſu, inquit, *feliciſſimam in cælis ſocietatem de ſacroſancti myſterij communione conijciat*. Si omne noſtrum bonum in cælo habemus, omnes noſtræ ſpes in cælo fixæ ſunt, & tunc hoc bono affatim fruemur cùm ad ſupremam ſocietatem Ieſu Chriſti accedemus: Sanè, iam nunc, ſummo Chriſti beneficio, fruimur quadam illius exactæ & ſempiternæ beatitudinis imagine, quippè cùm, huius ſacramenti virtute, ita vnum corpus omnes efficiamur, vt cum Chriſto vitali noſtro capite arctiſſimo amoris nexu & ineffabili myſterio copulemur.

De cæl. Hierar. c. 1.

Quod vidimus, inquit Ioannes, *& audiuimus annunciamus vobis, vt & vos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum patre & cum filio eius Ieſu Chriſto.* Vnde Paulus cùm dixiſſet, ad Corinthios ſcribens, *Fidelis Deus per quem vocati eſtis in ſocietatem filij eius Ieſu Chriſti*, adiecit, *Nemo itaque glorietur in hominibus. Omnia enim veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei*. Itaque, nemo, quod ſpectat vel ad hanc rationem ſalutis, vel ad beatorum felicitatem ſempiternam, ſpem ſuam in hominibus collocet. Collocent autem omnes ſpem ſuam in eo homine Deo, qui à ſempiterno parente in terras dimiſſus non modò homines ſcelerum colluuione ſubmerſos ad ſe vocauit & ex maximo diſcrimine, in quo verſabantur, eos liberauit, verum etiam adminicula ad eorum inſtructionem

1. Ioan. c. 1.

1. Cor. 1.

1. Cor. 3.

nem comparata, & sacramenta ad reficiendas & corroborandas animorum vires instituta ad eorum vsum retulit; Vestra, igitur, omnia sunt. Vos, vos omnes appello, qui Christo nomen & fidem dedistis. Vos autem Christi vos ad se vocantis, vt cælestium donorum socios, comites, participesque vos habeat: Christus autem Dei, à quo ille in hunc mundum salutis vestræ causa est missus.

Si ergo illius tam excellentis & eximij boni, quod omnem humanum captum longè superat, & supernæ illius ac diuinæ societatis, quæ Christo cum beatis est in cælo, viuam quandam imaginẽ videre desideramus, mentis oculos in hoc augusto sacramento & singulari sacrificio collocemus. Nam si hic, vbi natura repugnat, vbi amor noster imbecillis est, vbi virtus nostra instabilis & inconstans, hic Dominus verus Deus & homo ita se animis nostris adiungit, & ita homines inter sese coniungit, & tantum ex se illis confert, vt se ijs efficiat epulas, & hac ratione societas hominum inter ipsos, & vitæ spiritualis communitas mirificè contineatur, *Vnum enim corpus multi sumus omnes qui de vno corpore participamus:* Quid in cælo faciet, vbi amor syncerus est, vbi status seuerus existit, vbi nihil esse potest, quod nobis impedimento sit, quominus beneficijs à Deo in nos profectis perfectè fruamur? Est, ergo, hoc sacramentum imago felicitatis nostræ, & tanquam pictura felicissimæ societatis, quam Christus Dominus noster in cælo beatis impertit, & perfectus typus munerum, quibus illos in supernis sedibus cumulat, & ideo non absre à B. Dionysio vocatur aliorum sacramentorum consummatio, quia in eo se totum Deus confert, in alijs verò per partes se tribuit. Est & hoc sacramentũ thesaurus amplissimus, & inexhaustus à Christo nobis in terra relictus, vt soluamus Deo patri beneficia, quæ plurima contulit in nos & confert. Nam, optimè B. Irenæus animaduertit, homines tot beneficijs deuinctos, & tot muneribus locupletatos teneri aliquid collatori offerre, non quod ille oblationibus nostris indi-

De eccle. Hier. c. 3.

Lib. 4. c. 34.

geat, ſed quia nos eius beneficijs egemus quàm maximè. Lib. 4. c. 34. *Offerimus autem ei non quaſi indigenti, ſed gratias agentes donationi eius. Quemadmodum, enim, Deus non indiget eorum, quæ à nobis ſunt: ſic nos indigemus offerre aliquid Deo. Qui enim nullius indigens eſt Deus, in ſe aſſumit bonas operationes noſtras ad hoc, vt præſtet nobis retributionem bonorum ſuorum.* Quid, quæſo, poteramus offerre Deo in præmium & remunerationem tantorum beneficiorum, cùm ipſe nobis filium ſuum vnigenitum largitus ſit, quod non eſſet meritis longè impar, & indignũ quod Deo præſtaretur? Huic inopiæ Chriſtus, cùm ad mortem ſeſe accingeret pro nobis occubiturus, remedium tulit, vt haberemus, quid Deo patri ſuo offerremus in remunerationem necis, quam ipſe, vt nos ob inferorũ vinculis liberaret, pro nobis ſubijt. Hoc enim ſacroſanctum inſtituit ſacramentũ, in quo verè & reipſa nobiſcum permanet vſque ad mundi conflagrationem. Quo certè factum eſt, vt, cum nobis filium tuum vnigenitum, ò ſumme Deus, in redemptorem dederis, qui, vt è faucibus mortis nos eriperet, & ad vitam reuocaret in ſacrificium ſe tibi obtulit, nos quidẽ, qui pro hoc eximio & ſingulari benificio, cuius vel ſola cogitatione mentes noſtrę proculdubiò obruuntur, tibi nequaquam ſatisfacere poteramus, eiuſdem beneficentiæ tuæ copia & facultate munus iſtud compenſemus. Quicquid enim, quod alicuius ſit æſtimationis, in vita habemus, id profectò non noſtrum, ſed tuum, à te nobis munificè conceſſum, non noſtra virtute partũ eſſe minimè diffitemur: at Chriſtum, cùm tu, ò rerum opifex, & ſator omnium Deus ſumme, nobis illum dederis, audacter noſtrum eſſe prædicamus: noſtræ enim ſunt illius lachrymæ; noſtri ſunt illius labores; illius ſanguis in cruce effuſus; illius mortis fructus mors ipſa, quam occubuit, ille denique totus noſter eſt. Hãc igitur liberalitatem, hunc amorem, quo filium tuum nobis dediſti: illas eius lachrymas, labores illos, quos pro nobis pertulit, ſanguinem illum, quem pro nobis fudit, mortem, quam obiuit, omniaque in nos collata beneficia, eo-

dem

dem filio tuo tibi persoluimus. Etenim ille se tibi in sacrificium cruentum obtulit: sed nos eundem Dominum & Redemptorem nostrum tibi in sacrificium laudis offerimus. Quamobrem, non mediocris illa quidem, at amplissima consolationis & oblectamenti causa orta ex ijsdem prorsus mysterijs, quæ animi nostri imbecillitatem sua immensitate omnino absorbent, nobis subest: ita certè vt eadem, & stuporis, & leuamenti ratio in huius sacrosancti mysterij amplitudine & maiestate sita sit & collocata. Quo fit, vt inde erumnarum omnium, quæ nos premunt, quamdiu viuimus, eò maiorem percipiamus consolationem, quò magis certùm, nobisque reipsa testatum est, verum Dei filium Christum Saluatorem nostrum & nobis sub specie panis, & vini in cibum & potum tradi, & à nobis sempiterno suo parenti in sacrificium offerri.

Languent profectò tanti muneris cogitatione, & grata suscepti beneficij memoria vires humanæ; sensus omnes torpentes officio suo vti minimè possunt; mens ipsa & animus obstupescit, labitur, deficit: tantam enim rei magnitudinem, & mysterij immensitatem illius exiguitas capere non potest. Ecquid mirum? Angelici sanè illi cælestium spirituum chori illud vsque adeò admirantur, vt omninò stupescant. Quare non est quòd quis sacramentum hoc alijs nisi fidei oculis, qui decipi non valent, inspiciendum ducat. Certè sanctus ille & insignis patriarcha Isaacus opinabatur se lepore in agris capto vesci, & ex agno domestico edebat. Et cum percepisset odorem vestium, quibus Esaul indui solebat, eum esse credidit, cùm tamẽ non Esaul, sed Iacobus illis eo tempore ad hunc vsum vteretur. Arbitrabatur se manus pilosas Esaulis contrectare, & erant pelliculæ hædorum, quibus Iacobo mater sua collum & manus circundederat. Exterior certè forma decepit ipsum senem, qui tamen ex voce Iacobi longè aliud sensit, quàm tactus fuerit testatus. *Vox quidem*, inquit Isaacus, *vox Iacob est: sed manus, manus sunt Esau. Et non cognouit eum, quia pilosæ ma-*

nus similitudinem maioris expresserant. Falluntur, sensus nostri accidētibus, quæ in hoc sacrosancto mysterio oculi prospiciunt: vident enim tantùm panis candorem, & vini ruborem: olfactus percipit temeti odorem: tactus mensuram & quantitatem hostiæ sentit, cogitant sensus panem, & vinum esse, cum interiora penetrare non valeant: sed intellectus fidei adstrictus secretiora contemplatur, vocem Iacobi cognoscit, quid sensus percipiant, non curat; sed Deo
Rom.c, 10. credit, qui ait, *hoc est corpus meum. hic est sanguis meus; fides* enim *ex auditu* est, *auditus autem per verbum Christi*. Aliud, igitur est, quod sensus iudicant: aliud verò, quod docet fides munita veritate nequaquam hominem decipiente. Hæc enim veritas Christus est, qui neque fallere, neque falli potest. Hic affirmat in sacramēto altaris reuera sanguinem suum esse, & corpus suum ita existere, vt in cruce extitit. Sed hic eius diuinitas latebat, & solum humanitas, quæ mortem subibat, oculis se videndam præbebat: illic verò & diuinitas & humanitas oculos subterfugiunt.

Scio equidem huius sanctissimi mysterij amplitudinem & maiestatem nulla similitudine adæquari, imo nec attingi posse. Haud tamen tantæ celsitudini derogare videbitur, qui non omni ex parte illud exprimere, sed aliquatenus obscuris quibusdam lineis, veluti longè aspiciens, adumbrare non temerè sed religiose tentauerit. Quemadmodum igitur cùm imponit instructor domus finem cubiculo tapetibus & aulæis ornando, in quo Rex sedem habiturus est, eo ingresso, egreditur: sic in hoc mysterio, ante consecrationem, est quidem substātia panis & vini, sed miro quodam modo, prolatis verbis in hunc vsum à Christo institutis, hæc eadem virtute diuina in ipsius Christi corpus & sanguinem transubstantiatur (nec enim est cur ab hoc vocabulo tantoperè abhorreamus, quod nullam nauseam Catholico & pio stomacho vnquam parit) & relinquitur ei domicilium albore odore & quantitate, quæ oculis subijciuntur, foris ornatum: his tamen ac-

cidenti-

cidẽtibus Christum totum, qui in cælis existit, velari haud dubiè fatendum est. Cuius rei typus non obscurus habetur in libris Regum. Nam illo die, quo Salomon arcam fœderis in templum iam omni ex parte absolutum vehendã curauit, tradunt vetera & sacra monumenta, sacros Dei ministros ad templi vsque adita, quæ sanctum sanctorum dicebantur, accessisse, & illic sub alis Cherubinorum, qui tali dispositi erant arte, vt totam tegerent, eam debita obseruantia statuisse. Cumque iam sacrifici in eo essent, vt è sanctuario egrederentur lapsa est nubes, & nebula tam caliginosa exorta est, vt sacerdotes sacra perficere minimè potuerint. *Factum est autem, cùm exissent sacerdotes de sanctuario, nebula impleuit domum Domini, & non poterant sacerdotes stare & ministrare propter nebulam: impleuerat enim gloria Domini domum Domini*. Lib. 3. Reg. c. 8. Vbi nostra vulgata editio habet, nebula, in Hebraicis voluminibus caligo pro nebula posita inuenitur. Videns itaque Salomon sacrificos valdè exanimatos, eos bono animo esse iussit, & metu, quo tenebantur, quàm maximè fieri potuit haud cunctabundus liberauit. *Dominus* (inquit ille) *dixit vt habitaret in nebula*. Cogitanti autem mihi, quomodo hæc duo adeò inter se pugnantia, nempe, caligo nebulæ, & gloriæ Dei splendor, coniungi possent, subitò in mentem venit, hanc nubem non fuisse illius dissimilem, quam Deus ipse filijs Israel ex Aegypto fugam arripientibus quondam traditur præstitisse. Lucem enim, & caliginem, vt nonnullorum opinio est doctorum, vno eodemque tempore mirum in modum emittebat. Lumen præbebat Israelitis, vt quà tenẽda esset via, clarissimè viderẽt: Aegyptiorũ oculis tenebras infundebat, vt caligine retardati non ita facilè Israelitarũ vestigia valerent insequi. Sic etiam cùm sacra memorant elogia nubem è cælo lapsam, quæ sacrificos exanimauit, & Dei simul gloriam, qua totum templum abundè implebatur, quid aliud, quæso, his verbis ostendunt, quàm nubem hanc longè varios sortitam effectus, & horum luminibus offecisse, illorum au-

tem

tem oculis intuendam quodammodo præbuiſſe gloriam ineffabilem, & immenſam maieſtatem Dei, qui templum illud ſibi percharum eſſe, & ſe illic cultu & obſeruantia coli velle, haud obſcuris ſignis indicabat. In libro etiam, qui Paralipomenon inſcribitur, hæc eadem hiſtoria modò à nobis delibata breuiter exponitur: *Cumq. compleſſet Salomon fundens preces, ignis deſcendit de cælo, & deuorauit holocauſta & victimas, & maieſtas Domini impleuit domum. Nec poterant ſacerdotes ingredi templum Domini, eo quod impleſſet maieſtas Domini templum Domini*. In huius autem rei luculẽtam explicationem adiectum eſt, ſpiritu ſancto afflante, quod & re ipſa eueniſſe apparet. *Sed & omnes filij Iſrael videbant deſcendentem ignem, & gloriam Domini ſuper domum, &, corruentes proni in terram ſuper pauimentum ſtratum lapide, adorauerunt & laudauerunt Dominum; Quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius*. Iſraelitæ ignem & gloriam Domini ſuper templi faſtigium intuebantur. Ignis autem, lumen ijs, qui propè ſunt, largum exhibet, remotis verò fumũ caliginoſum infundit, & aſpectũ adimit. His duobus muneribus hæc nubes de qua loquimur, nebula prædita & dotata erat. Tũc illi, qui verba Salomonis rectè perceperant, (nempe, *Dominus dixit vt habitaret in nebula*.) pronis in terram vultibus Deum optimum & maximum tantorum prodigiorum authorem quàm maximè laudauerunt, quòd bonitatem ſuam patefeciſſet, & quòd eius ſingularis miſericordia, nullos terminos eſſet vnquam habitura. Quid hoc aliud ſibi vult, quàm ab Spiritu ſancto apertè indicari, Dei filium carnem humanam indutum, cùm manere nobiſcum in Eccleſia & ciuitate ſancta à ſe exædificata ſtatuerit, quaſi ingenti circundatum nebula in ſacramento Euchariſtiæ manſurum, ne aliquis quantumuis præſtanti ingenio præditus & humana ſcientia præclarus explorare niteretur, quonam illic modo creator & redemptor noſter, quem totus orbis capere non poteſt, in tã breui & anguſto lateat ſpatio: & ideo hoc mirandum & venerandum ſimul ſacramentum, nocte, qua tradebatur, Chriſtus inſtituit.

lib. 2. Paralip. c. 7.

Et

Et roſcidum illud pabulum, quod Manna dicebatur, ab ijs, qui inſpiratæ rei nouitate obſtupefacti beneficij ſuſcepti magnitudinem admirabantur, & vnicum Dei filium è cælis in terras venientem ad animos hominum diuino corporis ſui cibo nutriendos & immortalitatis munere afficiendos adumbrabat, noctu quidem è cælo ſereno atque puro diuinitus emittebatur, & opus erat vt omnes ante Solis exortum quantũ ſat eſſet ex illo colligerent: aliter, enim, calore Solis modico tepefactum dilabebatur. Eſt autẽ magna admiratione dignum, quod in panis illius vſu contingebat. Cum enim natura illius eſſet roſcida, neque multum à niuis atq. glaciei natura diſtaret, ignis tamen vim mirificè ſuſtinebat, formamq. ſuam, vel aquis elixus, vel ſartagine frictus, vel quacunq. alia ratione ignis ardore toſtus facillimè conſeruabat. Itaque, quod ignis vehementis ardore corrumpi non poterat, quouis Solis radio calefactum diffluebat. Quo proculdubiò manifeſtè ſignificabatur, huius diuini myſterij cognitioni non humani ingenij acritate; ſed ſubobſcuro, certiſſimo tamen, fidei lumine enitendum eſſe. Vnde Epheſina Synodus & Cyrillus Alexandrinus Neſtorium diuidentem perſonam Dei à perſona hominis in hoc ſacramento, & aſſerentem ſolùm carnem perſonæ humanæ promiſſam à Chriſto ad eſum, non autem diuinitatem, tum alijs, tum hac potiſſimum ratione repulerunt, quoniam diuina humani ingenij viribus aſſequi nitebatur, & attentabat indigniſſimis cogitationibus tractare, quæ ſola pura & ſyncera fide accipiuntur. Dominus enim pollicitus fuerat, ſe habitaturum quidẽ nobiſcum, attamen nõ in omniũ oculis, ſed in media caligine. Hæc verò caligo, ſuperborum hominum, qui gloriã Domini & huius ſacramenti maieſtatem videre, & illius amplitudinem temerè nituntur metiri luminibus valdè obſtruit. Non ita hæc nebula ſe gerit in illos, qui fidei Catholicæ ſe & ſuos ſubmittunt intellectus: aperit enim illorum oculos internos, & ſplendore illuſtrat mirabili, &

viden-

videndum præbet id, quod externi oculi videre non possunt. Quod multo certius esse quouis humano lumine quis dubitat? Visus certè externus decipi, internus autem fide Catholica stabilitus & fultus falli non potest; internus cùm sit, interiora penetrat, exterioribus relictis, & Christum intus videt, eum inquam Christum, qui ad dexteram Patris æterni sedet. Videt, & eius bonitatem immensam summis extollit laudibus, innumeris effert prçconijs, & ingentes agit gratias pro munere tam insigni, quod in nos in extrema vitæ suæ periodo in signum amoris, quo nos amplectitur, liberalissimè & munificentissimè contulit.

Quòd si filij Israel aspicientes gloriam Domini, *corruentes proni in terram adorauerunt & laudauerunt Dominum:* profectò Dauid diuinus vates, postquàm à Deo petijt, vt sibi concederet beneficiũ illud admirabile incarnationis suæ, quam eo Psalmo vaticinatus fuerat, in hæc verba prorrupit, tanquam iam in conspectu esset hoc mysterium, de quo sermo
Psal.66. fit. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.* Proculdubiò quemadmodum Esaias dicẽs ter, sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth, ita etiam Regius vates toties hoc loco repetendo hanc vocem, Deus, sanctissimæ Trinitatis mysterium explicauit. *Benedicat,* inquit Augustinus, *etiam atque etiam multiplicet benedicendo, vt filijs suis impleat vniuersam faciem terræ, adoptatis in Regnum suum cohæredibus vnigeniti sui.* Nec abs re cùm primò dixisset benedicat nos Deus, posteà inquit, Deus noster, dicturus postmodum, benedicat nos Deus. Quamuis enim humani generis productio Deo patri æterno attribuatur, & re vera sit creator noster; Spiritus sanctus nos vegetet & soletur, & sine dubio consolator noster existat; quia tamen Dei filius ineffabili quodam modo, quo in hoc sacramento existit, noster fieri voluit, seque in cibum nobis dedit, disertè Dauid Patrem, & Spiritum sanctum, Deum; filium verò Deum nostrum appellauit, cuius in terras aduentum paulò ante prædixerat: *Confiteantur,* inquit, *tibi populi Deus,*

confitean-

confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum suum. Laudent, inquam, te populi Domine, laudent te populi omnes, nec vlla sit natio quæ tuum detrectet imperium. Quid ita? Terra enim germinauit, diuinumque fructum protulit, & mortalium oculi Dei filium humana carne vestitum conspexerunt. Tunc autem numen immensum atque sempiternum, vnum & idem natura, personarum ratione distinctum, omnibus gentibus innotuit. Cui non dissimilis locus est in Deuteronomio; *Audi Israel Dominus Deus noster, Deus vnus est*. Nam pro Domino in codice Hebraico est יהוה Iehouà, ita vt rectè hebræa ex verbo verti possint: Audi Israel Deus, Deus noster, Deus vnus est. quo sanè & vnum essentia, & trinum in personis, Deum esse, Spiritus sanctus non obscure declarat. Vbi nec Deo qui in primo loco ponitur, nec qui vltimo, sed tantum qui secundo loco est, additur, noster. Ratio verò, quam assignant viri in sacris literis non mediocriter versati, est, quia nec Pater, qui prima persona est in Trinitate, nec Spiritus sanctus qui tertia est, sed solus Filius, qui est secunda eiusdem Trinitatis persona, per nostræ humanitatis assumptionem & participationem noster futurus erat. Quanquam enim Pater Filius, & Spiritus sanctus incarnationis mysterium operati sunt, solus tamē Filius humanam naturam sibi copulauit. Tres quidem virgines vestem nuptialem acu depingentes conficiunt, sed quæ, duntaxat, nuptui datur eam in die suarum nuptiarum induit. Celebrauit sempiternus Parens Filij sui nuptias, hoc est, simul cum Filio suo, & Spiritu sancto, admirabilem illam vnionem & coniunctionem hypostaticam, qua *verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, operatus est; solus tamen Filius hanc vestem nostræ mortalitatis induit, vt maculas nostras abstergeret, viamque æternæ beatitudinis consequendæ aperiret. Sic enim apud Esaiam idem Dei filius inquit: Accedite ad me & audite hoc. *Non à principio in abscondito locutus sum, ex tempore antequam fieret, ibi eram, & nunc Dominus meus misit me, & spiritus eius*. Hoc est; A

Deut. c. 6.

Ioan. c. 1.

Esa. c. 48.

principio, quando pater meus dedit vobis legem in monte Sinæ, ego quoque aderam, vobiſque ſimul cum patre meo & Spiritu ſancto legē ipſam dedi, Sed quoniā legis cęremoniæ, ſacrificia, & iudicia, non erant niſi vſque ad Euangelij tempus duratura; ideò nunc miſit me Pater & Spiritus ſanctus, vt homo factus charitatis ardentiſſimæ facibus inflammatus vos homines cæleſti inſtruam diſciplina. *Hæc*, ergo, *dicit Dominus Deus Redemptor tuus ſanctus Iſrael. Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia, gubernans te in via.* His quidem verbis, O Iſrael, te Dominus, per quem ab exitio redemptus & à ſeruitute liberatus es, benignè & clementer alloquitur, vt te erudiat, animumque tuum confirmet, atque plurimum à via ſalutis aberrantem in viam reducat. Ego, inquit, ſum Deus tuus, qui te finxi & informaui, in quo eſt tibi omnis beatæ vitæ ratio collocanda. Nec ſolum parens & conditor naturæ ſum, verùm etiam Doctor atque magiſter, qui te per ſpiritum meum de officio tuo cōmoneo, viamque monſtro, qua, ſi velis, ſine errore, & ſine offenſione ad immortalitatem peruenias, huiuſque vitæ curſum cum laude & ampliſſimo fructu, conficias. Nec, enim tibi quæſtiones inutiles propono, neq. vana & inania, quæ magis ſunt in iactatione, & leuitate, quā in fructu vitæ, poſita, trado; ſed vtilia & ſalutaria, quæ vitam omnem continent, doceo: neq. via, per quam te duco, eſt vllis anfractibus interrupta & inciſa, lubrica, & infeſta, ſed recta & expedita magnaq. bonorum omnium copia & vbertate completa.
Ioan. c. 6. Quid plura? *Ego ſum* (inquit idē Dei filius) *panis viuus, qui de cælo deſcendi: ſi quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum.* Si panis vitam fulſit, ſi debilitatas vires redintegrat, ſi robur non imminuit, ſed adauget: quis verè panis dici poteſt, niſi is, qui noſtris animis ſempiternā vitam dat, & miris quotidie acceſſionibus eorum vires amplificat? Dei filius verè panis noſter eſt, quo viuimus, alimur, ſuſtinemur, & inuicto robore confirmamur. Sacerdos noſter eſt verus & eximius:
Rom. c. 1. *Primum quidem*, inquit Paulus, *gratias ago Deo meo per Ieſum Chri-*

ſtum.

ſtum, Actio gratiarum eſt ſacrificium Deo gratiſſimum. Sacrificium autem ad aras ſtatui, niſi per ſacerdotẽ, minimè licet. Quoties igitur hoſtia laudis Deum venerari volumus, toties ad Ieſum Chriſtũ accedere debemus eſt enim ſacerdos noſter per quẽ aditum ad patrẽ habemus; Eſt & ipſe ſacrificiũ, ſacrificiũ inquam propitiatoriũ, quo & peccatorũ veniam, & Dei gratiam nobis conciliamus. Cũ ergo ineffabili modo Dei filius, Deus noſter ſit, nos interius paſcat, & ſe animis noſtris huius auguſti ſacramẽti virtute vſq. adeò inſerat, vt virtutem nobis tribuat transformandi nos in ſe ipſum, iure optimo Dauid diuini ſpiritus afflatu, quaſi præſentem illum intueretur humana natura circundatum, & in hoc ſacramento ſpecierum panis & vini velamine coopertum, exclamauit; *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus*,. Benedicat, inquam, nobis Deus pater rerum omnium conditor: benedicat nobis Deus filius, per quem & omnia fiunt, & nos cæleſtibus bonis munificentiſſimè locupletamur: benedicat & Spiritus ſanctus, cuius gratia & diuinitate omnia diuina munera continẽtur; omneſq. terræ fines Deum metuant & ament, qui vſque adeò bonitatem ſuam, & ſummam in nos propenſionem in hoc auguſto ſacramento manifeſtauit, vt nullis humani ingenij viribus, ſed ſola fide hoc ſacroſanctum myſterium inſpicere fas ſit. Benedictus, igitur, ſis, ò æterne Deus, omnipotẽs Domine, remediũ deſiderij noſtri, leuatio laborum, ſolatium noſtræ orbitatis, ſalus noſtra, vita noſtra, alimentum noſtrum, ſacerdos noſter, ſacrificium noſtrum; benedictus & laudabilis ſis ab omnibus in æternum, qui non ſatis duxiſti te ſocium noſtrum efficere, aſſumendo carnem humanam, neque nos redimiſſe vitam tuam pro noſtra tradendo, neque à mortuis ſurrexiſſe in præmium & remunerationem noſtram, neq. ad cælos aſcendiſſe, & paraſſe nobis locum, in quo poſſimus habitare; ſed quæſiuiſti aliam, & ipſam quidem præſtantiſſimam, & antea inauditam viam & rationem, quò multò magis noſter eſſes, in animis

nostris interius mirabiliter operando. Et, denique, te cibum nostrum & alimentum effecisti, vt te puris, & omnium vitiorum labe purgatis, mentibus accipientes magis tecum copulati essemus. Nam, vt re vera in hoc sacramento ines, ita quicunque illud sumit tecum coniunctus manet, & tu cum illo vnitus existis. quod priuilegium nobis sponte indulsisti, dicens. *qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem in me manet & ego in illo*. Itaque, si sanctissimam sanctissimi Christi carnem non comederimus, & augustissimum illius sanguinem non biberimus, vita, luce quidem quam intuemur longè præstantiori, frui nullo modo poterimus. Contra vero si fuerimus hoc diuino epulo refecti, omnes à nobis mortis incursus facilè propulsabimus. Cur hoc? Quia omnes, qui accersiti accedunt, & debitam gratiam inuitatori suo habent, & tam singularis beneficij memoriam retinent, in eo proculdubio, qui vberrimus vitæ fons est, firmissimè manent, & ipsa vita in eorum animis domicilium constituit, ne illos vnquam perire patiatur. Verè igitur ille cibus est, qui veram vitam perpetuò conseruat; & verus potus ille est, qui animos nostros exhilarat, & in sui desiderium excitat: & cum omnium curarum leuatione vires auget, quibus beatitudinem æternam facillimè adipiscemur. Humana enim natura epulis diuinis satiata, in diuinam quodammodo naturam conuertitur, ita vt quæcumque diuina non sint omnino fastidiat.

Vnde mirandum profectò non est, si aduersarij nimis anxiè & solicitè agant, vt hoc præstantissimum & vtilissimum sacramentum, & augustum sacrificium de medio tollant, & è finibus Ecclesiæ longè exterminent. Homines enim cum sint terrenis negotijs implicati, & vitiorum sordibus contaminati, terrena summoperè appetunt, diuina omnia nimium fastidientes negligunt. Tamen ne, qui pereunt, culpa nostra pereant, breuiter ad ea quæ ex Paulo aduersus nos temerè & stultè obijciunt, respondendũ duxi.

Constat,

Constat, inquiunt illi, ex scripturis diuinis, idque nos latè ostendimus, Christum in cruce semetipsum sempiterno suo parēti in sacrificium obtulisse, vt perpetuam redemptionem nobis tamdiu captiuis compararet, nosque pietate sua sibi lucraretur: Huius ergo sacrificij vis atque singularis virtus nullum finem erit habitura. Alioquin nihil honorificentius de Christo sentiremus, quàm de vitulis & bobus qui legis præscripto olim ante Christi in terras aduentum Deo à populo Israelis immolabantur. Ex eo enim oblationes illæ infirmæ & imbecilles arguebantur, quia iterum, atque iterum, & sæpè fieri consueuerint. Quare colligunt isti, aut fatendum Christi sacrificio, quod in cruce ritè perfecit, purgationis æternæ vim defuisse; aut vno semel sacrificio Christum in omnia secula defunctum fuisse. Nam Paulus inquit, Christum summum sacerdotem per immolationem sui apparuisse sub consummatione seculi ad peccati profligationem. Item, voluntate Dei nos sanctificatos per oblationē Iesu Christi. semel à Christo vna oblatione in perpetuum viros sanctificatione insignes consummatos esse. Quibus sententiam illam subnectunt; acquisita semel peccatorum remissione nullam amplius restare obligationem. Et iam, iam vltimum emissurum in cruce spiritum manifestè testatum esse, vno suo sacrificio perfectum & impletum quicquid ad salutem nostram perficiendam necessarium erat. His ergo verborum fucis, & perfricata iam pridem fronte rudem & sacrarum literarum ignaram plebem maximè pelliciunt, & in suas deprauatas & nefarias sententias (proh dolor, & pietas) miserrimè trahunt asserentes præstantissimò altaris sacrificio Chtisti crucem penitus opprimi & obrui.

C. XVIII.

Hebræ. c.9. & 10.

Ioan. c. 19.

Certè nec Pauli sententijs aliquid veriùs, nec quod ex illis versuti homines perperam colligere conātur insignius aliquod mendacium proferri potest. De sacrificio autem, quod in cruce Saluator noster peregit, nihil tam dici magnificè potest, quin illius virtutem longè maiorem, & excellen-

cellentiorem dignitatem esse ingenuè fateamur, nec, eius singularem præstantiam vlla quantumuis ampla & eleganti oratione satis explicari non posse, vnquam negauimus. Itaq. vt vniuersum hominum genus Christus Dei filius ex scelesta Cacodæmonis tyrãnide, qua miserè premebatur, hoste prostrato & strenuè deuicto, gloriosissimè liberaret, se ipsum, (ò mirandum & ineffabilem amorem?) hostiam salutarem Deo patri pro nobis immolauit, & factus est semel rei reconciliatio generalis, omnibus sacramentis virtutem præbuit, & vim inenarrabilẽ & inauditam contulit. Vnde dicitur à Ioanne, agnus à mundi origine occisus: Non quidem vt occisionis, sed vt salutis tempus designet & determinet. Prius enim quàm occisus esset, mors eius summè profuit hominibus: non tum primum cũ reuera illata est, sed iam olim cum adhuc erat solùm diuina præscientia præcognita, quotquot in Dei gratiã recepti sunt, illius virtute fuerunt recepti. Quamobrem D.P. Augustinus nõ dubitauit sanctos omnes, Patriarchas, & diuinos vates, qui Christum multis seculis præcesserunt, Christianos appellare: quòd certò & cõstanter crediderint, agni illius immaculati, qui tempore præscripto pro vniuerso hominum genere mortem erat obiturus, sanguine pretioso se gratiã, iustitiam, & sempiternam salutem consequuturos: & sic, iam inde à mũdi exordio genus fuisse Christianorũ, tradidit Doctor sanctissimus. Ecce eam vim, & efficaciam vnicæ illi oblationi, qua Christus tantũ & tam arduũ opus reparationis nostræ absoluit, vltrò concedimus, quam ex Pauli doctrina aduersarij probare nituntur; cũ quibus hac de re nulla nobis disceptatio futura est. Itaq. nihil verius, quàm quod Paulus scribit, esse potest; Christum, scilicet, semel oblatũ fuisse Deo ad extinguenda & delenda multorũ peccata. Fuit autẽ, oblatio illa ita Deo grata, vt propria sua virtute & incõparabili vi, quotquot in gratiã Dei redeunt, mirabiliter sanctificet. Cũ tamen ex hac doctrina colligũt, iuge sacrificiũ corporis & sanguinis Christi è finibus Eccle-

Apoc.c.13.

August. ep. 89.95.97. & lib.3.cõt. duas epist. Pelagian.c. 4.& alibi.

siæ

ſiæ exterminandũ vt ſuperuacaneũ, nihil vel abſurdius, vel magis nefariũ & impium excogitari, nedum dici poteſt. Si enim ſacramentis & ſacrificijs, quæ Chriſti mortem præceſſerũt, hæc oblatio virtutẽ attulit, nec tamẽ ſublata ſunt per hanc crucis oblationem præuiſam, priuſquàm exhibita eſſet; quin potius Deo grata, accepta, & optata fuerunt, non quidem propter ſanguinem hircorum & vitulorum, cuius nulla fuit vis ad impetrandam peccatorum remiſſionem, ſed propter ſanguinem in ara crucis fundendum, quem vetera illa & antiqua ſacrificia iam inde præfigurabant; profectò multò minus, quòd exhibita iam hæc oblatio ſit, perpetuum ſacrificiũ corporis & ſanguinis Chriſti coget ex Eccleſia recedere. Non enim alia in altari fit oblatio, quàm quæ in cruce ſemel præſtita eſt. Eadẽ vtrobique hoſtia, idem vtrobique ſacrificium, diuerſus tamen offerendi modus. In cruce mactabatur caro, fundebatur ſanguis: in altari nulla mactatio, nulla ſanguinis effuſio, ſed factæ mactationis, & profuſi ſanguinis grata quædam commemoratio fit & recordatio. Præclarè ſanè Theodoretus quærit; ſi & ſacerdotium, quod eſt ex lege, finem iã ſenſit, & ſacerdos, qui eſt ſecundum ordinem Melchiſedechis, iam obtulit ſacrificiũ, & effecit, vt alia ſacrificia non eſſent neceſſaria, cur noui teſtamenti ſacerdotes myſticam liturgiam ſiue ſacrificium peragunt? Clarũ eſt, inquit ille, his qui ſunt in rebus diuinis eruditi, nos nõ aliud ſacrificiũ offerre, ſed illius vnius & ſalutaris memoriam peragere, hoc enim nobis præcepit Dominus, (*Hoc*, inquit, *facite in meam commemorationem*.) vt eorum, qui pro nobis ſuſcepti ſunt, cruciatuum recordemur, vt in benefactorem beneuolentiam conſeruemus, & futurorum bonorum conſequutionem expectemus. Hoc nè eſt Chriſti crucem obruere? Hoc ne eſt paſſionem Chriſti eneruare? Quid quæſo Paulus de lege & fide ait? Certè, inquit, *Numquid legem deſtruimus per fidem? Abſit, ſed legem ſtatuimus*. Nunquid (ſimiliter & nos) crucem euertimus cum ſacrificium in altari

In epiſt. ad Hebr.

Rom. c. 3.

altari iugiter offerimus? Absit, sed crucem statuimus. Quomodo enim hoc sacrificium crucem euerteret, quod iugi & grata quadam recordatione Christum cruci affixum repræsentat? Habuit igitur, sacrificium crucis immensam & infinitam vim ad sanctificādam, nec iam opus est, alio sacrificio crucis, non inquam opus est, vt alius Christus moriatur pro nobis, aut idem Christus iterum mortem subeat. oportet tamen sacrificium multiplicari, quod crucis sacrificium repræsentat, & per quod eius fructus nobis applicatur: atque ita gratis animis tanti beneficij memoriam indelebilem retinemus, & Christum pro nobis occisum suspicimus, colimus, & veneramur; tantum abest, vt vel minimam iniuriam Christo faciamus.

Hebræ. c. 9. Quid igitur Paulus inquit, *Neque vt sæpe offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno?* Præclarè ille quidem: dixerat enim; *Non in manufacta sancta Iesus introiuit exemplaria verorum: sed in ipsum cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis*. Iesus non introiuit in ἀντίτυπα, quæ ex veris delineata sunt, vt sacerdos expiaturus, sed in ipsa prototypa, hoc est, in ipsum cælum, quod sedes Dei est, atque etiam in cælum spirituale, quod in paruo mundo existit. quod vbi rectè constitutum fuerit, sedes ac templum Dei verissimum est, hoc mysterium valdè ingens est, quod à Paulo indicatum qui legit, intelligat. Vnico, igitur sacrificio corporis & sanguinis sui Christus ad sancta illa penetrauit, omnibus antea mortalibus inaccessa, & pro omnibus in perpetuum sacrificium obtulit remissione commissorum scelerum his in quorum gratiam faciebat, à patre impetrata, atq. adeò ad Patris æterni dexteram sedit, quantum attinet ad ministerium, & sacerdotium, quoniam cùm illud sacrificium sit æternum, semel tantum peragendum fuit, non vnquam antea eo modo peractum, nec deinceps posthàc eo modo repetendum. Non igitur Paulus excludit quamlibet iterationem oblationis Christi, sed eam solam, quæ mortē ipsius Chri-

ſti iterum poſtulat: alioquin oportuiſſet Chriſtum à mundi exordio pro ſingulis generationibus ſe offerre atq; mortem perpeti. Et hoc etiam pacto, ea, quæ poſteà diuinitus ediſſerit, exponenda ſunt. Quid enim ille? *Sanctificati*, inquit, *ſumus per oblationem corporis Chriſti ſemel*. Et paucis interiectis, *Vna enim oblatione conſummauit in æternum ſanctificatos*. Per vnam, inquit, Chriſti mortem ſancti effecti ſumus, imo etiã conſummati, adepti, videlicet, non ſolum remiſſionem peccatorum, ſed etiam ornamenta iuſtitiæ, & ipſam beatitudinem: & hęc in ſempiternum, ideſt, in omnem generationẽ, atque in omnem æternitatem, vt iam minimè indigeamus Chriſto alio, qui morte ſua è tartarea captiuitate nos liberet, vel vt idem Chriſtus prò nobis, vel alijs quibuſuis rurſus mortem oppetat. hoc enim fecit ſemel in victimam ſalutarem æterno Parenti ſe ipſum offerendo. Ita nè? Sanctificati ſumus omnes? Diſertè quidem Ioannes Chryſoſtomus dicit, ipſum Chriſtum Ieſum pro omnibus dubio procul mortem oppetijſſe, non pro fidelibus tãtum, ſed & pro mundo vniuerſo. Quid autem ſi non omnes credunt? Ille quod ſuum erat impleuit. Quantum igitur ad vim, & efficaciam, & perfectionẽ illius oblationis attinet, certum eſt nihil ei defuiſſe. Sufficiebat illa ad medendum omniũ mortalium perditioni; ad gratiam omnibus demerendam, & ſanctimoniam ſingulis acquirendam: verum ſi non omniũ peccata abſtulit, ſi non omnes, non ſolum infideles, ſed etiã ex eorum numero, qui verum Deum confitentur, factis autem pernegant, fructum ex ea percipiunt, ipſorum culpa fit, non autem quod in ſacrificio crucis purgationis æternę vis defuerit. Illud namque ſatis ſuperq. fuit ad expianda omnium hominum peccata: ſed illius precium nemini prodeſt niſi via aliqua & ratione applicetur. Nam ſi nulla requiritur applicatio, & omnia omnino peccata Chriſti ſanguis expiauit, vnde tam multi ſunt impij & ſceleſti homines? Cur tot miſeri detruduntur ad inferos? Cur tam pauci ex tanta hominum multitudine ſempiternam

Hebr. c. 10.

Chryſ. hom. 17. in c. 9. epiſ. ad Hebr.

adipiſcuntur ſalutem? Quid præſtat ſacrum Baptiſma? Quid ſacroſancta Euchariſtia? Quid fides? Quid pænitudinis auguſtum ſacramentum? Quid ipſa Euangelicæ doctrinæ prædicatio? Confitendum certè eſt, Chriſti mortem, quæ per ſe ad omnium peccata abolenda ſufficeret, nemini prodeſſe, niſi per fidem, & ſacramenta, cæteraque inſtrumenta diuinitus inſtituta, ſingulis applicetur. Sanè quando Sol in meridie totum hunc noſtrum hemispherium radijs ſuis illuſtrat & claritate exhilarat vniuerſa, ſunt nonnulli, qui in tenebris ſedent, nec Solis luce perfruuntur. An ne igitur conditori vniuerſorum, vel potius Soli iacturam lucis, quam ij patiuntur, adſcribemus? Neutri quidem: ſed eis potiſſimum imputandum eſt, qui nec foras in aerem prodire voluerint, nec feneſtras aperire, quò interiora domus illuſtrentur. Similiter proculdubio, doctore Paulo Apoſtolo, Deus Filius vna oblatione conſummauit in æternum omnes ſanctificatos. ſicut & mundum vna (vt ita dicam) illuſtratione in æternum illuſtrauit, quod re vera fecit, cùm Solem quaſi ſempiternum lumen accendit, cuius tamen luminis non ſtatim omnes participes fiunt. Quamobrem alibi idem
2. Cor. c. 7. Apoſtolus inquit; *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei.* Cùm, inquit Paulus, firmiſſimis inſtructi ſimus promiſſis ingentium donorum, in quibus Deus ipſe ſe primum enumerat nobis ſe vltrò donaturũ, & inhabitaturum promittens: templi huius ipſi dicandi ſanctificationem curemus diligenter, non ſolum ſpiritu atque animo rectè informato, ſed corpore etiam caſto, atque ab omni impura labe purgato, idque fiat, & curetur à nobis timore & religione Domini ſer-
1. Ioan. c. 3. uentibus. Et Ioannes, *Omnis*, inquit, *qui habet hanc ſpem in eo ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt.* Qui habet ſpem in virtute atque ipſius efficientia ad illius ſimilitudinem & exemplar efficitur innocens & caſtus. ἁγνίζει, enim, eſt idem quod purificat & caſtum efficit. Quid ergo?

Num

Num Christi sanguis non emundauit nos ab omni delicto? At nihilominus Paulus strictè præcipit, vt & nos emundemus nosmetipsos. Vnde aliàs cum Himenæi & Phileti casum narrasset Apostolus, non mirandum esse inquit, si inter multa millia hominum, qui Christianum nomen profitentur, huiusmodi ingeniorum mõstra atque portenta reperiuntur: cùm omnia vnius magnæ familiæ vasa & vtensilia non æquè elegantia & vtilia, vel specie, vel vsu, sint; sed hoc differre inter vasa hæc inanima, & illa animata, quod hæc seipsa mundare & tergere non possunt, illa verò per pœnitudinis opera, & animos purgare, & omnium vitiorum sordibus purgatos conseruare, si velint, facillimè queunt, vt sic efficiantur vasa sanctificata in honorem. An igitur, vna Christus oblatione nõ consummauit in æternum sanctificatos? Et tamen Paulus hortatur, vt ipsi perficiant sanctificationem. Et Ioannes ait: *sanctificet se, sicut & ille sanctus est:* quasi non consummauerit sanctificatos Christus? Quin vno & eodem loco vtrũque Paulus manifestè tradit: *Quoniam quidem.* inquit ille, *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo, ergo, legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Proculdubiò, quicquid Christus egit, consilio, virtute, & efficientia Dei fecit. Deus, enim, erat in illo, cum ille mortem obiret, & mundũ sibi illius morte reconciliabat, non reputans eorum, qui in mundo fuerant, peccata; nam pro peccatis totius mundi ille mortuus est, ex Dei consilio & voluntate. Ecce, mortis Christi & sanguinis illius effusi virtutem singularem & mirabilem efficientiam à Paulo depictam, ipsi intuemur. Quoniã tamen non omnes hoc donũ Dei accipiunt, quia non omnes recipiũt hũc filiũ Dei in suam salutẽ; multi sua ipsorũ culpa hoc diuino bono priuantur, quod tamẽ Deus cupit omnibus hominibus elargiri. Ideò Deus qui mundũ sibi in Christo reconciliauit, huius recõciliationis verbum

2. Tim. c. 2.

2. Cor. c. 5.

(prosequitur Paulus) sua virtute & efficientia in nobis, vt testibus, atque etiam vt ministris, posuit perferendum & communicandum gentibus. Itaque, fungimur legatione, non nostro, sed Christi nomine & munere, vt sicut Christus missus est, qui salutem mundo afferret, & offerret; ita nos verbis Dei vobis hanc salutem per Christum donandam offerimus, & vt accipiatis, non solum hortamur, sed etiam rogamus nomine Christi, vt Deo reconciliemini. Ecce Paulus, cùm dixisset nos à Deo sibi per mortem filij sui reconciliatos, Corinthios obsecrat, vt reconcilientur Deo. An fortè illi reconciliationi & sanctificationi generali parum fidebat Paulus? An illam imperfectionis, & infirmitatis arguebat? Minimè gentium: sed Spiritu Dei, à quo omnis illa profluxit oratio rectissimè institutus, & diuina sapientia edoctus, optimè cognoscens hominem ex suo aliquid præstare, maximè oportere, ad consequendum oblationis illius fructum, obsecrat Corinthios vt Deo reconcilientur.

Itaque, Christi oblatio, quam sponte sua pro nobis omnibus Deo exhibuit, generalis fuit, generalis etiam reconciliatio, quam in cruce, sanguine suo pro nobis fuso, operatus est, Christus. huius ergo fructus vt in nos redundet, speciali quoque nobis opus est oblatione quò vim & efficaciam illius nobis applicemus. Quemadmodum enim illustratus est semel mundus generali quadam illustratione, nec amplius tali aliqua indigent creaturæ, nō opus est alio Sole; alia Luna, alijs stellis; veruntamen necesse est singulas quotidie aeris illustrationes interuenire, vt terra singulis diebus luce suffundatur: ita de altaris oblatione nobis licet cogitare. Certū est enim non aliam nobis relictam esse pro peccatis hostiam, non crucem aliam, non passionem, nō aliam sanguinis effusionem, per quam in gratiam cum Deo redire, & sanctimoniam consequi possimus. Nam illius semel in cruce mactatæ hostiæ oblatio non minus hodie in cōspectu patris efficax est, quàm eo die, quo de percusso latere sanguis & aqua effluxerunt, & reseruata in cor

pore vulnera ſemper humanæ ſalutis pretium exigunt, & obedientiæ donum requirunt. Si tamen hanc oblationem nobis propriam efficere quàm maximè optamus, (quod certè optandum nobis eſt) & illius fructum aſſequi volumus, oportet proculdubiò, vt illam ipſam, non aliam hoſtiam, hoc eſt redemptionem, ſanctificationem, reconciliationem, quam illa nobis attulit, offeramus Patri ęterno, ſimul & ſupplices precemur, vt illius contemplatione placatus & propitius nobis fieri velit. Duo ſiquidem potiſſimùm exiguntur ad obtinendam peccatorum remiſſionẽ: vnum vt inueniatur pretium liberationis, ſeu æqua ſatisfactio & debita diuinæ iuſtitiæ, alterum verò vt pretium applicetur ſingulatim liberandis hominibus. Quod attinet ad primum: ſacrificium illud crucis omnia peccata præterita, præſentia & futura liberaliter remiſit; ſiquidem pretium acquiſiuit, quod ſatis eſt ſoluendo pro cunctis totius mundi, quantumuis ingentibus, flagitijs: & ideò illo ſacrificio peracto, & peccatis remiſſis, nõ reſtat vlla ſimilis oblatio pro peccato, hoc eſt, pro acquirendo pretio ad remiſſionem peccatorũ. & hoc ſolum eſt, quod Apoſtolus eo loci ſcribit. Quod tamen ad ſecundum ſpectat, nondum facta eſt remiſsio omnium peccatorum; nam adhuc ſunt, & erunt vſque ad mundi interitum, quibus applicandum ſit pretium liberationis, & remittenda ſint peccata: & ideò remanet hoſtia pro peccato, nimirum, ſacrificium altaris auguſtiſsimum. Quo fit noluiſſe Paulum excludere ſacrificia repræſentantia & applicantia ſacrificiũ crucis, ſed tantum, ſacrificium cruentum corporis Chriſti, ſemel in cruce exhibitum: Alioquin enim excluſiſſet etiam Baptiſma, & cænam Domini, quæ ſunt etiam ſacramenta, quæ repræſentant & applicant fructum illum crucis ſaluberrimum. Imò & verbum, & fidem, & preces, & omnia media, ſeu inſtrumenta, quibus eximius crucis fructus nobis adhibetur. Si enim per crucẽ ſunt remiſſa omnia peccata, ergo inutilia ſunt omnia iuſtificationis inſtrumenta: Cum

tamen

tamē ſummæ in nos beneuolentiæ fuerit,tot media in Eccleſia in noſtram ſalutē relinqui,quibus iuſtitiæ dona faciliùs acquirere poſſimus.Nō ergo Chriſtus,cū ex cruce hoc verbum protulit, *conſummatum eſt*, ſignificauit, vnica oblatione crucis,conſummata,& completa omnia, quæ in ſalutē noſtram erant,quaſi abundarent cætera,doctrina, nimirum, ſacramenta,exempla,& omnes labores ante crucem aditi: ſed id tantum ſignificat(quod Chryſoſtomus,Auguſtinus, Cyrillus, Theophilactus & alij quàm multi viri doctiſſimi tradunt)finitas fuiſſe pænas, & afflictationes,quas pro nobis in carne mortali perpeſſurus erat:necnon oracula ſacrorum vatum,qui eiuſdem Domini mortem , & ſummos cruciatus longè ante predixerant, adimpleta iam & conſummata eſſe:ac ſacrificijs & hoſtijs, tàm ante legē, quàm ſub lege,Deo gratis & acceptis, nullam deinceps reconciliandi & ſanctificandi vim ineſſe, quam quidem reconciliandi & ſanctificandi vim vetera ſacrificia & hoſtiæ habuerunt,non ex propria ſua,ſed ex illius oblationis in cruce faciendæ admirabili virtute,ad quam referebantur, & à qua vim ſanctificandi mutuabantur , vt illius hoſtiæ futuræ meritò ſanctificarentur , quotquot ſanctificati erant. Cæterum adueniente veritate, ceſſerunt figuræ: aduenićte luce,receſſit vmbra.Quorſum enim attinebat præfigurari, & adumbrari amplius, quod iam paſſim omnibus apertū eſt?Nam quod veterū victimæ,& ſacrificia promittebant, id vna crucis oblatione Chriſtus perfecit &conſummauit. Promittebant autem futurum,vt Dei filius aſſumpta carne genus humanum redimeret. Deiq. patris gratiam per mortē ſuam nobis demereretur; id in cruce cumulatiſſimè impletum eſt: quam ob cauſam animam iam iam exhalaturus dixit,*conſummatū eſt* Sublatæ igitur ſunt vmbræ,ſublatæ ſunt figuræ , poſteàquā quod adumbrātur & præfigurabatur,perfectum eſt. Sed num idcirco tāti beneficij iam reipſa nobis pręſtiti memoria debuit intermori? Certè hoc pugnaret cum illo Domini præcepto , *hoc facite in meam commemo-*

memorationẽ. Olationis igitur illius in cruce exhibitæ memoriam, hoc perpetuo ſacrificio Sacerdos ille ſecundum ordinem Melchiſedechis Chriſtus Ieſus in Eccleſia ſua iuſſit perpetim celebrari, neq. vnquã ante ſeculi huius interitum intermitti. Ecce tria ſacrificiorum genera ex diuinis literis manifeſtò oſtendimus. Sub lege veteri Hebræi futuræ victimæ promiſsionem & vaticinium ſuis hoſtijs celebrabant. In cruce Redemptor noſter verum corporis ſui ſacrificium pro nobis obtulit. Huius gratam memoriam in altaris ſacrificio Chriſtiani recolunt. In cruce verè mactata fuit caro, & ſanguis verè effuſus; in noſtro autem illius profuſi ſanguinis & mactatæ carnis memoria repetitur. Non quòd in ipſo quoque non ſit ipſa caro, quã pro nobis Chriſtus obtulit in cruce, ſed quoniam veritas & præſentia illius mortis, & ſanguinis effuſionis in eo non exiſtit, ſed quædã tantum cõmemoratio, memoria, & repræſentatio. Iam enim, Chriſti paſſione perfecta ipſe viuit in æternũ non amplius moriturus. Hebræi itaq. vmbram, Chriſtus veritatẽ, Chriſtiani memoriam eiuſdem Chriſti pro nobis Deo Patri immolati piè & ſanctè celebrant. Eſt & ſacrificium aliud loco quarto collocandum, quod Chriſtus cælũ ingreſſus ſine intermiſſione pro nobis offert. Cum enim, ſedens ad dexterã Patris pro nobis intercedit, Patrique ſuo cæleſti cicatrices oſtendit vulnerũ, quæ in corpore ſuo pro genere humano pertulit, gratiſſimum ſanè & efficaciſſimum Deo exhibet ſacrificium. Et eſt hoc idẽ prorſus ſacrificiũ cum eo, quod à ſacerdotibus offertur in altari. Idem ſacerdos vtrobiq. eadem vtrobiq. victima, idem offerendi modus, nimirum, incruentus: veruntamen in cælo per ſemetipſum Chriſtus, in altari per miniſtros rẽ exequitur. Vtrobiq. corporis, quod offertur, veritas; verum hic occulta, in cælo manifeſta. Hic Chriſtus offertur velamento panis & vini coopertus, in cælo abſq. vllis tegumentis beatis conſpicuus. Non igitur nouam hoſtiã; non ſacrificium nouum offerimus, ſed quod in cruce peractũ eſt, illud ipſum, velatum, quidem ſub oculos

aſtan-

aſtantiū ſubijcimus, vt eorum erga tam beneficum redemptorem pium & religioſum excitemus affectum, & Patri cæleſti redemptionis noſtræ pretium, quo peccatis noſtris propitius & placatus eſſe velit, ſupplices offeramus.

CAP. XIX

HInc quilibet facilè poterit conijcere, quale ſit Catholicę Eccleſiæ decus, & quāta eius gloria, & quantò etiā magis diligat Dominus Sionē, quàm omnia tabernacula Iacobi. Nam olim, tam ante legē ſcriptam, quàm ſub lege degentes homines, ſi in cælum oculos & in Deum mentes ſuas conijciebant, Deum quidem in hominū genus, ob ſcelus à primis parentibus turpiter patratum iuſtiſſima indignatione commotum eſſe cognoſcebant. Si ad Vates diuinos conuertebantur, quas ex Dei pręcepto minas iaciebāt, ob flagitia nefaria, quibus indies magis magiſq. contaminabantur, auribus percipientes, animis cadebant. Si Dei nomen inquirebant, a diuinis illis hominibus audientes, Deū bellorum, Deum vltionum dici, timore contabeſcebant. Si ad ſeipſos miſeri oculos conuertebant, profectò quàm eſſent miſeri, calamitoſi & infelices, nec mente quidem conſequi poterant. Eo autem miſerabiliores cenſendi erant, quo felicior & auguſtior ſtatus, à quo culpa ſua fœdiſſimè ceciderunt. Nihil enim tam miſerabile, quàm ex beato miſer. Quod ſi (vt inquit Philoſophus) ſummum genus infelicitatis eſt, fuiſſe aliquando felicem, & ſumma felicitas eſt habenda, quæ aduerſam & afflictam ſequitur fortunam, qui attētis animis vtrumq. ſtatum, hoc eſt, ante & poſt filij Dei incarnationem, æqua lāce perpendent, Eccleſiæ Catholicæ proſperitatem vix ſatis admirari, & pro meritis illius gloriam amplificare vnquam poterunt. Nam olim Deus noſter, Deus bellorū, Deus vltionum appellabatur, nunc autem ſummè pius, & clementiſſimus Deus prædicatur. Tunc hominibus iratus ſupplicia ingentia & ſempiternam mortem minabatur, nunc ita in patronū & aduocatum ſeſe nobis dedit, vt illud patrocinium cunctorum hominum æquè ac imperium poſſit nominari. In lege illa

non

non fuit perfecta, & absoluta ratio virtutis, sed inchoata quædam, atque rudis species honestatis. Vnde Paulus inquit, *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius & inutilitatem, nihil enim ad perfectum adduxit lex*. Repressit illa quidem impios atque nefarios hominum conatus, retardauit furorem, & scelera, seuerè atque atrociter impia facinora vindicauit, neminem tamen ad illum perfectum virtutis & sapientiæ gradum perduxit. Ad virtutem, enim non ipsius virtutis illecebris, sed partim metu atque formidine, partim præmijs vitæ propositis incitabat. Si autem virtus illa sola dicenda est, quæ non metu coacta, sed spontè officio suo fungitur, & præclaras actiones, non ad res huius vitæ fluxas, sed ad Deum verum vitæ finem dirigit, qui potest ea virtus existimari, quæ formidine expressa est, & cuius finis non tam est Deum amplecti, quàm vitæ commodis inseruire? Itaque lex illa perniciem (vt inquit Paulus) per occasionem afferebat: lex verò Euangelica salutem gratia diuina confirmat. Olim quadrupedes in sacrificium offerebantur: nunc verò victimas precum atque laudum immolamus, & vero Christi corpore, & sanguine litamus. Tunc mentes erant vmbris, & imaginibus intentæ, nunc autem res veras diuina munera continentes intuentur. Mira certè sunt, & insigni gloria cumulanda, quæ de ciuitate hac sancta Dei prædicantur. Sed vnde Diuina hæc & inclita munera in Ecclesiam defluxerũt? Sanè ex Christo in crucem sublato, qui interitum monstris omnibus & portentis attullit. Colligamus, ergo cum Paulo: Profecto si Christi in nos collata beneficia gratis animis prosequi cupimus, *Charitas Christi vrget nos, æstimantes, hoc, quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Sed pro omnibus mortuus est Christus, vt qui viuunt, iam non sibi viuunt, sed ei qui pro ipsis mortuus est*. Nam amor ille, quo Christus nos dilexit, nos constringit, vt non nostra, sed quæ illius sunt, quæramus, eaque studiosè agamns, cùm illud apud nos cogitemus, Christum mortuum esse pro

Hebr. c. 7.

Rom. c. 7.

1. *Cor. c. 5.*

omnibus, hoc est, in persona omnium, ita vt omnes mortui fuerint in ipso: ergo illius morti pro omnibus oppetitæ hoc inter cætera debetur, vt qui viuit, iam non sibi viuat, neque sua sibi quærat, sed viuat Christo, & ijs, pro quibus Christus mortuus est: Ille enim non sibi mortuus est, id est, non pro se, sed pro alijs vitam profudit. Et hoc summæ beneuolentiæ & amoris, quo erga nos Christus flagrabat, efficaci argumento, disertè Paulus vrget, quo nobis, vt vicem rependamus, facilè persuadeat. *Vt quid enim*, inquit

Rom. c. 5. ille, *Christus cùm adhuc infirmi essemus, secundùm tempus pro impijs mortuus est? Vix enim pro iusto quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*. Cùm, inquit, essemus infirmi, vel sub lege, vel absque lege, & ideò nondum iustitiam consequuti, quinimò adhuc impij essemus, tunc, inquam, Christus pro nobis scelere contaminatis mortem obiuit. Rarissimum sanè amoris exemplum in oppetenda morte pro iusto aliquo apparet, si quandò iustus & innocens in discrimen vitæ adducitur. Dolent quidem alij viri probi illius vicem, verùm vt quispiam illius liberandi causa sese certissimæ objiciat morti, vix huiusmodi charitatis testimonium inueniri posse arbitramur. Contingere verò aliquandò potest, rarò

Ethic. lib. tamen cernitur, vt aliquis sese in vitæ discrimen conijciat pro eo, quem sibi bonum & vtilem esse cognouerit. Cùm enim, vt inquit Philosophus, amicabilia ad alterum oriantur ex amicabilibus ad se, forsitan aliquandò eueniet, vt quispiam vtilitatem, siue commodum suum, hoc est, suam ipsius causam inprimis considerans, periculum subeat. &

Ioan. c. 15. huc vsq. vis humanæ charitatis extenditur. Namque *maiorē hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*. Itaque, pro bono, in quo priuati commodi ratio inesse existimatur, vt moriatur aliquis euenire potest, & hoc in summi amoris præconio apponitur. At verò Deus admirabilem charitatem suam erga nos manifestauit, quo-

niam

niam cùm ahuc essemus peccatores, atque adeò ipsi infensi, tātum abest, vt vel iusti vel probi essemus, vnctum suum pro nobis in mortem tradidit, vt illius sanguine nos redimeret è misera seruitute, qua captiui tenebamur sempiternæ morti addicti. *Pro omnibus*, igitur, *mortuus est Christus, vt qui viuunt iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est:* quippe qui in eorum vitas speciale quoddam ius & dominium acquisiuit per mortem suam. *In hoc enim Christus mortuus est & resurrexit, vt viuorum & mortuorum dominetur*. Et ideò Petrus Apostolus Christianum populum æquissimè appellauit populum acquisitionis, seu, vt hebraicè habetur populum acquisitum, quòd proprio sanguine summo amore pro nobis effuso, nos redemerit. Græcè autem dicitur, εἰς περιποίησιν, id est, populus in acquisitionem peculiumque proprium singulariter delectus & ornatus præ antiquis omnibus ætatibus. Namque vt Israel secretus quondam fuerat posituſque in lucem gentium, sic nos ætasque nostra singulari sanctificatione fruimur in testimonium & præconium eius, qui de tenebris peccatorum & ergastulo seruitutis Pharaonisque inuisibilis tyrannide *vocauit nos in admirabile lumen suum*. *Non estis vestri*, inquit Paulus, *empti enim estis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore vestro*. Vos, qui Christo nomen dedistis, nullam, alij tradendi vosmetipsos, quàm ei, cuius estis sanguine redempti, potestatem habetis. Non enim vestri iuris estis, si iure & ratione agatis, sed eius à quo empti estis: empti autem estis magno pretio sanguinis & mortis Iesu Christi, qui vos ex peccati regno & seruitute eripuit. Sedulo, igitur, hoc agite, atque diligenter curate, vt corporis & spiritus vestri, quæ quidem Dei sunt, gloriam Deo Domino authorique vestro tribuatis. Hoc, enim, est, quod idem redemptor noster dixerat; *sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem: & qui manducat me & ipse viuet propter me*. Hoc est, inquit B. Pater Augustinus: Vt Pater meus viuus misit me in mundum, & hun anam,

Ro.c.14.
1.Petri.c.2.
1.Cor.c.6.
Ioan. 6.
1.Petri.c.2.

cum mea diuina, naturam mirificè & ineffabiliter copulaui; & ego, vt homo, illi tanquam maiori & superiori, acceptam refero vitam hanc, qua fruor, & opera, quæ facio: ita qui me verum & viuum Deum & hominem edit, propter me viuat, necesse est. Præclarè tradit Augustinus, necessarium fuisse, vt Christus vitam & opera sua Patri æterno tanquam superiori tribueret, induisse humanam naturam (secundum enim diuinitatem æqualis est Patri) & nobis opus esse, vt vitam nostram, & opera ad Deum referamus eique grata sint & accepta, vt ab eo in filios adoptemur, regenerati præstantissimo Christi sanguine, effecti participes amoris, quo nos amplectitur, cuius rei signum haud obscurum in hoc augustissimo sacramento patet nobis relictum. Quantum enim amoris opus fuisse existimabimus, illum se ita demisisse, vt homo fieri voluerit, vt nos sic in altum ab ipso euectos sempiternus Parens adoptaret? *Vt ego viuam propter patrem, & ad illum tanquam ad maiorem referam vitam meam exinanitio mea fecit, in qua me misit: vt autem quisquam viuat propter me, participatio facit, qua manducat me, Ego itaq. humiliatus viuo propter patrem, ille erectus viuit propter me:* Sic enim Augustinus interpretatur Domini sententiam.

Aug. in Ioan. tract. 27.

Est autem illud animaduersione dignum, quod silentio inuoluendum, aut prætereundum minimè censeo: Vnde scilicet Christus Dominus se obligatum duxerit ad offerendum Patri suo omnia opera vitæ & humanitatis suæ: ex eo nimirum quod patrem viuum habebat, *Sicut misit me,* inquit *viuens pater*. Hoc est, siquidem est mihi pater, qui in æternum, & ab æterno viuit, qui me videt, qui me nouit, qui me summo prosequitur amore; æquũ est, vt quicquid ab illo accipio, ei offeram, ratio postulat, vt eius sit & propter eũ, quicquid operor virtute & vita, quam mihi liberaliter impartitus est. Nulla profectò maior iustis in hoc seculo consolatio esse potest, neq. nobis incitamentũ maius ad benè & perfectè viuendum, quàm perpetuò mente recolere, nos Deo viuo inseruire, vt sicut decet, quãtum in nobis est eum

Ioan. c. 6.

vereamur,& in omnibus ei placere ſtudeamus. *Fidelis ſermo inquit Paulus, & omni acceptione dignus : in hoc enim laboramus, & maledicimur, quia ſperamus in Deum viuum, qui eſt Saluator omnium hominum, maximè fidelium. Præcipe hæc & doce.* Et cũ Darius Perſarum Rex coactus à Magnatibus Regni ſui, & ab ijs, qui erant ſibi à conſilio, iuſſiſſet Danielem in lacum leonũ cõijci, vt ab illis deuoraretur; & poſtero die incolumẽ eum cõperijſſet, quippe qui à Deo ſeruatus fuerat, *ſcripſit vniuerſis populis, tribubus, & linguis, habitantibus in vniuerſa terra. Pax vobis multiplicetur, A me conſtitutum eſt decretum, vt in vniuerſo Imperio & Regno meo, tremiſcant & paueãt Deum Danielis, ipſe eſt enim Deus viuens, & æternus in ſecula.* Et illud ſpeculum præclarum patientiæ Iob, videns ſe orbatum liberis, diuitijs ſpoliatũ, ſedentem in ſtercore, plagis & vulneribus affectum, iactatũ vxoris verbis, mœſtum ob illius intolerantiã, moleſtatum amicorum ſermonibus. qui criminis, quo vacabat, eum arguere nitebantur, exclamauit: *Quis mihi tribuat, vt ſcribantur ſermones mei, & exarentur in libro ſtylo ferreo?* Quorſum hoc Iob? *Scio enim quod Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum.* Licet me videatis ferè confectum, & morti propinquum, nemo me conſumptum ducat, nam quamuis centies millies mortem oppetam, certa mihi vitæ ſpes inſidet: quia Deo viuo miniſterium præſto. Cauſa, igitur nobis iuſta ſubeſt, æquo animo laboresq́, quos patimur, tolerandi, cùm certò ſciamus nobis Deum viuum eſſe & eum non iniquum tyrannũ, qui nos iure noſtro ſpoliet; non vindicem, qui ira cõmotus nos puniat; non malè affectum, qui hunc eijciat, illum accipiat; non parcum, ſed liberalem; non inimicum alicuius, ſed omnium amicum, nõ modò vnum, modò alterum, ſed eundem ſemper; eundem, inquam, nobis eſſe Deum viuum, non mortalẽ, ſed immortalem. Cùm, ergo, talem patrem habeamus, elaborandum nobis maximè eſt, ne tanquam pueri orbati parentibus, corruptis moribus opibus profligatis vitam degamus: ſed

1.Tim.c.4.

Dani.c.6.

Iob.c.19.

obie-

obſequamur Domino in ijs, in quibus noſtrum deſiderat obſequium: ad hunc omnia opera noſtra referamus: omnis enim æquitatis ratio iure ſuo poſtulat, vt ad eum, cuius ſanguine redempti ſumus, cuius carne veſcimur, & ſanguine potamur, vitas noſtras, & noſmetipſos acceptos referamus, ipſe enim eſt Deus viuus; & qui dignè edit hunc cibum, qui de cælo deſcendit ad hominum vtilitatem, & animorum refectionem, victurus eſt in æternum, non ſolùm quidem propter præmium promiſſæ æternitatis, quod nullis terminis vnquam circumſcribi poterit, ſed quia vita, quā degunt quatenus iuſti, ſempiterna eſt, (eſt autē nobis ſermo de ſpiritali vita) eadem enim, poſt mortem conſeruatur, quæ iā in hoc ſeculo incepit. Nam cùm ſpiritus, qui eos intus alit, & ſuſtentat; & calor qui eos regit; & ignis, qui eos ad operandum mouet, ſint charitas, & hæc eadem ſit, quæ in cælis integra & illæſa ſeruatur, hic tamen cum amiſſionis timore, illic abſque vllo metu & formidine: nutrimentū, quod hanc vitam fouet & ſuſtentat, idem ſit, ſed in hoc ſeculo inuolutum panis & vini tegumento, in futuro in propria ſpecie, efficitur profectò vt eundem effectum habeat, ſed hic inchoatum, illic perfectum. Diſertè Auguſtinus. *Quis eſt iſte cibus? In principio erat verbum. Ecce ſempiternus cibus. ſed manducant Angeli, manducant ſupernæ virtutes: manducant cæleſtes ſpiritus.* Et quia hoc alimentū vehemētem calorem Seraphicæ charitatis poſtulabat, non poterat in propria ſpecie in terra edi, verbum caro factū eſt, & in hoc auguſto ſacramento, panis & vini ſpecie coopertum, in animorū noſtrorum alimentum nobis datum. *Panem Angelorum*, inquit Regius Vates, *manducauit homo*; Id eſt verbum, quo paſcuntur Angeli in ſempiternum. מַחוֹז Man enim admirandus profectò cibus, huius cibi multò magis admirandi formā; & ſpeciē ſimilitudine referens, à Deo inſtar pluuiæ, vt populus comederet, in terram demiſſus eſt. Itaq. frumentum cæleſte, quo Angeli veſcuntur, fuit hominibus, diuina munificentia, & largitate, donatum, & viro cuilibet conceſ-

Epiſt. 38. & ſerm. 127. in Cœna Domini.

Pſ. 77.

conceſſum, vt Angelorum panem comedat,& dapibus diuinis expleatur. Quid igitur mirum, ſi cæleſtis iſte cibus, cũ eandem, quam in cælo habet, in ciuitate ſancta Dei efficientiam retineat, eundem producat effectum, & vitam præſtet ſempiternam? Certè diuinus iſte effectus peculiaris eſt huic alimento. Cætera, enim, non tantam vim habent, vti poſſint efficere, vt illi à quibus ſumuntur æternam vitam agant. Age, igitur, age, qui Chriſto nomen dediſti, & fidem, cohibe libidines tuas, appetitibus frænum impone: iam ſatis illis habenas laxaſti; iam diu quò volebant, te tulerunt, diu te ſub imperio tenuerunt, vires tandem collige: de illis victoriam, cum qua nulla alia conferri valet, dimicãdo viriliter reporta (nam, fortior eſt qui ſe, quàm qui fortiſſima vincit.) ſupera teipſum, appetitus rationi parere coge, neque amplius imperium vllum in te illis tribue: fœdum eſt, enim, & homine indignum, indigniſſimum, autem, viro Chriſti militiæ ſacramento obligato, locum non tenere, hoſtis impetum, vimq. pertimere, & tã ignobili hoſti manus dare, & ſe illius imperio, & poteſtati ſubijcere. Eripe te ex vinculis, quibus hactenus conſtrictus tenebaris: fuge è tenebris quibus inuoluebaris: intuere lucem, quã amiſiſti; redi ad vitam quam reliquiſti. Si quæris, vbi ſit, tibi oſtendam. Eſt proculdubiò, eſt in ſacramento altaris, accede illuc, inuenies vitæ arborem, accede & collige fructum, atque ede, & ex morte ad vitã excitaberis. In hoc ſacramẽto cibus talis exiſtit, vt qui eum non illotis animis ſumpſerint, reuiuiſcant. Crede Chriſto, qui aſſerit, eum, qui hoc pane veſcitur æternam vitam ducturum. Aeterna quidẽ, æterna vita tibi promittitur, nunquã peritura vita, ſed in perpetuũ duratura tibi ſpondetur. Ede, ede hunc cibum, & viues in æternũ; ſi tamẽ non polluto intus ore, nõ illoto animo, neq. ſordibus inquinato, ſed puro ad illum ſumendũ acceſſeris. Tunc enim & nõ aliter illũ edere licebit, cũ interiora mẽtis omni ſcelerum & vitiorum fęce purgata fuerint: qui ſecus fecerit non vitam, ſed mortem æternam ſibi comparabit. Cùm

ſeruus

seruus Abrahami cum Rebecca iter faciebat, vt festinus rediret ad dominum suum, iam sub diei serum spaciabatur
Gen.c.24. Isaacus in via qua itur *ad puteum, cui nomen est viuentis & videntis.* Christus, filius Dei, significatus per Isaacum, cùm in sponsam accepit Ecclesiam, aperuit aliquos puteos defecatæ & limpidissimæ aquæ; hoc est, Sacramenta instituit, quæ Diuinam gratiam impartiunt illis, qui eo, quo debēt, cultu & obseruantia ea suscipiunt. Est autem augustum hoc Sacramentum puteus vitæ signatus, quia continet ipsius vitæ authorem; est puteus viuentis, & videntis. Vitam quidem præstat æternam dignè sumentibus; verùm cùm sub illis accidentibus lateat Deus ille, qui omnia videt, cuius oculos nihil potest subterfugere, qui interiora æquè ac exteriora cernit, nemo sit ita audax, & temerarius, vt audeat sordida mente ad hoc Sacramentum accedere, & hūc Diuinum cibum, & Angelorum panem accipere. *Qui enim manducat, & bibit indignè iudicium sibi manducat, & bibit.* Nam ille Deus & homo, qui pro nobis in mortem traditus est, traditur nobis in hoc Sacramento verus Deus & homo: sanguis ille Dei & hominis pro nobis effusus in cruce, hic item verè nobis datur. Quid ergo? Rectè sanè, colligit Paulus:
1.Cor.c.11. *Quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè reus erit corporis & sanguinis Domini.* Non, quidem, panis, aut calicis, neque figuræ alicuius, aut similitudinis, sed ipsius corporis, & sanguinis Domini, quod sub speciebus panis & vini continetur, hoc qui pollutum duxerit, & sanguinem testamenti conculcauerit, reus erit amplissimæ maiestatis, isque tenebitur crimine violati corporis & sanguinis Domini, & damnationem sibi edet, & bibet, tanquā qui non discreuerit, & agnouerit, quid sit corpus Domini. Contrà verò, qui vitijs purgatus hunc panem sumit, æternam vitam percipit. Ecquis est ita improbus? ita vitijs deditus? ita impius? ita nefarius, vt Deum, qui tot vijs, qui tot artibus vitam æternam nobis studeat elargiri, & offendat & lædat? Vela itaque contrahamus, quandò in Dei Ciui-

tate

tate sancta à Christo ædificata demonstrauerimus, verum Dei cultum, veramque Religionem esse: esse & sacra instituta, quibus diuinum numen placare facilè possimus: & in ea adeò mirabiliter (sicut olim Abraham Spiritu sancto afflante filio suo Isaaco dixerat) Deum prouidisse sibi de victima ; superest vt qui nefario ausu nihil aliud agunt, quàm vt hoc augustum sacramētum, & sacrificium summo Deo maximè gratum, acceptum, & optatum de Ecclesia tollant, deponant arma, quibus bellum Deo inferre in dies sæuius parabant. Sapite iam tandem salaces & impuri homines, audaciam, dementiam, & insaniam procul à vobis eijcite, expellite, amouete, exterminate. Date manus, capita demittite, fatemini vos victos. Dicite vno ore: Vicisti Domine, vicisti rebellē, ecce do manus in vincula tua, iugoque tuo suppono ceruicem, dignare tantum, vt tibi seruiam: patere vt tibi laborem, accipe me seruum sempiternum, licet inutilem, præsta qua soles pietate, vt mecum sit, & mecum laboret gratia tua semper & præueniens & subsequens. Interim ad alia nosmet conferamus.

CAP. XX.

CVm igitur Christus præceperit, vt in Ecclesia sua, in ciuitate sancta à se mirabiliter ædificata incruentū corporis sui sacrificium Deo Patri offerretur, proculdubiò, & tanti sacrificij ministros instituit, qui potestate ritè accepta sacris faciendis sedulò incumberent. Et qui præ alijs rebus ordinem diligit; qui sub pondere, & mensura, & numero res vniuersas condidit, & ad similitudinem cælestis Hierusalem, in qua summus rerum omnium ordo est, Ecclesiam suam fundauit, eam ita ordinatam & rectè dispositam esse voluit, vt in ea suprema medijs, & media infimis certo gradu distincta antecellant. Quum autem idem Saluator noster, eam veluti ciuitatem & Regnum esse, dixerit, necessariò in Christi Ecclesia Princeps vnus, & populus, cui imperet constituendus est. Populus autem sacratis & profanis, hoc est Deo dicatis, & laicis hominibus constat. Diuinitus B. Petrus vtrumque complexus est. *Senio-* *1. Pet. c. 5.*

res, inquit, *qui in vobis sunt, obsecro consenior, & testis Christi passionum, qui & eius, quæ in futuro reuelanda est, gloriæ communicator: pascite, qui in vobis est. gregem Dei, prouidentes, non coactè, sed spontaneè secundùm Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntariè, neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit princeps pastorum percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.* Paulus

Ephe. c.4. verò spiritualium gradus distinxit: *Et ipse*, ait, *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi*. Et quid mirũ? Nonnè latè ostendimus, etiam humanam politiam, nisi Magistratuum subsidio fulciatur, vllo modo stare non

1. Petri 2. posse? Ita sanè est. Vnde Petrus Apostolus in sæcularibus primũ numerauit præpositos: ex his autem Rex primas obtinet. *Subiecti*, inquit, *estote omni humanæ creaturæ propter Deum: siue Regi, quasi præcellenti: siue ducibus, tanquam ab eo missis, ad vindictã malorum, laudem vero bonorum, quia hæc est voluntas Dei.* Humanæ autem creaturæ nomine, Magistratus omne genus ab hominibus institutum Christi Apostolus intellexit. Nam licet variæ Magistratuũ varijs in locis rationes, varia munia, variaq. sint nomina; omnis tamẽ potestas à Deo est, & ideò causam cur totũ hoc præceperit statim subiunxit, propter Deũ authorem, ac vindicẽ potestatum, quocumq. nomine, aut munere fungentiũ, siue Rex ille sit, siue ducis nomine cẽseatur. Itaq. in omni politia primũ locum obtinẽt Magistratus, in quibus ordo debitus seruetur necesse est; deinde reliqua pars populi. In populo autem alij sunt coniugio copulati, alij matrimonij vinculo soluti. Alij virgines qui cũ mulieribus coinquinati non sunt. Quorũ Paulus ita peculiariter meminit in suis epistolis, vt, quę sint singulorũ munia & leges, exactè tradiderit, & luculenter explicarit.

Cùm ergo Romana sit vera Christi Ecclesia, decenti ordine disposita, efficitur proculdubiò in ea necessariò cõstituendos esse diuersos ordines Ecclesiasticos, diuersos & Laicorum gradus. Ecclesiasticos quidem, ita vt vnus in pri-

mis

mis Princeps vniuersæ Reipub. Christianæ, distincti deinde Apostolorum, Euangelistarum, Pastorũ & Doctorum gradus rectè dignoscantur: Laicos verò, vt alij ab alijs diuersas viuendi rationes,& normã sequantur. Quamobrem cùm apud nostri temporis hæreticos nihil horum reperiatur, facilè colligitur, Ecclesiam Dei, quæ singularis ordinis elegantia eminet, ab eorum disgregatis congregationibus esse procul remotam. Illi enim neque pastorem vnum recipiunt, neq. Ecclesiasticos ordines distinguunt,& Reges, & Duces vix possunt tolerare, virginitatem & viduitatem irrident, initiationes,& ordinationes nullas admittunt, si quem verò ordinem æmulantur, in hoc nihil sanctũ, nihil Deo dicatum, nihil hierarchicum omninò agnoscitur, sed omne illud, quicquid est, ad solum ciuile ministerium referunt, dispensatoresq. mysteriorum Dei nõ modo flocci faciũt, sed etiam risui,& ludibrio habent. Iam cũ illis manus cõseramus,& quàm à recto tramite aberrẽt, demõstremus.

Qui vetera attẽtis animis perscrutabitur, haud obscurè cognoscet non solũ apud Iudæos, qui diuinæ legis præscripto tenebantur, sed etiã apud Ethnicos, qui solũ ductum rationis sequebantur, nec vllam diuinitus scriptã legem, pręter naturalem singulorũ mentibus insitã, acceperant, inter sacra atq. profana,& inter sacros,& non sacros viros, magnũ semper discrimẽ fuisse constitutũ: quippe qui vel sola natura duce, quãtum profana perfectione & dignitate sacris inferiora sint, probè cognoscẽtes, ea discriminari maximè oportere prudẽter cẽsuerũt. In Christi verò Ecclesia idẽ etiã discrimen naturali & diuino iure comprobatũ permãsisse, ex Christi Domini, cuius in primis authoritate firmatũ ac penitus stabilitũ est, facto manifestè apparet; cũ è fideli populo Apostolos duodecim & discipulos septuaginta duos electos sacris functionibus mancipauit: quod & Apostolos obseruasse, ex suis actis haud obscurè colligitur; cũ ab eis quosdã Episcopos, quosdã Presbyteros, alios verò Diaconos, liqueat cõstitutos, sic vt ministeriorũ, ita & nominũ fa- *Actor. ca. 1. & 8.*

Exort. ad castit. c. 7. cta distinctio cognoscatur. Vnde Tertullianus inquit: *Differentiam inter ordinem & plebem constituit Ecclesiæ authoritas, & honor per ordinis consessum sanctificatus à Deo, Vbi Ecclesiastici ordinis est consessus, & offert, & tinguit sacerdos, qui est ibi solus*. Ideò autem dicit, sanctificatum à Deo honorem per ordinis consessum tributum, quia in ordine Ecclesiastico est, secundum diuersos gradus, munerum distinctio, & honoris prærogatiua diuersa. Generalis enim ordo clericorum in plures ordines est distributus; vnicuique autem sua peculiaris est functio attributa; ac ita singulis proprium ministerium adscriptum esse ex Ignatio constat, vt cùm ipse eo tempore, quo & Apostoli, vixerit, eas, quas recẽset, ecclesiasticas institutiones, ab ipsis Apostolis approbatas & traditas nemo possit negare. Ad Antiochenos enim scribens ait; *Presbyteri, pascite gregem, qui vobis commissus est: donec Deus demonstret eum, qui vobis imperaturus est: ego enim iam immolor vt Christum lucrifaciam: Diaconi agnoscant cuius sint muneris, & dignitatis; dentque operá, vt inculpabiles sint imitatores Christi*. Paucis deinde interiectis, inquit; *saluto sanctum presbyterorum cætum: saluto sacros diaconos, saluto subdiaconos, lectores, cantores, ostiarios, laborantes, exorcistas, confessores.* Et scribens Ephesijs, similiter Episcoporum, sacerdotum, & Diaconorum ordinem recenset. Sic enim ille. *Date operam dilectissimi, vt Episcopo subijciamini, & presbyteris, & diaconis: qui enim his subditus est, Christo qui eos largitus est, obedit*. Cum autem priùs dixerit, *Pauli & Petri fuistis discipuli: ne perdatis depositum:* satis demonstrat, hæc omnia ministeria fluxisse ex Apostolica institutione. Itaque, Ecclesiasticos ordines, quos & muneribus diuersos, & numero septem esse Catholica Ecclesia tradit, Ostiariorum, scilicet, Lectorũ, Exorcistarum, Acolytorum, Subdiaconorum, Diaconorum, atq; Presbyterorum, excepto Acolytorũ, cuius meminere Gelasius, & Cornelius summi Pontifices, numerauit Ignatius. Recensentur & in Romano Concilio Syluestro summo pastore celebrato; & in Concilio Carthaginensi quarto. Extat epistola Caij martyris, qui & summum pontificatum gessit

Igna. epist. 8.

Epist. 11.

Apud Euseb hist. lib. 6. c. 33.

Conci. Ro. c. 7.

Cartha. c 2. & seq.

gessit, & Dioclitiani temporibus vixit, in qua monet, ne aliter promouendi ad Ecclesiasticos ordines accedant, quàm vt sit aliquis primo Ostiarius, deinde Lector, postea Exorcista, inde sacretur Acolytus, demum Subdiaconus deinde Diaconus, & postea Presbyter, & exinde, si mereatur, Episcopus creetur. Sic gradatim ad Episcopi dignitatem perueniendum esse decreuit. nam idcircò hoc sacramentum, Ordo nuncupatur. Quemadmodum enim, in rebus bellicis, aliquis primùm nullo dignitatis munere insignitus militat, deinde decurio constituitur, postea centurio creatur, ac posteaquàm ordines duxit aliquandiu, si sit repertus idoneus, imperator eligitur; ita proculdubiò fieri oportet in Ecclesia, vt ne quis ad summum gradum subitò prosiliat, verùm in minoribus aliquandiu se exerceat, ac pedetentim ad maiores progrediatur. Quod etiam fieri oportere, in Monodia Basilij docet Gregorius Nazianzenus, & eius discipulus Hieronymus, ad Pamachium scribens de erroribus Ioannis Hierosolymitani: Quin & ita factum fuisse narrat à Nepotiano, itidem & à Cornelio Cyprianus, & à Chrysostomo, qui vitam illius scripsit, Leo Imperator; & à Basilio, atque Athanasio, Gregorius Nazianzenus. Sozimus verò pōtifex etiam interuallum temporis describit inter vnumquemque gradum Ex quibus apparet, in primitiua Ecclesia, suo quemque functum ordine. fuisse verò certo numero ex vnoquoque constitutos scribit Eusebius. Quoniam verò instituti nostri ratio non patitur nos de singulis singulatim disputationem ordiri (integrum enim codicem, potiùs quàm breuem & compendiosam orationem eorum tractatio desiderat) ea tantum, quæ ad institutum nostrum faciunt persequamur.

Hier. in ep. ad Helio. in epitap. Nepoti. Cypr. li. 4. ep. 2. Sozim. ad isichi. c. 3. Euseb. li. 6. hist. c. 20.

C. XXI.

VNiuersos ordines Ecclesiasticos heroes nostri in duas classes distributos esse adnotarunt. ita vt quatuor minores, tres maiores dici consueuerint. Horum infimum locum obtinet Subdiaconatus. Est autē Subdiaconi munus potissimum, aquam ad ministerium altaris præparare, &

tantùm

tantùm de oblationibus in altari ponere, quantum populo
Igna.ep.10. Dei ſatis eſſe poſſit, & epiſtolam pronunciare. Poſt hunc ſequitur Diaconatus, qui Latinè non ineptè diceretur miniſteriũ. Eſt enim Diaconus Sacerdotis miniſter. Erat autem
Num.c.3. *Leuit.c.8.* penes Hebręorum populum hic ordo in tribu Leui, quæ ad diuini cultus miniſterium à Domino fuerat deſignata: quandò, nimirum, is Moſi præcepit, vt poſt Aaronis & fi-
Act.c.7. liorum eius cõſecrationem, tribum Leui ordinaret & conſecraret Domino, vt ſeruirent pro Iſraele in tabernaculo Dei coram Aarone & filijs eius. Et in actis Apoſtolorum legitur, ſeptem viris authoritate & fide dignis ad hoc miniſterium electis, præmiſſis precibus, manus impoſitas fuiſſe: in quibus fuit Stephanus Protomartyr, fuit & Nicolaus ſectæ vnius omnium flagitioſiſſimæ author. Sed omnium excellentiſſimus Sacerdotum ordo eſt, cui reliqui omnes ſubſeruiunt. Cuius munus tàm circa verum, quàm circa myſticũ Chriſti corpus verſatur. Sacerdoti enim cum primis poteſtas defertur conſecrandi viuum Chriſti corpus, & illud offerendi in altari, ac ijs diſtribuendi, qui illud ſu-
Luc.c.22. mere optarint. Nam in nouiſſima Cæna Chriſtus Domi-
1.Cor.c.4. nus Apoſtolis ſuis, quos tunc Sacerdotes inſtituit, hoc facere imperauit, vt eſt apud Lucam. Apoſtolus verò Paulus appellat Sacerdotes miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorũ Dei. Alibi verò dicit, eos Chriſti eſſe legatos. Quod
2.Cor.c.5. quidem legationis munus tunc Chriſtus Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus mandauit, cùm eis dixit (quod eſt apud
Ioan.c.20. Ioannem) *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos*. Fuit quidem Dei Filius è cælo in terras miſſus, vt homines in gratiam ſempiterni ſui Parentis reduceret. Hoc ipſum voluit, vt diſcipuli ſui, & eorum ſucceſſores Sacerdotes, & Epiſcopi exequerentur. Vt enim ſuo miniſterio illi Deo reconciliarentur, qui ſcelere diuinam violarent maieſtatem, iuſſu Chriſti Domini in vniuerſum orbem ſunt profecti. Hoc
2.Cor.c.5. enim eſt, quod Paulus inquit; *Poſuit in nobis verbum reconciliationis*. Et illud, *Pro Chriſto, legatione fungimur, tanquam Deo*

exhor-

exhortante per nos: &, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Idcircò cùm eos vellet mittere ad hoc ministerium, semel atque iterum dixit illis, *Pax vobis*: quod & illis pacem fecisse, & per eos pacem & reconciliationis donum hominibus misisse indicaret, Hinc, certè, Sacerdotes in Christi corpus mysticum, hoc est, in Ecclesiam, potestatem diuinitus sibi datam accepisse manifestè euincimus. Quid enim, est; *euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; & illud, *quorum remiseritis peccata remittuntur eis*: & : *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ*; quàm factam fuisse facultatem Apostolis, & eorum successoribus, concionandi, absoluendi, & baptizandi, quorum munerum functione, tanquam legati à Christo missi, populos ad Dei gratiam reducerent? Quàm etiam ob rem, à diuino vate Malachia, dicti sunt Angeli Domini exercituum. Nec tantùm Christi capitis, sed etiam corporis eius, quod est Ecclesia, Sacerdotem legatum esse intelligimus. Totus, enim, Christus & caput est & corpus. Pro Christo capite legationem obit, quoties concionando Christi voluntatem populis exponit, & Christi nomine postulat & obsecrat, vt vitia sua quisque detestetur, atque ab illis auersus ad Deum reducatur. Pro Christi verò corpore, hoc est, Ecclesia, legatione fungitur, quoties ad altare stans, illam quæ per fusum pro nobis sanguinem in cruce facta est, reconciliationem Deo Patri offert, & pijs precibus supplex orat totius Ecclesiæ nomine, vt, illius reconciliationis virtute, populo suo propitius esse, & fructum illius ad ipsum velit feliciter redundare. Hinc cùm vniuersus populus mitteret Hieremiam, vt à Deo optimo maximo pacem & veniam peteret, precareturque, vt sibi propitius esse vellet, dixerunt ei cuncti de populo: *Sit Dominus inter nos testis veritatis, & fidei, si non iuxta omne verbum, in quo miserit Dominus Deus tuus ad nos, sic faciemus. siue bonum est, siue malum, voci Domini Dei*

Matt. c. 28.
Ioan. c. 20.
Mar. c. 16.
Mala. c. 2.
Hiere. c. 42.

nostri

nostri ad quem mittimus te, obediemus. Ecce Hieremias mittitur legatus à populo,cumque apud Deum legatione esset perfunctus, populum vniuersum affatur: *Hæc dicit Dominus Deus Israel,ad quem misistis me, vt prosternerem preces vestras in conspectu eius.Si quiescentes manseritis in terra hac,ædificabo vos,& non destruã; plantabo & non euellam:iam enim placatus sum super malo, quod feci vobis*.Quamobrem,inquit Philon,postulat in sacerdote lex præstantiorem homine indolem,quippe qui Deo sit familiaris præ cætetis,situs in quodam diuinæ,humanæque naturæ (si verum fateri licet) confinio, vt hoc intercessore Deus hominibus placatus reddatur,& eiusdem ministerio porrigat eis, largiaturque suam gratiam. Hoc est, enim, quod Chrysostomus tradit, medium stare sacerdotem inter Deum & humanam naturam, illinc profecta beneficia ad nos deferentem, & nostra postulata illuc perferentem, Dominum iratum nobis propitium reddentem. Et alibi, sacerdotem pro toto terrarum orbe legatum apud Deum intercedere,deprecatoremque esse dicit Vt non hominum viuentium modò, sed etiam mortuorum peccatis propitius fiat: ipsumque ad Deum sic accedere, quasi mundus vniuersus illi concreditus sit, atque verus omnium pater existat. Neque hic sistit Chrysostomus, sed in sacerdotem ad altare ministerio fungentem oculos conijcit, & in stuporem redactus, illius dignitatis amplitudinem vsq. adeò esse admirandam existimat, vt nulla oratione (tanta est eius magnitudo) satis amplificari vnquam possit. *Cùm enim ille & Spiritum sanctum inuocauerit, & sacrificium illud horrore ac reuerentia plenissimum perfecerit, communi omnium Domino manibus assiduè pertractato,quæro ex te,quoto illum in ordine collocabimus? Per id tempus & Angeli sacerdoti assident, & cælestium potestatum vniuersus ordo clamores attollit, & locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus est*. Similiter Ambrosius,Gregorius Nazianzenus,&discipulus eius Isichius, Gregorius Pontifex Romanus, & Bernardus de sacerdotis munere magnificè loquuntur.Prosper Aquitanicus appellat

Phil. lib. 2. de Monar.

Chrysost. de verb. Esa. ho 5.& lib. 6.de sacerd.

Amb.ora.1. præp.ad mis. Naz.in apolog.& ora.in plag. gran. Isich.in c.leui. 22. l. 6. Greg. lib. 1. ep.24. Ber. ep. 42. Pros.l.2.c.2. de vita cõt.

lat

ſat ſacerdotes ianuas ciuitatis ęternæ, per quos omnes, qui Chriſto fidem dederunt, ad Chriſtum introeunt. Anacletus verò Pontifex Romanus his omnibus antiquior, quippe qui quartus à Petro pontificatum geſſit, ad hunc modum præfatur: *Vt ipſe filius Dei mediator fuit Dei & hominum, ita & vos eius vice in Eccleſia eſtis conſtituti, vt inter Deum & homines legatione fungamini:* Sic ille in ea epiſtola quam ad Epiſcopos per diuerſas regiones conſtitutos ſcripſerat. Quid Auguſtinum? Quid Cyrillum? Quid Cyprianum? Quid Patres Græcos? Quid Latinos Heroes omnes commemorem? Certè vna eſt omnium illorum vox, idem iudicium, ſentētia eadem, Sacerdotem eſſe interceſſorem inter Deum & homines, & (vt Paulus inquit) reconciliationis miniſtrum. Nam Sacerdos verus fecialis & reconciliator nō eſt, ſed ille Dei filius verus Deus & homo Chriſtus Redemptor noſter, cui dictum eſt, *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech;* ille de quo ſcriptum eſt, quia *factus eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* ille eſt qui baptizat, ille eſt, qui peccata condonat, ille eſt qui in Dei gratiam homines reducit, qui pro nobis intercedit, qui Deum iratum interpellat, ne ſupplicio facinoribus noſtris condigno nos afficiat; ille eſt qui docet, ille eſt qui conſecrat Euchariſtiam, ille eſt qui porrigit ſumere volentibus; ille eſt qui offert ſanguinis & corporis ſui ſacrificium in altari, ipſe eſt ſacerdos & ſacrificium. Non tamen diuerſum illius à noſtro ſacerdotium & ſacrificium cenſendum eſt. Sed ſicut Epiſcopi & eius Vicarij vnum eſt tribunal; ita omnium ſacerdotum & Chriſti vnum eſt ſacerdotium, & ſacrificium. Siue, igitur, Euangelium explicet, ſiue baptizet, ſiue abſoluat, ſiue cōſecret; ſiue Euchariſtiam diſtribuat, ſiue corporis & ſanguinis Chriſti hoſtiam offerat incruētam, proculdubiò in his omnibus ſacerdos miniſterio ſibi credito, & legatione pro Chriſto perfungitur. Non tamen propterea exiſtimandum eſt, non rectè dici, baptizare ſacerdotem, peccata dimittere, docere, precari pro nobis, ſacerdotium obire, quia

Ana. epiſt. ad Epiſcop.

Pſ. 109.

1. Ioan. c. 2.

Christus ipse est, qui baptizat, qui peccata dimittit, qui docet nos, & cuius sanguis interuenit pro nobis, & quia, qui sacerdotio fungitur in altari, ipse Christus est, qui se ipsum Deo Patri in sacrificium exhibet. Is enim sacerdotium vt verus Sacerdos exercet: Sacerdos autem hæc munia tanquam minister eius ritè exequitur. Sic enim Apostolus, reprehendens eos, qui baptismum ex ministrorum dignitate metiebātur, inquit: *Quid igitur est Apollo? Quid verò Paulus? Ministri eius, cui credidistis, & vnicuique sicut Dominus dedit. Ego plantaui; Apollo rigauit; sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus.* Præclarè Chrysostomus. *Non sunt humanæ virtutis hæc opera. Qui tunc in illa Cæna confecit, ipse nunc quoque operatur, ipse perficit: ministrorum nos ordinem tenemus: qui verò hæc sanctificat, & transmutat, ipse est.* Alibi quoque eleganter eandem sententiam persequitur, in suis, nimirum, commentarijs in Epistolas Pauli: *Sacra*, inquit, *ipsa oblatio, siue illam Petrus, siue illam Paulus, siue cuiusuis meriti Sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse discipulis, quamque sacerdotes modò quoque conficiunt. Nihil habet ista minus quàm illa.* Quid ita? Quia Christus hanc sanctificat, qui illam anteà sacrauerat. Quemadmodum, enim, verba, quæ loquutus est Christus, eadem sunt, quæ sacerdotes nunc quoque pronunciant, ita & oblatio eadem est. Vnde idem Chrysostomus alibi ait. *Et nunc ille præstò est Christus, qui illam ornauit mensam: ipse istam quoque consecrat. Non enim homo est, qui proposita de consecratione mensæ Domini corpus Christi facit & sanguinem: sed ille qui crucifixus pro nobis est Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur & gratia. Hoc est, ait, corpus meum, hoc verbo proposita consecrantur.* Certè semel tantum à Deo dictum est, *Crescite & multiplicamini, & replete terram*, & omni tempore sortitur effectum, ad generationem natura efficaciter operante: ita & vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ vsque ad hodiernum diem, & vsque ad eius

[Margin notes: *1.Cor.c. 3.* — *Chr.ho. 83. in Matth. & in 2. ad Timot.ho. 2.* — *Chrysost. de prod. Iudæ.* — *Gen.c.1.*]

aduentum præstat sacrificio firmitatem. Vnde Oecumenius enarrans illud Dauidis apud Paulum à nobis sæpè repetitum, *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: Significat*, inquit, *sermo, quod licet Christus non obtulerit carentem sanguine hostiam: siquidem suum ipsius corpus obtulit, attamen, qui ab ipso fungentur Sacerdotio, quorum Deus pontifex esse dignatus est, sine sanguine offerent, nam hoc significat in æternum, sed respiciens ad præsentes sacrificos, per quos medios Christus sacrificat, & sacrificatur, qui etiam in mystica cæna modum illis tradidit huiusmodi sacrificij*. Quis, ergo, vsque adeò est superbia tumens, audacia feruens, inconsideratissima ac dementissima temeritate à consilio & ratione alienus, ita animo irato & percito in Dei ciuitatem, in Christi corpus mysticum, in ipsum Christi verum & viuum corpus, qui sacerdotium ex Ecclesia omnino tollere, & è finibus illius quàm longissimè exterminare moliatur? Certè qui facinus hoc tentare audent, vel etiam mente concipiunt, nihil aliud quàm Christi sacerdotium, Christi sacrificium ex ea remouere, & redemptionis nostræ pretium nobis auferre conantur. Manus quidem mortalis, lingua mortalis, ministerium hominis est mortalis; sed sancta consecratio, sed sacrata oblatio, non est nisi æterni illius sacerdotis, & immortalis Domini nostri Iesu Christi, qui sacerdotium secundum ordinem Melchisedechis adeptus est. In hunc igitur, impetus suos & nefarios conatus intendunt, qui in Ecclesia sacerdotium non esse necessarium audacter & temerè suadent.

Oecu. in [p]s. 109.

Quanta verò sit Sacerdotij sanctitas, & cum sacrificio connectio, satis superque mihi videntur demonstrare cæremoniæ illæ & sacri ritus, quibus, qui ad sacerdotalem dignitatem assumi solent, sanctissimè insigniuntur. Quod, enim, ad eius sanctitatem spectat vide Lucam, qui, sacrificium & ieiunium præcessisse Pauli & Barnabæ ordinationem, apertè scribit.

Act.c.13. *Erant,* inquit, *in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ. Prophetæ & Doctores, in quibus Barnabas & Simon, qui vocabatur niger, & Lucius Cyrenensis, & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, & Saulus. Ministrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus; segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod aßumpsi eos. Tunc ieiunantes & orantes, imponentesque eis manus dimiserunt illos.* Proculdubiò sacerdotij amplitudinem non obscurè ostendit Spiritus Sancti præceptio. Voluit enim Deus primis illis temporibus, & initiis Ecclesiæ docere quanti facienda esset sacerdotalis dignitas, non nisi manifesta suggestione ostendendo, qui ad hoc ministerium essent assumendi. Quod etiam in Timothei ordinatione factum fuisse significauit Apostolus. *Noli* inquit *negligere gratiam, quæ in te est: quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum præsbyterij.* Manuum autem impositionem præcedit benedictio, & inunctio; sequitur verò calicis porrectio. Præcipuum tamen in hoc sacramento, quodque apertius declarat, circa quid munus sacerdotale versetur, est manuum impositio. Per benedictionem enim ordinandus mancipatur diuinis officijs, per vnctionem ad Christi corpus tangendum idoneus redditur: per calicis porrectionem, officij ministerijq. sui admonetur; per impositionem verò manuum, omnis ei gratiæ plenitudo confertur, vt, quæcunque pertinent ad officium sacerdotis, ea efficaciter exequi possit omnia.

1.Tim.c.4.

CA. XXII.

NOn tamen me latet hac nostra ætate Lutheri & Calui ni discipulos & sectatores risu & sibilis consectari hos ritus, potissimum tamen sacram inunctionē, & impositionem manuum, quasi verò vtrunque humanum sit inuentum. In quo nescio, vtrum magis imperitiam illorum, an in sacros Ecclesiæ ritus cōceptum odium mirari debeam. Quamuis enim, in noui testamenti sacro Codice huius inūctionis mentio manifesta non sit: non tamen eo temeritatis deueniendum est, vt hominum prorsus inuentum existimandum sit, ordinandos sacerdotes oleo iniungi. Adeò, enim, veterum monumenta apertè testantur; hanc consue-

tudinem

tudinem ab Apostolis veluti per manus ad nos fuisse traductam, vt ea de re amplius dubitare effrænati esse ingenij & iudicij temerarij existimem. Quid, enim, Anacletus Petri successor de initiandis sacerdotibus Apostolica authoritate constitutum fuisse tradit? Certè inquit: *Ordinationes Episcoporum authoritate Apostolica, ab omnibus, qui in eadem prouincia fuerint, Episcopis sunt celebrandæ: qui simul conuenientes, scrutinium diligenter agant, ieiuniumq. cum omnibus celebrent precibus, & manus cum sanctis Euangelijs, quæ prædicaturi sunt, imponentes Dominica die, hora tertia, orantes, sacraque vnctione exemplo prophetarum, & Regum, capita eorum, more Apostolorum, & Mosis, vngentes, quia omnis sanctificatio constat in Spiritu Sancto, chrismati est permixta: & hoc ritu solemnem celebrent ordinationem.* Et B. Clemens, *Omnis*, inquit, *pontifex sacro chrismate perunctus, & in ciuitate constitutus, scripturis sacris eruditus, charus & pretiosus hominibus oppido esse debet, quem quasi Christi loco tenentem honorare omnes debent eique inseruire, & obedientes ad salutem suam fideliter existere: scientes, quod siue honor, siue iniuria, quæ ei defertur, in Christum redundet, & à Christo in Deum.* Quid plura? Hac de re copiose Dionysius Areopagita, Cyprianus, necnon Tertullianus, & antiqui fere scriptores omnes differentes, manifestè ostendunt, sacram inunctionem, non humanum inuentum, sed ab Apostolis, non sine spiritus diuini afflatu, ad nos traductam esse consuetudinem.

Ana. epi. 2.

Cle. ep. 2. ad frat. Domini.

Diony. Eccle. Hie. c. 4. Cypr. lib. de chrismate, Tertul.

Sacra autẽ mysteria non esse ab alijs dispensanda, quàm ab his, qui ritè ad hoc ministerij genus assumpti sunt, sacro item charactere insigniti, atque iuxta Ecclesiasticam traditionem constituti per manus impositionem, sancta & Catholica tradit Ecclesia. Plurimum etiam illos errare docet, qui existimant, nihil interesse, vtrum hæc sacra & diuina mysteria à laicis, ad ea exequenda quomodocunq. ordinatis, vel delectis tantùm: an à sacerdotibus ritè, & canonicè, vel secus consecratis, & ordinatis exerceantur. Ordinationes, autem, alio modo fieri, quàm eo, quem nobis sacri Canones præscripserunt, omninò prohibet. Et de Episcopo-

ſcoporum ordinatione in primo Apoſtolorũ canone hæc ita legũtur; *Epiſcopus ordinetur à duobus, vel tribus Epiſcopis:* Quod verò ſpectat ad ſacerdotio, & alijs ordinibus initiandos, hæc ſequuntur, *Presbyter verò ab vno Epiſcopo; Diaconus, autem, & alij eodem modo*. Sic enim in Pauli, & Barnabæ ordinatione factum fuiſſe, ſacra Apoſtolorum narrat hiſtoria. Vbi quinque legimus interfuiſſe viros, & à tribus duos reliquos Saulum & Barnabam ſegregatos in miniſterij munus ordinatos fuiſſe. Non autem me fruſtra operam impenſurum arbitror, ſi Vatabli turpiter hac in re lapſi nefandum errorem lectori aperiam, ne quis incautè eius ſcholia in priorem Pauli ad Timotheum Epiſtolam legens, falſam illam opinionem mente comprehendat, quam ipſum à Lutheranis accepiſſe apparet. Enarrans enim, illud Apoſtoli, *Noli negligere gratiam quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum presbyterij:* vltima ſilentio inuoluens, priora breui quadam, ſed praua gloſſa corrupit. Sic enim ſcriptum reliquit. *Noli negligere paſtorale officium, quod tibi datum eſt, ad prophetandum, ſeu docendum, à Senatu Chriſtiano, qui eſt Epheſi*. Quaſi verò munus Epiſcopi, hoc eſt, Epiſcopatus, & ordinatio ipſa Epiſcopi, non ſit ſacramentum, ſed potius ciuile & profanum officium, ac proinde poſſit quis Epiſcopus ordinari à Senatu ciuili, vt & cæteri ciuiles Magiſtratus creantur. Qua de re cùm alibi nos plura diſſeramus, tantùm hoc loco lectorem admonendum duximus, quæ ſacri Apoſtolici Canones ritè præſcribunt. Nam ſecularibus principibus haudquaquam licere Epiſcopos creare, aut illis veteri deprauato more (qui ab Oecumenicis Concilijs abrogatus eſt) manus imponere trigeſimus primus Canon apertiſſimè prohibet. Si quis, inquit, Epiſcopus ſecularibus poteſtatibus vſus, Eccleſiam per ipſos obtineat, deponatur & ſegregetur. Vbi propter delicti grauitatem duplex illi pœna irrogatur, qui à ſæculari poteſtate Epiſcopus fuerit creatus. Omnis, enim,

Can. 1. Apoſt.

Act. c. 13.

1. ad Timo. 4.

Vatab. in 5. ad Tim. 4.

16. q. 7. c. ſi quis Epiſc.

ita

ita facta electio tanquam impia & sacrilega exploditur, & huiusmodi initiatus à communione fidelium separari iubetur. Quocirca & in Concilio Nicæno, & Laodiceni patres Spiritu Sancto afflante decreuerunt ne Episcopus nisi ab Episcopis, & Sacerdos nisi ab Episcopo eligatur. In quorũ canonum expositione illud scriptũ est: *Non tantum vulgus arcetur ab Episcoporum electione, sed etiam de ipsis Sacerdotibus sententiam ferre non permittitur.* Idẽ & Antiochena Synodus omnino tradit. Quod proculdubiò ipsa χειροτονία indicat: quippe quæ eius, qui tunc consecrandi munus exercet, in alio consecrando diuinarum precũ sacram administrationem, ac Spiritus Sancti omnia perficientis initiatoriam inuocationem apertissimè designat. De qua cum multa ad rem apprimè spectantia possem afferre, supersedendo ijs omnibus, quæ duntaxat eruditissimus, ac pietate maximè insignis, & in veterum monumentis perscrutandis veritatis indagator diligentissimus D. Cæsar Baronius S. Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis in suis annalibus appositè commemorat, in medium producam.

Nice. ca. 4. Laod. ca. 12 13.

Censur. Orien. c. 14.

In Barnabæ igitur, & Pauli ordinatione (quod narrare cœperã) & ieiunium quidẽ indictum est, & sacrificiũ peractũ. Nam, vbi vulgaris nostra versio Latina habet, ieunãtibus, & ministrãtibus illis, Græcè legitur, λειτουργούντων, idest, sacrificãtibus. Nõ enim, sine sacrificij incruẽti ministerio sacras eiusmodi ordinationes solitas celebrari, apud antiquos omnes Ecclesiarũ libros, qui de ritu & constitutione sacrorum tractãt, in promptu habemus. Ad mysterij verò consummationem manuum impositio accedebat: quod in actis Apostolorum Lucas, & in suis Epistolis Paulus sæpe & sæpius factitatum fuisse pluribus demonstrat exemplis. Scribens enim ad Timotheum inquit: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum manus impositione presbyterij.* Et rursum; *Resuscita gratiam, quæ in te est per impositionem manuum mearum.* Et alibi; *Manus cito nemini imposueris.* Quinimo neque Simon Magus videtur ignorasse,

Baro. to. 1. ann. Chris. 44.

1. ad Tim. c. 4.

2. ad Timo. c. 1.

1. ad Timo. cap. 5.

per manuum impoſitionem Sanctum ſpiritum tradi, cùm *Act. c. 4.* Petro & Ioanni dixerit; *Date mihi hanc poteſtatem, vt cuicumque impoſuero manus accipiat Spiritum Sanctum.* Viderat enim Spiritū Sanctum in eos, qui Chriſtianā Religionem ſuſceperant, Apoſtolorum ad Deum precibus, per manuum impoſitionem diuinitus deſcendiſſe. Apoſtolos autem eiuſmodi ritus exēplum imponendi nimirū manus, ſuper eos, quos ſacris officijs mancipabant, ex antiqua lege ſumpſiſſe inſinuauit *Anacl. vbi ſup.* Anacletus, vt quemadmodum (Hieronymo authore) ex veteri teſtamento ipſi ſacrorum miniſtrorum ordines ſunt *Hieron. ep. 85. ad Eua.* mutuati, ita etiam huiuſmodi manus imponēdi ritum ſanctiſſimè deduxerint. Nam imponendas eſſe manus ab Aarone, & filijs eius, ſuper eos, qui ſacerdotio Leuitico initiabantur, ex ſacra pagina liquidò apparet. Quod autem Aa- *Exo. c. 29.* ron & filij eius, atque Leuitæ in templo fuerunt: hoc ſibi Epiſcopi, & Presbyteri, & Diaconi in Eccleſia vendicant. Quantum tamen vmbram & figuram excedit res ipſa, cōditionis & naturæ ſuæ præſtantia; tantò profectò hæc vberiori gratiarum affluentia in noui ſacerdotij ordine exiſtunt, tàm ab Apoſtolis ex Spiritus ſancti afflatu (cuius illi *Cypr. ep. 68* primitias habuerunt) miniſtrata, quàm ab Eccleſia Catholica ex Apoſtolica inſtitutione integrè conſeruata.

Illi ergo minimè ſunt audiendi, qui cùm apud Ethnicos in more quondam poſitas fuiſſe omnes ferè cæremonias, quibus Catholica Eccleſia vtitur in miniſterijs peragēdis, nonnunquam legunt, ab illarum ſuperſtitione Catholicos Chriſtianos ſacros ritus accepiſſe, fœdè calumniantur. Scio equidem illos & intinguere conſueuiſſe: & in frontibus milites ſuos conſignare. & panem ac poculum aquæ in ſacrificijs eius, qui initiabatur, verbis quibuſdam additis adhibere: prætereà & ſummum Pontificem in vnis nuptijs per manuum impoſitionem ſolitos creare. Non tamen ab illorum impia & ſacrilega ſuperſtitione ſacratos ritus accepimus, ſed vafrè cacodæmon in Angelum lucis ſe trāſformans ſuis ſannis & homines & Deum ſolet irridere.

Conti-

Continentiam quidem,& abſtinentiam hæreticorum priſcorum ſeueriorem & auſteriorem olim fuiſſe, quàm verè Chriſtianorum tunc erant, ſi veterum monumenta euolues,facilè comperies. Et præceptorum collectio per infelicem Machumetem tradita, (quæ Alcoran nuncupatur) nihil aliud tam ſtrictè,quàm ieiunia, preces, eleemoſinas, peregrinantum ſuſceptiones,amorem Dei ſummum præcipit,ſceleribus ſupplicia futura minitando,virtuti pręmia pollicendo. Gnoſtici præ cæteris innocentiam morum, integritatem vitæ, multam in pauperes,in pauperes tamē ſectæ ſuæ ſicut Machumetes, benignitatem ſimulabant.Et qui noſtris infeliciſſimis temporibus ex Germania, alijſq. ſeptētrionalibus regionibus iam ab hinc ſeptuaginta & eo amplius annis eruperunt hæretici,quam non iactant ſuam & ſuorum pietatem,& ſanctimoniam, cum tamen ſpurciſſimam vitam agant:

Et ſimulant curios,& bachanalia viuant?

Quid agas? Impoſtores & mangones improbiſsimi ſic res viliſſimas deaurāt,ſic floribus olida ſterquilinia obtegunt, melleque pocula venenorum prælinunt. Vnde Tertullianus iure quæritur, multa, quæ ſunt ex lege diuina ſtatuta, à Cacodæmone in ſuperſtitionis cultum eſſe translata: *Li.de præſ. c.40.* *Cuius,*inquit,*partes ſunt inuertendi veritatem, qui ipſas quoque res ſacramentorum diuinorum in Idolorum myſterijs æmulatur: tinguit & ipſe quoſdam vtique credentes, & fideles ſuos: expiationem delictorum de lauachro repromittit: & ſic adhuc initiat Mithræ: ſignat illic in frontibus milites ſuos: celebrat & panis oblationem, & imaginem reſurrectionis inducit, & ſub gladio redimit coronam. Quid? quod & ſummum pontificem in vnis nuptijs ſtatuit? Habet & virgines, habet & continentes? Cæterum ſi Numæ Pompilij ſuperſtitiones renouamus: ſi ſacerdotalia officia,inſignia,& priuilegia,ſi ſacrificalia miniſteria, & inſtrumenta,& vaſa ipſorum ſacrificiorum,ac piaculorum,& votorum curioſitates conſideremus: nonnè manifeſtè diabolus moroſitatem illam Iudaicæ legis imitatus eſt? Qui ergo ipſas res, de quibus ſacramenta Chriſti adminiſtrantur, tam æmulanter affectauit exprimere in negotijs*

idololatriæ, vtique & idem & eodem ingenio gestijt, & potuit instrumenta quoque diuinarum rerum & sanctorum Christianorum, sensum de sensibus, verba de verbis, parabolas de parabolis, profanæ & æmulæ fidei attemperare. Non ergo ex sacrilega Ethnicorum superstitione sacros ritus mutuati sunt Catholici Christiani, sed ab illis Cacodæmon impia ęmulatione suffuratus est eos ritus, quorum specie externa sibi subditos in Idololatriæ errorem induceret.

Age verò, finge Catholicos ab Ethnicis ritus suscepisse. An non licuit, quæ apud Gentes superstitioso cultu impiè agerentur, eadem expiata sacro ritu ad pietatem transferre, vt maiori Cacodæmonis contumelia, quibus ipse coli voluerit, Christo honor summa cum religione, & pietate maxima deferatur? Magnus ille Gregorius, ob præclaras abs se res gestas cognomento Thaumaturgus, Gentium ferias impijs superstitionibus refertas, in sanctorum martyrum celebritates piè & religiosè commutauit: *Descendit,* inquit Gregorius Nyssenus, *rursus ad vrbem, & omni circa regione vndique peragrata, & perlustrata, additamentum, & quasi corolarium studij erga Numen diuinum instituebat, apud omnes vtique populos sanciens, vt nomine eorum, qui pro fide decertassent, dies festi atque solemnes conuentus celebrarentur: cùmque alij in alium locum corpora martyrum deduxissent, per anniuersarium circuli ambitum congregati lætabantur, in honorem martyrum ferias agentes.* Paucis deinde interiectis inquit: *Cum animaduertisset, quod propter corporis voluptates simplex & imperitum vulgus in errore simulachrorum permaneret; quò maximè id, quod præcipuum est, interim in ijs assequerentur, nempe vt, vanis superstitionibus relictis, ad Deum conuerterentur, permisit eis, vt in memoriam sanctorum martyrum sese exhilararent, & oblectarent, atque in lætitiam effunderentur.* Similiter Theodoretus de Ethnicorum ferijs in honorem martyrum piè, sanctèque translatis scribit. *Dirutorum,* inquit, *templorum materia, templis, arisque martyrum excitatis, expiata est. suos enim mortuos Dominus noster in templa pro Dijs vestris induxit: ac illos quidem cassos gloria, vanosque reddidit:*

In vita Grego. Thau.

Theodoret. Græ. affect. libro 8. de marty.

didit: ſuis autem martyribus honorem illum dedit. Ea verò ratione, qua, deorum delubra in Chriſtianorum Eccleſias non ſine eximia laude & Pontificibus & Imperatoribus mutare licuit, ſi alij quoque ritus Gentium, benedictionibus tamen prius expiati, diuino ſint cultui conſecrati, neſcio, cur id probro & crimini nobis vnquam dabitur. Si, enim, quæ idolis immolata eſſent, non prohibuit Paulus à fidelibus comedi, niſi fortè inde aliquis offenſionem pateretur; cur extincto penitus iam diu ſuperſtitioſo idolorum cultu, cū nulla prorſus ſuperſit offendiculi occaſio, aliquibus ex illis cæremonijs vti non licebit? Maximè cùm non priuato vſu, ſed communi totius Eccleſiæ conſuetudine vſurpentur. Sunt profectò plura quàm à me in præſentiarum adduci poſſint, quæ piè & ſanctè à Chriſtianis abſque vlla ſuperſtitione ſeruantur, cùm tamen eadem apud Ethnicos olim, in ipſorum ſacris & miniſteriis peragendis, fieri conſueuerint. Quamobrem, qui manuum impoſitionem in ſacrorum ordinum collatione execrantur, ſe ipſos execrabiles pijs hominibus reddiderunt. Conſuetudinem, enim, à tota Eccleſia approbatam, & ab ipſis Apoſtolis traditam temerè execrantur. *Ro. c. 14.*

Quid, igitur, in cauſa eſt, cur hæretici, cùm omnis antiquitatis ſtudioſos, & cultores ſe prædicent, ab his vetuſtiſſimis, & ſacratiſſimis ritibus, tantoperè abhorreant? Cur, in creatione ſuorum paſtorum; nihil horum obſeruant? Cur, ſine ſacerdotalis manus impoſitione, Pontifices; ſine vnctione, ſacerdotes; ſine miſſione, Apoſtolos; ſine ritu ſacro, rerum ſacrarum miniſtros inducunt? An hæc ſacroſancta non ſunt? An ex antiquiſſima, & Apoſtolica traditione non effluxerunt? An Diuinis ſcripturis non conſonant? An munus, & officium eius, qui conſecratur, re ipſa potius, quàm verbis non exprimunt, atque velut oculis videnda non ponunt? Cur, inquam, homines probatos, legitimaque electione in ampliſſima dignitate

constitutos tam sacro deinde ritu consecratos repudiarũt? Errones autem quosdam sine electione, sine examine, sine sacramento, nullis sacris cæremonijs expiatos, non à Deo, sed à seipsis missos admiserunt? Quam adferre poterunt apud Deum excusationem, qui in peculio, & sorte hæreditatis filij Dei, in salute sponsæ, & corporis Iesu Christi Ecclesiæ sanctæ (pro qua ille se ipsum tradidit, & crucem ac mortem acerbissimam sustinuit pro tot hominum, tot populorum, tot prouinciarum, pro totius mundi salute) ita indecenter se gerunt, & adeò turpirer mentiuntur, vt pro Sacerdote mercenarium; pro Pontifice latronem; pro Pastore auidissimum lupum, solo testimonio & authoritate sua (quam ad hoc minimè habent) Ecclesiæ præficiant? Non ob aliam sanè rationem, quàm quòd legitimi Pastores speculatores sint, & custodes Ciuitatis sanctæ, quam ipsi obstinatis animis oppugnant, & omninò expugnare, ac funditus euertere moliuntur. Cùm, enim, tempestas ingruit, summosque feriunt fulmina montes; cùm præsentia naufragia ante oculos versantur; legitimorum Præsulum partes sunt, soporem excutere, voluptates reijcere, & ad gubernacula sedulò recurrere, priusquam fluctus vndique insilientes, nauem ad scopulos inclementer allidant. Hoc verò cùm Ecclesiarum Rectores exactissimè præstẽt, non possunt non inuisi esse ijs, qui tempestates excitant, & Ecclesiæ nauem fluctibus obruere nefariè moliuntur. Vident hæretici, primos illos fortissimos, ac insuperabiles viros, patres & institutores nostros humana omnia excellẽti animi virtute superasse; nulis prauis voluptatibus, nullis delitijs indulsisse: omnia præsentis vitæ commoda nihili prorsus æstimasse, vt à Christo gratiam ineũtes regno ipsius potirentur, & solas eas voluptates, & delitias censuisse, à fædis voluptatibus, & humanis delitijs abhorrere: idcircò perhorescunt eos, quippe quos de genere illorum esse comperiunt, per quos salus facta est in Ecclesia Dei. Ob id cunctos Sacerdotes reijciunt: Præsules per manuum

sacram

ſacram impoſitionem creatos, omninò exterminant; quorum vita (vt Paulus ait) *in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtijs, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate*, exigenda eſt pro ſalute & incolumitate Catholicæ Eccleſiæ. 2. Cor. c. 6. 11.
Nam cùm hi, primos illos Patres, à quibus & ipſi Eccleſiæ Patres geniti ſunt, imitandos, & moribus exprimendos ſibi proponunt: (*qui per gloriam & ignobilitatem; per infamiam, & bonā famam; vt ſeductores, & veraces: quaſi purgamenta huius mundi* exiſtimati: *lapidati ſunt, tentati ſunt ſecti ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt*, cæleſtem appetentes repromiſſionem) præſtanti virtute, & vitæ innocentia, veneratis illorum greſſibus pſeudo-Prophetas, & pſeudo-Apoſtolos (hæreticos intelligo, qui quaſi de cælo vocem delapſam exaudiuerint, reliquis omnibus repudiatis, audiri & ſuſcipi volunt) non modo non recipiunt vt Magiſtros & Vates diuinos, quod illi mamè affectant, ſed etiam vt hoſtes teterrimos inuadentes in Eccleſiam, ab eius aditu conſtanti animo arcent. Quod ſi conſtanter Sacerdotes & Eccleſiarum Præſules non præſtitiſſent: ſi in medios hoſtes non irruiſſent, & illorum ſeditioſos animos, atque horribiles impetus non repreſſiſſent, ardoremque reſtrinxiſſent (quæ eſt illorum confidens aſtutia, & callida audacia, qua magnam certè animis cladem plerunque inuexerunt) ſummam calamitatem Reſpublica Chriſtiana proculdubiò accepiſſet. Quamuis, enim, ſua dogmata nullis illi ſignis & prodigijs confirmarint, quamuis inter ſe non conſentiant, nec ſibi ipſis vlla in re conſtent; nec vitæ candore & morum integritate illi emineant; nec eximiam aliquam doctrinam, quæ veterum eruditionem longè poſt ſe relinquat in vulgus ſpargant; nec ſalutarem profectum vitæ demonſtrent. (nam quid ſit dirutum ipſi videmus; quid extirpatum ſit ſentimus, quid factum nondum perſpicimus) ita tamē omnibus ſe iactant modis, & in tradenda ſua doctrina ita malitioſi, veteratores, & vafri ſunt, vt quemadmodū pro fide, ac religione Hebr. c. 11.

perſi-

perfidiam; pro Euangelica veritate, hæreſes; pro pace, & charitate, inteſtina bella, ac in omnes bonos capitale odium; pro modeſtia, ſuperbiam; pro libertate, licentiam; pro caſtitate, libidinem æffrenatam; pro quiete, turbas; pro obedientia, legitimi imperij tranſgreſſionem; pro amplexatione rerum ſacrarum, quæ amorem diuinum excitant, contemptum paucis quibuſdam prouincijs intulerunt, ſic vniuerſo orbi Chriſtiano inferrent, niſi Eccleſiarum Præſules, & Sacerdotes infractis animis & obſtitiſſent olim, & in dies magis magiſque illorum nefarios conatus reprimant. Quemadmodum, enim, hæc mala, quæ nos temporaque noſtra miſerrimè cruciant; hæc ipſa religionis Chriſtianæ in partes fæda dilaceratio; hæc tam diuinarum, quàm humanarum rerum ſumma perturbatio; hic ipſe ſacrorum Magiſtratuum, Iudiciorum, Sacerdotumque contemptus; hæc imperij detrectatio, & veteris diſciplinæ corruptio; deprauati, & peruerſi mores, diſcordiæ, bella, factiones, tumultus, quibus illæ prouinciæ, & Regna illa, quæ hæc peſtis inuaſit & deuaſtauit, miſerè conficiuntur, (ſi cauſas & origines earum rerum diligenter expenderimus) non aliundè profecta reperientur, quàm ex eo, quòd dum Præſules nonnulli oſcitantes, & eneruati aliqui Magiſtratus,& Principes (quorum erat cauſam tantorum malorum extinguendam ita ſedulò curare, & ſummoperè ſtudere, vt prius extincta, atque oppreſſa, quàm planè exorta ac nata eſſet) quietem & tranquillitatem ſuam, ne dicam cutem, curabant, otio & deſidia torpebant, & ſub patulæ arboris vmbra, fiſtula dulce canebant, ex occultis inſidijs erupentes lupi in gregem Domini irruerunt: Ita profectò paſtores illi antiqui, ſe longè aliter gerentes, ſimul ac lupi ad ouilia accedebant, antequàm oues omninò diſſiparentur, patulæ arboris vmbram relinquebant, & pro tripudijs & choris, curſum, pro fiſtula canora fundam, & baculum arripiebant,

bant, gregemque ab vltimo interitu liberabant. Colligamus, ergo. Sanè, quoniam legitimi Paſtores, qui officia, & partes pro dignitate muneris ſuſcipiunt, dum fidem Eccleſiæ, & Deo ſemel datam ſanctè & integrè ſeruant, de præſidio & ſtatione illius minimè decedunt, quin potius ita locum tenent, vt hoſtium ferociam comprimant; & illorum impetus inanes faciant; quoniam ſacrorum ſymbolorum, & myſteriorum puritatem, vitæ innocentiam, & integritatem repræſentant; quoniam capita ſua, & manus ſuas, ſacris vnctionibus ſplendidas, puras & mundas ad Deum cæli pro ſalute populorum tendunt, vt ſint omnium quidem malorum auerſores, & deprecatores, bonorum autem exoratores; quoniam aſcendunt ex aduerſo, & opponunt ſe murum pro domo Iſraelis, vt ſtent in prælio in die Domini; quoniam *Ezec. c. 13.* cum fideli Moſe in perfractione deiecti parietis domus Domini, vitam, & corpora ſua, veluti munitionem quandam pro ſalute populi obijciunt; quoniam in lege Domini meditantur die, ac nocte, ea diſcentes, quæ alios deinde doceant; quoniam denique hæc facientes, macti ea virtute ſunt, columnæ, & firmamenta Eccleſiæ Dei; idcircò illos infeſtis animis, intimo & capitali odio Eccleſiæ hoſtes proſequuntur. Nam Cacodæmon, vt eſt vaferrimus per hos miniſtros ſuos, totis viribus incumbens, molitur, eos, qui Chriſto nomen dederũt, Sacerdotio, & Sacrificio turpiter priuare; quod cùm perfecerit, ſimul & illud; vel nullo, vel quàm minimo negotio, ſe obtenturum ſperat, vt & Dei cognitione omninò priuentur. Vbi enim non eſt Sacerdos, & Sacrificium, Deus nullus cognoſcitur.

CVm, itaque, à nobis ſatis ſuperq. demonſtratũ ſit, quandoquidẽ Dei cultus eſt in Eccleſia Chriſti, in ea quoque eſſe & Sacrificium, & Sacerdotium, iam cætera, quæ ad illius firmitudinem & decorem maximè ſpectant, oratione proſequamur. Poſtulat autẽ iure ſuo dicẽdi ratio vt primum de his legibus diuinis diſſeramus, quas Chriſtus *C. XXIII.*

Ieſus,

Iesus,in Ecclesia,& Ciuitate sancta à se constructa, & credi & obseruari voluit ab ijs, qui sibi militarent. Illud,igitur, cum primis proponendum nobis est, has omnes contineri, partim Decalogo, partim etiam institutis quibusdā Christi ad Ecclesiæ salutem pertinentibus: quorum alia in sacras literas relata, alia verò ex iure non scripto à maioribus ad nos veluti per manus traducta sunt, de quorū authoritate in calce huius operis copiosiorem annectemus disputationem, quàm dicendi genus in hoc libro patitur. Illud deinde constitui æquū erit, quod Paulus, ad Hebræos scribens, inquit: *Translato Sacerdotio; necesse est, vt & legis translatio fiat*. Sacerdotium, enim, & lex adeò amicè hærent, & coniuncta sunt, vt nec lex sine Sacerdotio, nec sine lege Sacerdotium esse possit. Nam Sacerdotium & legis sanctitatem, & authoritatem tuetur, &, quæ in legis prȩceptis exequendis desunt, suis sacris ac ritibus expiat, & supplet. Lex etiam Sacerdotio adhæret vt præsentaneo auxilio, atque honorem defert, & authoritatem tribuit, eandemque conseruat. Ita cùm quis legem impudenter & temerè violat, ad Sacerdotij munus expiationis causa confugit. Si igitur contingat Sacerdotium cessare, iā legi, cuius illud fuerit, nihil Sacerdotium profuerit. Ex quo consequitur, mancam omnino illam legem, & opportuno, sibique apto, auxilio carentem relinqui. Quamobrem, nullus iam illius legis vsus erit. Sin verò, priori Sacerdotio sublato, alterum constituatur illo longè præstantius; necesse proculdubiò est, alteram etiam legem constitui, quæ & dignitate, & perfectione cum eodem conueniat Sacerdotio. Atqui Deus Sacerdotium secundum Melchisedechis ritum se constituturum spopondit; igitur, ex consequenti, legem hoc Sacerdotio dignam sese etiam conditurum indicauit. Neutrum autem in domo Leui à se faciendum declarauit: vt vtrunque ante in Leui domo constituerat: quippe legis ministrum, ac latorem Mosem tunc esse voluit ex Leui domo, & Aaronem illius fratrem natu maiorem Sacerdotio præfecit. Nunc ve-

Hebræ. c. 7.

ro ad

to ad hoc promiſſum neminem ex Leuitarum familijs appellat; ſed vnum quendam ex domo Iudæ, ex qua nullus altari illi antiquo miniſtrauit. Ab hoc igitur, præſtanti Sacerdotio, & altari Leuiticam ſecundum carnem tribum excluſam accepimus. Primum ex promiſſione: nam Chriſtus Dominus ex Iudæ tribu, atque ex domo Dauidis, & à Deo promiſſus fuerat, & ab omnibus, qui Deo credebant, expectabatur. *Manifeſtum eſt autem*, inquit Paulus, *quod ex Iuda ortus ſit Dominus noſter: in qua tribu nihil de ſacerdotibus Moſes locutus eſt*. Atque Dauid ipſe Dominum ſuum eum vocat, quem Meſſiam expectabat, vt cui Sacerdotium à Deo adſcriptum, & iuramento confirmatum tribuebat. Eundem ergo & Sacerdotem, & Regem eſſe conſtat: vtrunq. enim, illi conuenire oportet, qui ſecundum ordinem Melchiſedechis annuntiandus fuit Sacerdos in æternum. Sacerdotis autem ſacrum facere, ac Deum populo conciliare (vt iam alibi diximus) munus & officium eſt: Regis autem leges condere, eaſque promulgandas & obſeruandas diligentiſſimè curare. Sequitur, igitur, in hac noua rerum cōſtitutione eundem & æterni Sacerdotij Antiſtitem, & æternæ legis exiſtere latorem. Et ſanè vtrunque munus Chriſtus Ieſus exactiſſimè peregit. Deo, enim, Patri ſe ipſum obtulit hoſtiam ſalutarem; & Ciuitati à ſe ædificatæ, hoc eſt, Eccleſiæ ſuæ legem dedit, qua ciues illius ſe ipſos, actioneſq. ſuas rectè moderarentur.

Hebræ. c. 7.
Pſal. 109.

Eſſe autem hoc beneficium & nobis maximæ vtilitati, & Chriſti Eccleſiæ decori, ac denique præſtantius, quàm vlla oratione explicari poſſit, ex eo manifeſtè liquet; quoniam, cùm hominum vita ſit tenebris immerſa (quo fit, vt longiſſimè ab eo fine, quem ſibi mortales proponunt, declinent, & dum felices & beati fieri omnibus modis ſtudent, in extremam miſeriā præcipites trudantur) lex Domini, vt lux quædam ſplendidiſsima, nobis propoſita eſt, in quam ſi mentis aciem intendamus, & ab ea ne latum quidem vnguē deflectamus, nihil vnquam aberrabimus,

neque in ſanis huius vitæ fluctibus ſubmergemur. Eſt enim vt inquit Dauid, lex Domini lucerna pedibus noſtris & lumen clariſſimum ſemitis noſtris. Quantum ergo decoris Eccleſiæ, ex legis diuinę ſuſceptione, accreuerit ex eo patet: quoniam experientia ſanè didicimus ad veræ ſapientiæ cōſequutionem, reliqua diſciplinarum ſtudia eſſe prorſus inutilia: perfectiſſimæ verò ſapientiæ diſciplinam legis diuinæ ſtudio ardentiſsimo contineri. Neque enim, ingenij acumine, neque artium multitudine, neque longo rerum vſu, & tractatione ſapientia hæc comparatur, cùm ſolo Dei beneficio in animos ſordibus euacuatos ſoleat infundi. Hoc itaq. munus non in illos, qui in artibus humanis acutiſsimè verſantur, ſed in eos, qui in pietatis ſtudio, actionibus præclaris exercentur, à Deo confertur. Sic autem fit, vt ſapientia non tam temporis longinquitate, quàm aſsidua legis meditatione hominibus accedat. Dei igitur, beneficio ſapientiores cunctis alijs nationibus à fide & lege diuina alienis efficiemur, ſi ſtudium noſtrum in lege ipſius poſitum ſemper habuerimus. *Quomodo dilexi legem tuam Domine* (inquit Regius Vates,) *tota die meditatio mea eſt, ſuper inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo; quia in æternum mihi eſt. Super omnes docentes me intellexi; quia teſtimonia tua meditatio mea eſt. Super ſenes intellexi: quia mandata tua quæſiui. Ab omni via mala prohibui pedes meos; vt cuſtodiam verba tua. A iudicijs tuis non declinaui; quia tu legem poſuiſti mihi*. Et apud Oſeam ait Dominus: *Et ego erudiui eos, & confortaui brachia eorum.* Duo enim maxima beneficia in nos Deus contulit, quando nobis legem dedit: nempe nos erudiuit, vt cæleſtia cognoſcamus, & amemus, & ea quæ acturi ſumus ad ipſius voluntatē, quaſi certam, & exactam regulam, dirigamus: & fortes atq. inuictos hoſtibus reddidit. Qui fieri enim poſſet, vt homo imbecillis, & imperitus, cum hoſte & fortiſsimo, & ſagaciſsimo congredi auderet, niſi Dominus & eū erudiuiſſet, & ei validas addidiſſet vires? Quid refert ſi Iobo egregio bellatori, quę apud Ethnicū poetam diſertè ſcripta extāt, adſcribamus?

Pſ. 118.

Oſeæ. c. 7.

ſteti-

——————stetimus tela aspera contra, *Aenei. 11.*
Contulimusq. manus. Experto credite, quantus
In clypeum assurgat, quo turbine torqueat hastam.

Reputabit, inquit Iob, *quasi paleas, ferrum & quasi lignum putridum æs. Non fugabit eum vir sagitarius, in stipulam versi sunt ei lapides fundæ. Quasi stipulam æstimabit malleum, & deridebit vibrantem hastam*. Certè & à Domino edoctus, & ipsemet expertus acerbissimam cõflictationem teterrimi hostis, illius fortitudinem sanctissimus vir exacta oratione descripsit. Quis, igitur, huic vestem detrahet, orique illius frænos inijciet? Sanè dentes qui illius os circunquaque sæpiunt, atq. communiunt, terrorem vehementem incutiunt. Quis eum gladio percutere, vel telis poterit configere? Durissimis profectò squammis vndique coopertus, & tãquam scutis per totum corpus obductis, & inter se arctissimè deuinctis, omnem victoriæ spem aggressoribus adimit. Quis ita animo constanti, ita validus est viribus, vt ab eo impetitus locum non deserat? Quis humano fretus robore cum illo congreditur, qui non subito exanimatus concidat? Sic illius oculi ardent, sic ex illius ore flammæ scintillantes cum carbonibus erumpunt, sic ex illius naribus fumus egreditur, sic toruo & horrendo est aspectu, vt etiam fortissimis & constantissimis viris terrori ingenti esse soleat. Nihil in eo molle; nihil languidũ, nihil eneruatũ, existit. Cordis illius durities silicis, & adamantis duritiẽ superat; adeò vt nullo ferro vel penetrari, vel frãgi possit. Quid de illius in subditos inclemẽtia, & crudelitate dicã? Nemini vnquã parcit, cũctos seuerè punit, & illorũ supplicijs oblectatur. Nulla est, potestas, nulla dominatio in terris, cui ille cedat. Hic est ille hominũ hostis infestissimus, qui omnia sursũ deorsum turbare atq. commiscere, & cũctos mortales in sempiternã miseriã detrudere conatur. Alios imperij cupiditate incẽsos instigat, & stimulat, vt per vim & scelus cũ generis humani ingenti pernicie, dominationẽ quærãt, & ambitione pręcipites omnia perturbẽt. Alios ex occultis insidijs vndiq. circũuenit:

Iob.c.41.

impuriſſimæ libidinis ardoribus incendit; vſqueadeò, vt ſenſibus orbati, & cæci furore commoueantur & inſaniāt, ac ſponte ſua in peſtem ruant, & libidinis inſanæ vinculis adſtringantur: vt temeritatis & amentiæ ſuæ ſempiternis cruciatibus pœnas ingentes luant. Quod nam, igitur, humanæ imbecillitati aduerſus hoſtem aſtutum, & potentem ſupra id, quod de eo exiſtimari poteſt, conſilium eſſe poterit? Certè non humano, ſed diuino fuit opus conſilio? Quid enim, ait Dominus? *Et ego erudiui eos:* En legis diuinæ
Oſeæ.c.7. diſciplina, & ſapientia cælitus nobis conceſſa aduerſus Cacodæmonis aſtutiam, calliditatem, & fraudes execrabiles. *Et confortaui brachia eorum.* Neminem, igitur, propriæ imbecillitatis recordatio conturbet, vt hoſtis immanitatem extimeſcat: non, enim, imbecilli ſunt exiſtimandi, qui ope diuina, & Euangelicæ legis præſidio muniuntur. Nam quod proprijs viribus homines conſequi nequeunt diuinis præceptis, quaſi copijs, ſtipati facilè obtinebunt: vt de immaniſſimo hoſte victoriam conſequantur. Hanc Dei clementiam Regius Pſaltes ea oratione celebrauit, tot luminibus illuſtrata, tot ornamentis mirabilibus exculta, tantiſque dicēdi opibus referta, vt ad amplitudinem illius nihil poſſit accedere. *Diligam te Domine*, inquit, *fortitudo mea: Dominus fir-*
Pſal.17. *mamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Qui doces manus meas ad prælium: & poſuiſti, vt arcum æreum brachia mea.* Te, inquam, ſumme Deus, animo incenſo, & inflammato, diligā, & tota mente amplectar. Tu namque es mihi firmiſſimum vitæ præſidium, tu rupes editiſſima, tu arx munitiſſima, tu iniuriæ illatæ vindex, atque vitæ liberator. Tu inſtruxiſti manus meas ad prælium; arcus æneus brachiorum meorum viribus perfringetur. Tu me ſalutis tuæ ſcuto protegis, & dextera ſuſtentas, & benignitate tua ad ſummam dignitatem euehis: cùm voluntatis tuæ arcana ita mihi explicueris, vt, niſi à mandatis tuis deficiam, virtute inuicta ad prælium conferēdum præcinctus immaniſſimum hoſtem omninò proſternam. *Diſciplina*, enim, *tua correxit me*

in

in finem, & disciplina tua ipsa me docebit. Adeò certè vt numine tuo firmatus tutò incedam, nec nutent, aut labantur pedes mei.

CAelestis verò hæc disciplina iuxta triplicem hominis statū considerari potest. Quædam, enim, innata nobis, & in natura mentis, & rationis insculpta naturalis rectè nuncupatur: quæ cùm ex diuina mente sit hausta, ipsiusq. Dei, qui inspiraculum vitæ homini inspirauit, digito animis nostris inscripta, iure optimo diuina etiam appellatur. Cumque reliquæ leges varias subeant mutationes, hæc verò nullis seculis interitura sit, non immeritò sempiterna dicitur. De hac Paulus magnificè effatur ad Romanos ita scribens. *Cum gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes; ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die, cum iudicabit Deus occulta hominum*. Quid hoc? Sanè gentes, quæ legem scriptam, illam, inquam, à Deo Hebræorum populo verbis publicè dictatam, non habent, qua absque vllo negocio doceantur, quid rectum, quid curuum sit; tamen ipsæ lex sibi existunt. Nam animi cogitatione adhibita, mentis, rationisque vi, atque vsu recto dispicere possunt, quid honestum, quid turpe sit, atque ita cogitationibus inter se hæc inuicem accusantibus, atque etiam illud defendentibus, statuere pro recta rationis norma, quid expeti, quid fugere oporteat. Ex quibus sequitur, id esse in cordibus hominum scriptum, quod aliàs lex demonstrat, nimirum, boni & mali cognitionem, & admonitionem ad malum declinandum, & bonum oppetendum. Sed cùm in cordibus scriptum sit, exigit lectionem in ipsis cordibus, hoc est, considerationem, & examinationem, qua rectè adhibita, id, quod quæritur facilè inuenitur. Hoc autem ita esse iuxta mentem Apostoli, non obscurè probatur ex conscientiæ singulorum testi-

monio

C. XXIV.

Gen. c. 2.

Ro. c. 2.

monio, quo nullum grauius est, nullum certius, nullum simplicius, ac perpetuũ magis: quippè testimonia alia mutari, vel variari aliquatenus possunt, vel ob testium malignitatem, vel minus diligentem rerum animaduersionem, vel ob temporis longitudinem, qua rerum earum, quas vidimus vel audiuimus, obliuio plerunque inducitur. Conscientiæ autem testimonium, cùm veritatis meræ simplicitate nitatur, nullo modo mutari potest: veritas, enim, vna, simplexq. est: atque ideò tempore non modò non variatur, aut obscuratur; sed etiam longè magis confirmatur, & elucet. Vnde fit, vt obliuioni non sit obnoxia conscientiæ veritas, imò perduret, ac perseueret constantissima vsq. in diem, quo Deus occulta hominum iudicabit. Quod iudicium grauissimum, certissimumq. erit, tàm ex parte iudicis, quem nullum latet secretum, & qui boni, ac mali definitiones absolutissimas obtinet, quã ex parte testimoniorum, hoc est, conscientiæ singulorum hominum, & cogitationũ, quæ certissimè nos vel prodent, vel accusabunt, vel exponent, atq. defendent consilia ipsa humana, ex quibus actionum & studiorum probitas, vel prauitas æstimatur. Hæc ergo, lex, quæ naturalis, diuina, & sempiterna est, mentibusque nostris insculpta, ad pietatem, & religionem vnumquemque incitat, & ad honestatem, & hominum charitatem instruit. Hæc ab omni flagitio, & ab omni impietate deterret: hæc postremò omnem diuinæ legis vim, quæ Hebræis olim data fuit, qua parte ad morum spectabat efformationem, natura sua complectitur: adeò vt nihil aliud fuerit lex illa scripta, quàm naturæ diuturnitate peccandi corruptæ instauratio quædam, atque renouatio. Verumtamen, vt Hebræi quondam, non legem audiendo, sed quæ lege firmata fuerant, faciendo, veram iustitiam obtinebant: (*non enim*, inquit Paulus, *auditores legis iusti sunt apud*
Rom. c. 2. *Deum, sed factores legis iustificabũtur.*) sic proculdubiò reliquę gẽtes, non subtiliter, & summo studio, atque diligenti animi attentione conspiciendo, quodnam esset officium in vita

collen-

collendum,ſed, id , quod ratio ſanciebat, agendo ad iuſtitiæ ſtatum perueniebant. Nam cùm ipſa ratio ſit lex naturalis diuinitus homini conceſſa cum natura, profectò qui rationi parebat, legi diuinæ obtemperabat; & idcircò iuſtus erat apud Deum exiſtimandus. Eſt, enim, iuſtitia ſtatus animi omni ex parte lege diuina conſtitutus.

Non tamen hæc ita à me dicta eſſe volo, quaſi ea mentem meam ſubierit cogitatio, vt exiſtimem quempiam, natura tantum duce,& auxilium præbente,potuiſſe rationem rectam ſemper ſequi, & ad illius imperium actiones ſuas nunquam non rectè moderari: cùm longiſſimè à vera ſententia hæc diſtet opinio. Nam quemadmodum Hebræi abſque diuinæ gratiæ præſidio legem, prout par erat, ſeruare minimè potuiſſent: ita prorſus gentes ſingulari Dei auxilio penitus deſtitutæ, & ſolius naturæ viribus fultæ rectam rationem perpetuò ſequi minimè valebant. Quo fit, vt Paulus, dum legis naturalis vim amplificat, non Dei opem, ſed legem ſcriptam, excludat; neque fidem, ſed legis ſtudium infirmet. Lex enim (vt inquit Paulus) cum eſſet infirma, *nihil ad perfectum adduxit*: ſed eam Deus ideò ſanxit, & per Moſem promulgari voluit,vt homines in officio contineret: & ne ſe cupiditas immoderatè perfunderet; ſed, veluti fræno quodam, metu coerceretur; & humana audacia reprimeretur, vſque ad tempus illud beneplaciti, in quo, non ſupplicij terrore, ſed ſtudio pietatis ad legem piè & ſanctè obſeruandam homines ſeſe mutuò cohortantes adducerentur.

Rom. c. 2.

Hebræ. c. 7.

Hinc iam facilè colligitur,quantũ inter vtrãque legem, Moſaicam,& Euangelicam interſit. Fuit enim, Moſes legislator tantùm, Chriſtus verò, ſimul fuit & legislator & redemptor. Hinc autem ortum eſt, vt illi qui in monte Sina legem acceperunt, doctrinam tantummodo acceperint, qua inſtructi per legem à vitijs virtutes diſcernerent: qui verò per Chriſtum Euangelium ſuſceperunt,

non

non ſolum doctrinam, ſed etiam gratiam acceperint, vt non modò inter vitia & virtutes diſcernerẽt, verùm & iuſtitiam diligerent, & odio haberent iniquitatem. *Lex enim,* inquit Ioannes, *per Moſem data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum.* Nam quondam cùm eſſent homines diuturna peccandi conſuetudine à diuini inſtituti ratione quàm longiſſimè ſeparati, opus fuit vt lege aliqua ad officium reuocarentur. Sed quia clarum illud rationis lumen, quod aliàs efficaciter poterat indicare, quæ fugienda, quæuè amplexanda forent, tenebris offuſum erat, oportuit quidem vt prius mollioribus quibuſdam præceptis, quaſi quodam lacte, legis alerentur, atq. puerilibus diſciplinis imbuerentur, & paulatim informarentur: donec ad eam ætatis maturitatem peruenirent, in qua poſſent grauiores cibos concoquere, & animi viribus confirmari. Idcircò omnipotens Deus eam legem electo à ſe populo per Moſem ſeruãdam tradidit, quæ res ſenſibus accommodatas contineret: quales erant, quæ ſacrorum religione, & cæremonijs, & ſacrificijs iuſtitiæ ſplendorem adumbrabant, & imaginibus quibuſdam illorum animos ad futuræ promiſſionis firmiſſimam ſpem vocabant, & ad Chriſti cognitionem paulatim erudiebant. Vmbram enim habebat lex futurorum bonorum, vt inquit Paulus, non ipſam imaginem rerum. Fuit, igitur, Moſis lex (præclarè Euſebius,) ingreſſa quaſi puerilium imperfectarumque animarum curatrix quædam, & gubernatrix, aut veluti medicus quidã graui ægyptiacoque morbo laboranti vniuerſæ Iudæorum nationi, ipſis videlicet Abrahæ nepotibus, & ab eo genus trahentibus tradita: qui certè non quemadmodum primi patres, ita ipſi ſuam, quæ ſubſequuta eſt, imperfectiorem vitam dirigere poterant. Auguſtinus verò inquit, teſtamentum vetus eſſe occultationem noui, & teſtamentum nouum eſſe reuelationem veteris. Quoniam tamen monſtrum eſſet, atque portentum eundem populum ſemper puerum eſſe, ſemper lacte nutriri, & perpetuò nutricis vberibus inhærere,

Ioan. c. 1.

Euſebius de demo. Eua. lib. 1. c. 6.

Lib. 16. de Ciuit. Dei c. 26.

hærere, *gratia & veritas per Iesum Christum facta est*, qua à rebus, quæ sensibus percipiuntur, ad ea, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, neq. in cor hominis ascenderunt, quæ Deus sibi dilectis, beneficio suo, præparauit; & à signis & vmbra, & imaginibus ad veritatem homines aduocarentur. Facta; igitur, est gratia per Christum, propter infusionem fidei, & charitatis; facta est veritas propter impletionem omniũ figurarum. Cum autem lex Mosaica vni Iudaicæ genti, & huic ipsi propriam terram incolenti, ita lata fuerit, vt ij tantummodò, & qui ex gentibus illi populo sese aggregarent ipsam obseruare tenerentur: noui testamenti legem ita Christus Dominus instituit, vt omnibus gentibus & ad vitam prodesse posit, & ad eam suscipiendã vniuersæ nationes teneantur: adeò quidem, vt quemadmodum nullo prorsus modo, nullave ratione, qui hoc vitæ institutum ingredi velint, impediri possunt; ita etiam nemo sit, qui regionis, aut generis, aut loci, aut alterius cuiuspiam rei causa, omninò ab illius amplexu excusari valeat. Nam sempiterni Parentis Christum filium suum alloquentis personam agens Regius Vates, multo ante illius in terras aduentum, dixit; *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Hoc est. Non erit nomen tuum angustis Iudeæ terminis inclusum, neque imperium tuum gentis Hebręæ possessione definitum, sed pro Hebręæ nationis fece innumerabiles nationes imperio tuo subjciam, & in vltimos terrarum fines dominationem tuam extendam. Ob idque ipsemet Saluator noster legem suam cunctis gentibus promulgari iussit. *Docete*, inquit apud Mattheum, *omnes gentes*; & apud Marcum ait; *prædicate Euangelium omni creaturæ:* apud Lucam etiam dicit; *oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine meo pænitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma.* Paulus vero Apostolus, *Non erubesco*, inquit, *Euangelium, virtus enim Dei est in salutem omni credenti: Iudæo primùm & Græco.* Longè tamen diuerso modo lex Euangelica data

Ioan. c.1.

Exo.c. 12.
Hester. c.8.

Ps.2.

Matt. Marc. & Luc. c. vltimo.

Rom. c. 1.

eſt, & lata fuit vetus per Moſem. Nam hæc vt morbum oſtenderet, & ad quærendum remedium excitaret: lex autem Chriſti in ſalutem omni credenti. Quamobrem Apoſtolus Paulus, cùm de lege veteri dixiſſet, *per legem cognitionem peccati:* & alibi; *ſi per legem iuſtitia ergo Chriſtus gratis mortuus eſt;* paulò poſt de Euangelio ita loquitur: *Notum vobis facio Euangelium quod prædicaui vobis, quod & accepiſtis, per quod & ſaluamini:* Non quidem, quòd ſola litera Euangelij ſalutem afferre poſſit: ſed quoniam cum Euangelij doctrina data eſt etiam gratia fidei & charitatis. Legis, enim, lator noſter, ſimul & redemptor fuit Chriſtus Dominus, & ſimul cum lege dedit benedictionem, id eſt, gratiam implendi legem. Sic enim Dauid inquit: *Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion.* Quocirca Paulus quoties tradit à lege neminem iuſtum reddi, non opponit legi Moſis, doctrinã Euangelij: ſed legi, fidem; operibus, gratiam; & literæ, ſpiritum. Alioquin enim litera Euangelij ſine ſpiritu & gratia, iram etiam ſuſcitaret, & occideret.

Rom. c. 3. *ad Gal. c. 2.* *1. Cor. c. 15.* *Pſal. 83.*

Ex his ergo, quę hactenus diſſeruimus, colligimus efficaciter legem Moſis, legẽ timoris & ſeruitutis fuiſſe: Euãgelij verò legem, legem eſſe amoris & libertatis. *Non accepiſtis,* inquit Paulus, *ſpiritum ſeruitutis iterũ in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater.* Et alibi, *Non dedit vobis ſpiritum timoris: ſed virtutis, & dilectionis.* Quid ita? Quia legis mandata, ſine gratia Dei, quam Moſes conferre non poterat, homines pænæ reddebant obnoxios; & ideò lex timoris rectè dicta eſt. Contra verò lex Euangelij, lex amoris eſt, & libertatis: quia Chriſtus eius præcepta ſimul cum ſpiritu tradidit, per quem in corde diffuſa eſt charitas. Antequam, igitur, homines iugum ſeruitutis, Dei beneficio, à ceruicibus ſuis expuliſſent, & eorũ animæ, ipſius Dei gratia, eſſent ſanatæ duo tantum lex præſtabat: metum miſeris hominibus inferebat (nihil enim aliud quàm minas iactabat, & grauiſſima ſupplicia transgreſſoribus proponebat)

Rom c. 8. *2. Tim. c. 2.*

bat) iustitiæ autem puritatem, & Religionis sanctitatem imaginibus, & figuris quibusdam exprimebat. At metus supplicij, sine interitu cupiditatis, diu animos, ne se flagitijs omnibus inquinarent, absterrere non poterat; & simulachra iustitiæ ipsam iustitiam non conferebant. Reliquũ, igitur, erat, vt animi gratiæ diuinæ præsidio destituti in perpetua formidine, & solicitudine versarentur, & in comparanda iustitia frustra laborarent; quippe quam homo solis viribus naturæ consequi nequit. Ita ne? Sic profectò se res habet. Quid ergo? legem dãnamus, & improbamus? Absit. Sed *reprobatio quidem fit*, ait Paulus, *præcedentis mandati: propter infirmitatem eius, & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex.* *Hebræ.c. 7.* Itaque, ait idem, *lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum.* *Rom.c. 7.* Sancta fuit lex, quòd, ad impuritatis labem abstergendam, tradita fuerit: iusta, quòd exactissimam æquitatis dispositionem, ac descriptionem continuerit: bona, quòd ad immortalis vitæ fructum acquirendum fuerit collata. Verum quoniam insitum in animo peccatum, & penitus inhærens, quod venenũ mortiferum diffundit, lege sublatum non fuit, tanquam infirma, per legem gratiæ & libertatis abolita est.

Sed quid obstat, quominus eadem lex vetus & seruitutis sit propter timorem, & libertatis propter dilectionem adiunctam, ex qua libenter, ac liberaliter impleatur? Nam vt fœdus & testamentum Spiritus Sanctus nouum appellauit, propter nouitatem spiritus, quæ hominem nouum sanat à vitio vetustatis: ita propter veram animorum, quæ adest, libertatem lex libertatis videri potest appellata. Sed cùm, vbi est spiritus Domini, ibi sit maxima libertas, cur non eandem legem & libertatis, & spiritus vitæ dicemus? De hac scribit Apostolus sub persona sua de vniuerso hominum genere disserens: *Lex spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati, & mortis.* *Rom.c. 8.* Hæc quidem lex non illa est extrinsecus posita, qua iniusti terrentur: sed intrinsecus data,

De ſpirit.& lit.c. 27. qua iuſti animi redduntur. *Lex ergo Dei*, inquit D. P. Auguſtinus, *eſt charitas, huic prudentia carnis non eſt ſubiecta, neque enim poteſt. Sed ad hanc prudentiam carnis deterrendam, cum in tabulis ſcribuntur opera charitatis, lex eſt operum, & litera occidens præuaricatorem. Cum autem ipſa charitas diffunditur in corde credentium, lex eſt fidei, & ſpiritus viuificans dilectorem*. Itaque, lex ſpiritus vitæ eſt illud ſummum iuſtitiæ munus, atq. beneficium in animos fidelium, Spiritus ſancti gratia, collocatum, quo munere viuimus, vegetamur, diuiniſque viribus excitamur, & ad omne cæleſtis virtutis genus inſtruimur: continet enim diuinæ moderationis ordinem, animi conſtantiam, vitæ regulam, morum diſciplinam, officij legem à flagitijs omnibus propria virtute auocantem, & ad omnia pietatis, & charitatis ſtudia mirabiliter inflammantem. Vt autem omnia vno verbo complectar; lex ſpiritus vitæ eſt ipſa lex diuina mentibus humanis, opera Sancti Spiritus, impreſſa, & inſculpta, non mentem tantum erudiens, ſed etiam voluntatem ſuo ſtudio incendens: ita vt hominis voluntas ſit cum humana mente, ſumma quadam, atque diuina conſenſione coniuncta. Cùm ergo lex eſſet literis tantùm inciſa, lex ſpiritus appellari poterat; quippe quæ fuerat Dei digito, hoc eſt, ſpiritus diuini munere, in tabulis lapideis exarata ad humani ſpiritus diſciplinam; lex tamen vitæ appellari minimè poterat. Quamquam, enim, mens hominis legem acceperat, cùm tamen voluntas eſſet cupiditati corporis addicta, & à ſtudio diuinæ legis auerſa, mentem ad ſe rapiebat, atque diſciplinam legis, totumq. mentis ſtatum nefariè conuellebat. Tunc, ergo, lex non ſalutem impertiebat, ſed mortis formidinẽ afferebat. Idcircò Paulus eam alibi mortis adminiſtrationem appellat. At cum non libris, ſed animis diuinitus inciſa continetur, totumq. animum moderatione ſua deuincit; tunc demùm ſanat animum, mentem illuminat, voluntatem inflammat, totumq hominis ſtatum admirabili ordine componit. Tunc autem rectè lex ſpiritus vitæ poteſt nuncupari.

2. Cor. c. 3.

Hæc

Hæc autem vt liquidius appareant; non erit abs re, hic mente recolere, quinque esse legum genera, in quibus hæc disputatio tota versatur. Prima quidem est mentis, seu naturæ lex. Huic contraria est tyrannica membrorum lex, peccati tributum imperans; quæ cum ad se hominis voluntatem raperet, erat impedimento, quo minus ad illam mentibus insitam possent officia perpendi. Hanc porro membrorum legem lex peccati subsequuta est. Nam quãuis libido sensibus faces admoueat, non tamen peccatum in nobis dominatur, antequàm ratio victa succũbat. Huic malo subuenit lex scripta: errorem enim sustulit, salutis viam aperuit, quantum esset in scelere mali demonstrauit. Sed cùm ea mentem sanare non posset, nullam mortalibus opem attulit; sed tantùm grauitatem mali, ex quo homines eximere non potuit, indicauit. Accessit postremò lex spiritus vitæ, nempe Spiritus Sancti gratia, & lex Euangelij diuina atque sempiterna, non chartis, sed animis inscripta per fidem, summa totius animi voluntate, & studio cõprobata, atque diuinis opibus egregiè cumulata, Christi meritis, atque virtute, per fidem concessa. Hæc cupiditatis immanitatem compressit, hæc peccati tyrannidem excidit; hæc rationis errorem detraxit; hæc legis infirmitatem depulit, & salutem humano generi præstitit, quam scripta lex præstare nullo modo poterat. *Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.* Ro. c. 8. Lex autem eneruata fuisse per carnem dicitur: quoniam cum lex honestum à turpi, ęquum ab iniquo, sanctum à profano distingueret, bonumq. præciperet, & malum vetaret, tamen id quod intendebat in hominibus, non efficiebat: caro, enim, quam legem membrorum appellat Paulus, erat impedimento quominus lex diuina id præstaret, & optata perficeret; tantus siquidem erat carnis, hoc est, impuræ cupiditatis in homine dominatus,

natus, vt nemo per se posset legi obtemperare. Violenter, enim abstrahebat cupiditas omnes mortales à diuinę legis studio. Sic namque Paulus inquit. *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Lex membrorum, est illud importunum insitæ cupiditatis imperium, quod contra rationis statum inexpiabile bellum gerit. Lex autem peccati, est tyrannis illa peccati, qua opprimimur, postquam, victi cupiditate, flagitio, & impuritati succumbimus. In prima illa membrorum lege, nempe, in prima congressione cupiditatis ad flagitia solicitantis, miram contentionem cerni clamat Paulus. Repugnat enim à principio ratio, atque conatum ad obsistendum natura comparat; sed nō diu resistit. Neque enim vires habet quibus immanem illum impetum cupiditatis reprimat. Postquam verò cedit flagitio, & à lege peccati constringitur, tum denique totam se tradit peccati ipsius imperio; ita tamen, vt, molestia & acerbitate, naturæ suæ indolem peccato contrariam esse doceat. Lex igitur membrorum pugnat, vt rationem peccato subijciat. Lex autem peccati, quæ etiam in membris est, operis subactæ iam omninò rationis abutitur. Hanc acerbitatem vt Paulus luculenter explicaret, dixit, se armatam cupiditatem prospicere; & bellum dirissimum contra statum suæ mentis excitatum cernere; in primo belli apparatu se maximè conturbari, & ancipitis prælij euentum reformidare; cùm autem ad pugnam ventum est, se prima impressione prosterni, atque captum alligari, & in peccati seruitutem adduci ingenuè fatetur. Idcirco antequam esset cupiditas elisa, neruique illius incisi, non poterat lex ad finem sibi propositum peruenire. Verum, cùm humanis viribus cupiditatis vis frangi minimè potuerit, aut legi perfectione sua carendum erat; aut, vt Deus singularem præsentis numinis opem afferret, opus fuit. Ob id, igitur, misit Deus in terras filium

Rom. c. 7.

ſuum, vt, in ſpecie carnis peccati deliteſcens, carnis imperium excinderet, & peccati tyrannidem euerteret: vt ſic tandem iuſtitia, in quam lex ipſa reſpiciebat, in nobis poſſet abſolui: Sic enim fuerat ab ipſo Deo prædictum per Hieremiam prophetam, *Dabo*, inquit, *legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam*. Et apud Ezechielem ait Dominus, *Dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri, & auferam cor lapideum de carne veſtra: & dabo vobis cor carneum. Et ſpiritum meum ponam in medio veſtri: & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini*. Itaque, cùm ſalutem nemo aſſequi poſſet abſque iuſtitia; iuſtitia verò conſiſteret in legis cultu, ſecundùm eam rationem, qua mores hominum componebat, & homines hominibus deuinciebat, & animos ad ſtudium veræ religionis excitabat: legem autem nemo poſſit obſeruare, quamdiu in nobis cupiditas regnat; & regnum cupiditatis nulla ope humana euerti poſſit, fuit opus Dei ſingulari præſidio, quo poſſet lex finem ſuum conſequi, atque promiſſa perficere. Miſit ergo Deus filium ſuum, vt peccatum euerteret, atque, illius impedimento ſublato, nos legi obſequentes, atque ita ſanctos efficeret. Hæc igitur ipſa lex vegetantis ſpiritus, iure optimo lex libertatis eſſe creditur: quippe quæ hominem verè liberum efficiat vinculis peccati ac mortis ſolutis. Vt enim lex eadem noua dicitur, propterea quod hominem interiorem renouat, vt fiat, quod præcepit Apoſtolus, *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis*: ita ipſa quoque lex libertatis appellatur, quia veram affert animis noſtris libertatẽ, qua de manu inimicorum noſtrorum liberati Domino noſtro liberaliter libenterq. ſeruiamus in ſanctitate & iuſtitia. Hæc igitur eſt lex libertatis, non ſeruitutis, quoniam, vt inquit Auguſtinus; charitatis vtique lex eſt, non timoris: de qua Iacobus Apoſtolus ait; *qui autem perſpexerit in legem perfectæ*

Hiere. c. 31.

Ezec. c. 36.

Ephe. c. 4.

Iacobi.c.1. *libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.*

Si ergo is perspicit in legem perfectæ libertatis, qui non modò quid faciẽdum, fugiendumvè sit, ex lege cognoscit; verùm etiam, qui operatione exequitur quidquid didicerit; liquet profectò insanire eos, qui libertatis lege ad tollendam operum necessitatem, seu diuinæ legis obligationem, abutuntur; cùm lex ipsa libertatis opera secum afferat, neque sine operibus aut re vera constare, aut concipi animo possit. Hanc qui accepit, tantum abest, vt illi sit integrum non obtemperare præcepto legis, vt per eam necessariò impleat legem. *Plenitudo enim legis dilectio est: & qui*

Ro. c. 13. *diligit proximum legem impleuit.* Veruntamen, quia subinde iustus labitur, & insidianti semper concupiscentiæ plusculum acquiescit, hac ipsa libertatis lege postulat à Deo misericordiam, quam vt impetret faciliùs, non negligit opera misericordiæ, vt dum eũ conserui sui miseret, ab omnipotẽti Domino faciliùs misericordiam consequatur. Est ergo lex Euangelij, lex gratiæ, lex spiritus vitæ, lex misericordiæ Dei, lex propitiationis Dei, lex denique perfectæ libertatis, per quã studium adumbratæ iustitiæ prorsus abrogatum est. Fuit enim lex antiqua tanquã luna, quę variè commutatur: cuius lumen in principio tenuissimum est: augescit deinde paulatim, vsq. eo dum orbe pleno integram claritatem accipiat: deinde attenuatur in dies, & in initia recurrit: & tandem Solis accessu lumen amittit. Sic fuit olim status antiquæ legis: in principio enim non ita latè lumen in terras sparserat: creuit in dies illius splendor, donec ad eam claritatis plenitudinem, quam pro illo tempore potuit habere, peruenit. Hebræis, sub Dauide, & Salomone, maximũ illius lumen illuxit. Ex eo tempore imminui cæpit, vsq. ad Christi aduentum, quo legis ipsius lumen in Solis verissimi lumẽ incurrens euanuit. Tunc enim *gratia & veritas per*

Ioan. c. 1. *Iesum Christum facta est*: tunc metum, quem miseris hominibus lex vetus incutiebat, lex gratiæ, & amoris, ac beneuo-

lentiæ

lentiæ summæ Christi erga homines abstulit: tūc vmbram fugauit veritas, & tenebras lux exterminauit. Quemadmodū, enim, quas Lunæ subobscurum lumen vmbras effecerat, Sol radijs suis in terras longè, latèque sparsis, omninò dispellit: sic Christus veteris legis vmbras, imagines, & figuras, nouæ legis promulgatione prorsus extinxit. Quo fit, vt, cùm illa miserandas hominum mentes formidine mortis afflictauerit, hæc firma spe salutis animos mira iucunditate permulceat. Illa dominatu grauissimo populum premebat; hæc libertatem hominibus attulit singularem. Illa pænę metu animos in officio aliquantulum continebat: hæc verò animos magnitudine charitatis incensos in iustitiæ studium acriter inflammat. Hinc lex amoris, & beneuolentiæ appellatur. Nam finis præcepti, vt inquit Paulus, charitas est. Quid est autem, ait Augustinus, finis pręcepti apud Paulum? Certè id quo perficiuntur præcepta diuina. Idem enim existimat significare eo loci, charitatem esse finem præcepti, quod idemmet Apostolus ad Romanos scribens dixit, dilectionem esse legis plenitudinem. *Nam non adulterabis. Non occides. Non furaberis. Non falsum testimonium dices. Non concupisces, & si quod est aliud mandatum in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio:* cùm tanta sit Christianæ charitatis vis, vt, qui illa sit præditus, legem eam, quæ ad proximos pertinet, suauiter & diligenter adimpleat. Fieri enim nullo modo potest, vt aliquis ei, quem amat, vel vitam eripiat, vel in illius fortunas inuadat, vel eius existimationem lædat, vel ipsi deniq. aliqua ex parte noceat. Nam vt nemo est, qui sibi sponte malum comparet, eo quòd se quisque naturaliter diligat: sic alijs, si eos perinde, atque nos ipsos diligimus, nullo modo vnquam nocebimus. Rectè, igitur, Dei legi nos ab iniuria reuocanti semper obtemperabimus, si proximum dilexerimus, quod efficaciter Paulus concludit. Quapropter Christus Dominus, differens de gemina charitate, *in his,* in-

1. Timo. c. 5.

Aug. in ps. 31. & in Enchir. ca. 121.

Rom. c. 13.

Aug. in ps. 140.

Matt. c. 22.

quit, *duobus mandatis vniuersa lex pendet & prophetæ*. Vnde Ambrosius, explanans Pauli sententiam, transtulit: *finis omnium præceptorum est charitas*. Hanc dixit esse finem, id est, consummationem perfectionis omnium mandatorum, significãs vniuersam Euangelij legem, legem esse amoris: quippe quę & in amorem, tanquam in scopum, tendit, & amore perficitur, & informatur. Quocirca ipsemet legislator noster Christus Iesus charitatis præceptum suum appellauit. *Hoc*, inquit, *est præceptum meum, vt diligatis inuicem: sicut dilexi vos*. Et alibi: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem*.

Ambr.

Ioan. c. 15. & 13.

CA. XXV.

NOn potuerunt tamen hæretici patienter ferre hunc decorẽ, & hanc honoris amplitudinẽ incolumen manere in Christi Ecclesia, quòd illa Dei legem exactè obseruaret. Vnde, nescio quo furore perciti, legem diuinam à nobis impleri non posse, audacter nimis asseruerunt, Pauli sentẽtiam contemnentes, qui ad Romanos scripserat, Deum, qui non hominum facies, sed animos intuetur, in eum, qui legem scelere suo transgreditur, eiusdem legis authoritate, & seueritate acriter animaduersurum. Non enim eum iuuat legis disciplinam percepisse, qui lege vitam instituere minimè studet. *Quicumque* enim, inquit ille, *sine lege peccauerunt, sine lege peribunt; & quicumque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur*. Cur ita? *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum: sed factores legis iustificabuntur*. Nam & apud Ezechielem Dominus dicit: *Vir si fuerit iustus, & fecerit iudicium, atque iustitiam* (multisq. enumeratis, generatim cuncta complectens ait) *& in præceptis meis ambulauerit, & iudicia mea custodierit, vt faciat veritatem, hic iustus est, vita viuet, ait Dominus Deus*. Nullus nè igitur implere legem poterit, cùm nemo, nisi ea impleta, & obseruata, salutem æternam sit consequuturus? Veteres certè propheticam hãc, & Apostolicam secuti doctrinam docuerant, legis diuinæ mandata non huiusmodi esse, quæ obseruari non possint; quin etiam, rem æquissima

Ro. c. 2.

Ezec. c. 18.

ma lance perpendentes, eadē obſeruatu facillima eſſe tradiderunt. *Quid enim*, inquit B. Chryſoſtomus, *ex præceptis graue & oneroſum eſt? Nec flectes ſub iugo collum tuum, & ſaccum ac cinerem ſubſternes, neque id vocabis ieiunium acceptabile: ſed ſolue omnem connexionem iniuſtitiæ, diſſolue commutationum violentarum faſciculos. Vide quanta ſapientia loquitur propheta. Abſtulit difficiliora, & à facilibus ſaluari iubet: vt cognoſcas, non labores, ſed obedientiam à Deo expoſci.* Paucis verò interiectis, *Videamus*, inquit, *nunc, ſi quid horum mandatorum difficile ſit, & naturam humanam transgrediens. Nihil tale profectò, ſed è contra incredibilem in his facilitatem, in omni autem vitio maximum laborem, & ſudorem non paruū inueniemus.* & cætera, quæ non minus diſertè quàm piè cùm loco prę allegato, tum ſæpè aliàs in eandem ſententiam proſequitur. Similiter B. Hieronymus, *Nec ſufficit*, inquit, *quod iuſſa non facimus, niſi & iubentem iniuſtum pronunciemus, dum ipſum æquitatis authorem, non modo dura, & ardua, ſed etiam impoſſibilia præcepiſſe conquerimur.* Et rurſum. *Aſperam nobis & inſuauem virtutum viam nimia facit vitiorum conſuetudo; quæ ſi in partem alteram transferatur, inueniatur, ſicut ſcriptura dicit, ſemita iuſtitiæ leuis.* Hæc B. Hieronymus eaque veterum cum his conſentiens & clara eſt doctrina. Neque enim Pelagio peculiariter adſcribi debet, tanquam is errore ſuo primus dixerit, nihil quod fieri non poſſit, à Deo præceptum eſſe, qui iuſtus eſt: cùm hæc ille à Catholicis acceperit, retinueritque diligenter; vt, veriſſimæ receptiſſimæq. ſententiæ prætextu, callidius erroris ſui venenum inſtillaret. ſcilicet hoc futurum credens, vt qui audiret, nihil Deum præcepiſſe, quod fieri non poſſet, is, facilius naturæ vires ad complenda mandata poſſe ſufficere, perſuaderi ſibi pateretur. Hinc Venerabilis Beda contra Iulianum de gratia diſſerens ait: *Quod dicit Dominum non impoſſibile aliquid præcepiſſe, qui iuſtus eſt, verum profectò dicit, ſi ad eius reſpicit auxilium, cui Catholica fides ſupplicat: deduc me in ſemita mandatorum tuorum. Si verò viribus animi ſui fidit, refellit eum veridica eiuſdem iuſti conditoris ſententia, qua dicit; ſine me nihil poteſtis facere.* Et Hieronymus, aduerſus Pelagianos ad Cteſiphon-

Chry. hom. 57. in cap. Matth. 17. & hom. 18. & 22.

Eſa. c. 58.

Hiero. ep. ad Celanti. matron.

Beda lib. 1. in cant. cāt.

Pſ. 118.

Hieron. ad Ctesiph. cõt. Pelag.

tem scribens ait: *Possibilia, mandata dedit Deus. Ecquis hoc negat? Sed quomodo hæc intelligenda sit sententia, vas electionis apertissimè docet: ait enim; quod impossibile erat legi in quo infirmabatur per carnem: Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne. Et iterum; Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro.* Ecce vt Hieronymus veram esse de facultate ac potestate legis implendæ sententiam apertissimè tradit: & simul hanc implendi facultatem non de naturæ viribus, soliusque adminiculo legis oriri, sed ex gratiæ per Christum auxilio prouenire, explicat. Hinc cùm dixisset Regius Vates, *legem pone mihi Domine in via tua*, vt significaret, in quo confideret se legem adimpleturum, subiungit. *& dirige me in semitam rectam propter inimicos meos. Nec auderet hoc petere*, inquit Augustinus, *nisi primò diceret; adiutor meus esto. Ergo si tu adiuuas, si tu suscipis, da legem. Lex ergo*, inquit idẽ sanctissimus doctor, *data est vt gratia quæreretur: gratia data est, vt lex impleretur. Neque enim suo vitio non implebatur lex, sed vitio prudẽtiæ carnis. Quod vitium per legem demonstrandum, per gratiam sanandum fuit.* Deniq. aureum illud flumen effundens Chrysostomus, explicans quod Saluator noster ait, *Non veni soluere legem sed adimplere; Alio*, inquit, *modo legem Christus impleuit, quia per nos quoque id ipsum facit. Hoc est quippe mirabile, quia non solum legem impleuit ipse, sed idem istud nobis quoque facere donauit. Quod Paulus significando dicebat: quoniam finis legis Christus ad iustitiam omni credenti. Et peccatum illum damnasse dixit in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus.*

Ps. 16.

Aug. in ps. 26.

De spir. & lit. c. 19.

Matth. c. 5.

Chrys. hom. 17. in Matth.

Ro. c. 10.

Vsque adeò tamen Catholicos odio hæretici habent, vt non dubitent Deum ipsum iniquitatis arguere; quòd sub æternæ damnationis pæna illa præceperit, quæ à nobis præstari non possunt. Sic enim virus suum euomentes aliquos pellicere moliuntur, vt eos ab hæreditate, quam ipsi turpiter amiserunt, inuidi deturbent. Fatemur equidem, qui Catholicæ Ecclesiæ disciplina sumus instructi, non ita exactè legem Euangelij in hac vita, vt in futura, adimpleri posse. Nec adeò sumus rerum diuinarum ignari, vt dubitemus,

mus, aliam esse viæ, aliam verò patriæ perfectionem. Nisi tamen lex diuina eo modo, qui huius vitæ statui conuenit, obseruari possit, nequaquam profectò Paulus dixisset legem per dilectionem impleri, & dilectionem esse omnium præceptorum plenitudinem & consummationem. Si enim ipse Dei filius apud Ioannem testatur ad summum perfectionis gradum peruenisse eum, qui pro amicis suis vitam cum sanguine profundit: & Ioannes ait, *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus animas pro fratribus ponere:* profectò cùm iam olim tot millia Christianorum, & hodie non pauci acerbissimos cruciatus, & diram mortem constanti, fortiq; animo, fratrum suorum gratia patiantur, quis adeò amens est, qui legem adimpleri posse neget? At quid opus est ad præclara gesta eorum, qui martyrij gloria triumphum de tyrannis, & infestis Christi hostibus egerunt, confugere? Paulus ait, eum, qui proximum diligit, legis existere obseruatorem. Quid ergo? Nullus nè proximum diligit? Certè Ioannes dicit; *qui non diligit fratrem suum non est ex Deo.* Et iterum; *Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus: & mandata eius grauia non sunt,* ijs scilicet, qui charitate Dei per spiritum sanctum in cordibus suis diffusa diligunt. *Quoniam hæc est victoria, quæ vincit mundum fides nostra.* hoc est, Apostolorum quæ manifestanda erat. Non vtique sola fides: nam illa non seruat mandata Dei: sed grauia, & quæ obseruari non possint illa esse iudicat. Verum illa fides Apostolorum vincit mũdum, quæ non separatur *à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.* Ecce vt Ioannes, & Apostoli, atque Christi discipuli Dei mandata nequaquam grauia existimant: hæretici verò ea impleri non posse omninò affirmant. Quæ tanti dissidij ratio? Sanè quia Apostolis per Spiritum Sanctum Deus largitus fuerat charitatis virtutem, per quam præcepta legis obseruantur. Nihil autem amãti difficile. Vnde Dauid ait; *Viam mandatorũ tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meũ.* Nemo difficillimũ esse dicat, vitam lege diuina moderari, quamuis na-

Rom. c. 13.
Ioan. c. 15.
1. Ioan. c. 3.
Rom. c. 13.
1. Ioan. c. 3.
1. Ioan. c. 5.
Rom. c. 8.
Ps. 118.

tura corporis humani ſummo conatu diuinis ſanctionibus aduerſetur. Vt enim, ſi Deus à nobis opem ſuam remouiſſet, eius præcepta obſeruare, & legem exactè adimplere minimè poſſemus: ita certè cum nos gratia ſua fulcierit, & præſens auxilium ſuum nobis attulerit, nihil erit lege diuina facilius. Quod enim Regius pſaltes inquit, ſic interpretatur Theodoretus: Cùm mihi tuam gratiam latè & copiosè impertiuiſti, vireſq. ſuppeditaſti: cùm ex anguſtijs explicuiſti me, cùm me lætitia affeciſti, tum mandata tua alacriter præſtiti. Nam citra Dei gratiam & auxiliũ, Dei præcepta non ſeruantur. Cucurri igitur, inquit ille, cũ dilataſti cor meum gratia tua. Perfeci facilè iuſſa tua, cùm illorum perficiendorum gratiam, facultatemque præbui-

Pſal. 118. ſti. Vtriſque ergo opus eſt, & noſtra promptitudine, & Dei auxilio. Neque enim humana natura abſque cæleſti auxilio, quicquam recti agere poteſt. Itaque inquit idem; *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum. Cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua: & dilexit ea vehementer. Seruaui mandata tua & teſtimonia tua quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.* At hæretici cùm charitatem non habeant, per quam præcepta legis cuſtodiuntur, quid mirum ſi ea impleri non poſſe affirment? Sed hæc altius repetamus.

C. XXVI. PRæcepit Deus Moſi, vt populo ſuo legis ſeriem, quam eſſent obſeruaturi, explicaret. *Moſes* ergo, cùm de ſum-

Exo. c. 24. ma rei apud populum ſermonem habuiſſet, *ſcripſit vniuerſos ſermones Domini; & mane conſurgens ædificauit altare Domino ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Iſrael. Miſitque iuuenes de filijs Iſrael, & obtulerunt holocauſta, immolaueruntq. victimas pacificas Domino, vitulos.* Quid poſtea? quid tum inde? *Tulit itaque Moſes dimidiam partem ſanguinis, & miſit in crateras: partem autem reſidui fudit ſuper altare. Aſſumenſq. volumen fœderis, legit audiente populo: qui dixerunt. Omnia, quæ loquutus eſt Dominus, faciemus, & erimus obedientes. Ille verò ſumptum ſanguinem reſperſit in populum, & ait: Hic eſt ſanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cunctis ſermonibus his.* Eſt quidem obſeruatione digniſſi-

mum

mum in huius rei narratione, Mosem prius legis præcepta legisse audiente populo: posteà verò populum sauguine aspersisse. In quo non obscura figura, & imago legis Euangelicæ apparet. Vnde Paulus explicaturus Hebræis hoc absconditum mysterium inquit: *In priori quidem tabernaculo semper introibant Sacerdotes, sacrificiorũ officia consummantes. In secundo autem semel in anno solus Pontifex non sine sanguine, quem offerret pro sua & populi ignorantia: hoc significante Spiritu Sancto, nõdum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statũ.* *Hebræ. c. 9.*
Interim enim dum illa diuisio inter הֵיכָל, & דְּבִיר, (sic enim dicebantur duæ illæ tabernaculi partes) duraret, non erat peruia omnibus sacerdotibus דְּבִיר, donec totum vnum efficeretur: quod, Christo moriente, effectum fuit, velo in duas partes à summo ad imum scisso. Quamobrem semel tantum in anno adibatur Sanctum Sanctorum, siue דְּבִיר, à summo Sacerdote; pridie tamen singulari obseruatione sequestrato, & non citra timorem, & cõfessionem propriæ ignorantiæ; ita vt is se indignum illo ingressu profiteretur; se tamen ex benignitate ac iussu Dei ingredi cognosceret ad expiationem illius anni pro se & alijs faciendam; perpetuam autem expiationem, quæ in sanctis sanctorum peragenda erat, nec illius loci, nec temporis, nec illius sacerdotij dignitatis esse. *Christus autem assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, idest, non huius creationis: neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta.* Si enim ei, quod sua natura nihil efficacitatis habet, tamen ob institutionem, & acceptionem efficientiæ ratio aliqua conceditur in illis ad quæ adhiberi solet; id quod ex se virtutis & efficientię immensam plenitudinẽ habet, quid in his præstabit, & perficiet, ad quæ propriè, & aptissimè à Deo ipso volente & approbãte accommodatur? Atqui taurorum, & hircorum sanguis, & cinis vitulæ aspersus nullam ex natura sua vim habent, non solum ad spiritum sanctitate donandum, sed neque ad car-

Hechal & Deuir.

Paul. vbi sup.

nem

nem sordibus abluendam; & tamen ex institutione, & voluntate Dei, eiusmodi ritu, & cæremonia hoc exterius efficiebatur, virtute atque significatione quadam arcana efficientiæ alterius sacrificij expectandi: quanto magis hoc, non modo exterius, sed interius efficiet immaculatus Christi sanguis pro nobis ex decreto sempiterni illius Parentis effusus? Arcanum sanè mysterium, & absconditum est hoc sacramentum, multumque distat fædus vnum ab altero. Quamuis enim vtrunque testamentum tam vetus quàm nouum sanguine firmata sint, illud tamen quadrupedum cruore, hoc verò Christi sanguine firmatum est. Vnde & illud vmbra quædam, & imago huius posterioris testamenti fuit. Prosequitur ergo Paulus. *Lecto omni* Hebræ. c. 9. *mandato legis à Mose vniuerso populo: accipiens sanguinem vitulorum & hircorum cum aqua & lana coccinea & hyssopo ipsum quoque librum, & omnem populum aspersit, dicens: Hic sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus.* At hæc omnia fuerũt veluti miranda quædam prodigia mysteriorum noui testamẽti, quod vetus illud adumbrabat: hæc autem non humani intellectus, sed fidei luminibus cernuntur. Fides à Deo, Christi merito, nobis infunditur, cuius sanguis iam olim, in confirmatione fæderis antiqui cæsorum animalium sanguine præsignificatus, & animas sanctimonia insignit, & priscorum vatum oracula explicat: in Christo omnia adimpleta fuisse ostendit: ac denique legem ipsam Euangelicam edocet, & animis nostris inserit.

Colligamus ergo. Si Hæretici de sacrosancto Eucharistiæ sacramento, in quo ipsemet Christus verè & re ipsa existit, ita humiliter sentiunt, vt nudum, & purum signum, re significata omninò vacuum esse contendant: nec ipsi aliquid energiæ, virtutis, & efficientiæ relinquant ad dona diuina elargienda: neque in Cæna verum Christi corpus, & verum Christi sanguinem, sed ipsius signum nudũ sibi exhiberi patiuntur: quid mirum si legis Euangelicæ suauitatem, virtutẽ, & obligandi vim minimè percipiunt?

cum

cùm nec veteris, nec noui fœderis mysteria, nisi vero Christi sanguine respersa, intelligi valeant. *Et erit vobis* (inquit Dominus apud Esaiam) *visio omnium, sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti literas, dicent: lege istum: & respondebit: Non possum, signatus est enim.* Sanè omnis scriptura, qua mysterium salutis humanæ diuina constitutę benignitate continetur, tanquam liber obsignatus, ab hæreticis suscipitur: quam, quòd ipsis obsignata sit, minimè percipiunt. Nec tamen volunt audire librum hunc ab alio aperiri non posse, quàm ab illo iustitiæ Doctore, in quem illi se nefarios præbuerũt. Quamobrem permisit, Dominus, vt ipsi oppressi amẽtia, spiritu furoris exagitati legis mentem, & sensum non intelligant, Meritò namque à sapientia deseruntur, qui sunt acerbo quodam odio sapientiam persequuti. Occluditur illis liber legis gratiæ, qui salutis, & immortalitatis viam monstrat: quia dum ficta atque fallaci mente sese ad legis Euangelicæ studium applicant sanctitatem ementiuntur: & simulatione puritatis flagitia innumera concipiunt: & dum legis vmbras, & literam occidentem prosequuntur, ipsius legis mentem deserunt, & verum legis studium abijciunt, ac diuinorum hominum scripta omninò contemnunt: nec expressam & solidam pietatis effigiem, sed inanissimam imaginem pietatis amplexantur: omnesque animi conatus, non quidem ad religionem, sed ad religionis euersionem comparant. Itaq. solus Christus hanc præ alijs potestatem habuit, vt mysteria veteris & noui testamenti paginis contenta aperire & explicare potuerit. *Dignus es Domine*, inquit Ioannes, *accipere librum & aperire signacula eius: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu & lingua, & populo, & natione.* Vnde origines dicit Mosem & cæteros prophetas, ex peculiari Spiritus Sancti suggestione & Dei priuilegio, ita scripturæ diuina mysteria intellexisse, vt tamen non ea omnibus peruia fecerint: hoc enim munus fuit Apostolorum, estq. hodie omninò in Episcopos translatum. Hinc liquet illud quod Ezechiel dixit: *Et vidi & ec-*

Esa.c.29.

Apoc.c.5.

Orig. in Ioã. to.16. expli. illud, nonne cor nostrum ardẽs erat.

Ezec.c.2.& 3.

ce manus Missa ad me in qua erat inuolutus liber: & expandit illum coram me, qui erat scriptus intus & foris; & scriptæ erant in eo lamentationes, & carmen, & væ. Et dixit ad me. Fili hominis, comede volumen istud, & vadens loquere ad filios Israel. Et aperui os meum, & cibauit me volumine illo. Et dixit ad me, fili hominis, venter tuus comedet, & viscera tua complebuntur volumine isto, quod ego tibi do. Et comedi illud, & factum est in ore meo, sicut mel dulce. Eundem librum re-

Apoc.c.10. seratum etiam tradidit Ioanni Angelus, dixitq. ei: *Accipe librum, & deuora illum.* In hoc libro, & carmina, & lamenta, & væ scripta existunt. Hoc est, suspiria eorum, qui peccatorum conuersionem summoperè exoptant. Samuel enim lugebat lapsum Saulis; & Paulus in criminibus Corinthiorum, quibus animorum salutem vehementer cupiebat, maximam lachrymarum vim profundebat: quod eorum interitum æquò animo ferre non posset. Continet etiam carmina, hoc est, laudem & elogium eorum, qui digni sunt, qui Christi meritis ex hac ad sempiternam vitam conuolent. quinimò & væ væ geminatū habet aduersus eos, qui, vocati ad nuptias filij Dei, mensæ accumbunt charitate priuati. In hoc igitur libro vniuersa reparationis humanę mysteria continentur. Idcirco tam Ioanni, quàm Ezechieli factus est, sicut mel dulce in ore. At Ioanni dixit Angelus: *& postquam comederis faciet amaricari ventrem tuum.* Causa huiusce rei erat, quia spiritu, non sine magno animi sui dolore, esset visurus illorum multitudinem, qui à nuptijs eiecti diuinæ iustitiæ seueritatem erant experturi; quòd fructum nullum ex Christi sanguine pro nobis effuso perceperint. Itaque Ezechiel ait se ex huius libri esu maximam suauitatem & dulcedinem sensisse: sed, cùm liber hic hanc particulam væ væ aduersus mortis æternæ reos contineret, dolore non minimo se affectum fuisse. Idem dicit Ioannes, testaturque ventrem suum amaritudinem

Matt.c.22. percepisse. Et Matthæus dicit, multos quidem fuisse ad nuptias vocatos, paucos verò electos. Quis autem non lachrymis prosequetur illorum interitum, qui in

tota

tota fere Germania, Anglia, Flandria, & in reliqua Gallia, aliјſque regionibus, euoluendis libris ſacrorum Vatum, & Euangelij ſacro Codici vel inuigilant, vel inuigilare ſimulant; nec tamen veram & ſynceram doctrinam intelligunt; ſed huc, atque illuc, tanquam ebrij, nutant, & vacillant, ac in dies in grauiora errata miſeri labuntur? Et cùm tota ſacra pagina reſonet fidem ſine operibus ad ſalutem æternam acquirendam minimè homini prodeſſe, vbique tamen apud ſuos magna peruicacitate aſſerunt, fieri haud poſſe, vt lex Euangelij in hac vita adimpleatur; illiuſque præcepta contra Euangelicam eſſe libertatem. Hoc quàm ſit ab Euangelij veritate alienum, paucis oſtendamus.

Chriſtianam libertatem minimè in eo imminui, quòd diuinæ legis obſeruationi obnoxij ſumus, vniuerſa tenet Eccleſia. Quin potius ratio ipſa apertè demonſtrat, hominis animum tunc verè liberum fore, cùm, quod faciendum eſſe ex diuina lege perſpexerit, id alacriter, atque hilariter faciendum ſuſcipiet. Neque enim aberit ab hominibus beatis (vt neque ab Angelis quidem ſanctis abeſt) feliciſſima parendi neceſſitas, quæ ex æterna, & incommutabili Dei lege oriatur. At dubium non eſt eos, qui beati ſunt, ſuauiſſima, perfectiſſimaque perfrui libertate. Quomodò ergo libertatem impedit, aut minuit neceſſitas implendi præcepta? Rurſus. Veteris teſtamenti ſanctis fuit ne vera libertas Chriſtiana, cùm variorum adeò, multipliciumque cæremoniarum iugo præmi viſi ſint? Profectò non video cur hac libertate caruerint, qui legem ſanctam, & vtiliter inſtitutam, illiſque temporibus congruentem obſequenti animo, & alacri voluntate ſeruarunt: præſertim qui non erant ignari, quid rerum in Chriſto, & in Eccleſia futurarum omnis illa ſacramentorum varietas præſignaret. Cùm ergo his agendis & contemplandis vtiliter, & cum magna futu-

rorum voluptare fidem exercerent, ea ex parte nihil potuere perpeti ſeruitutis, illud enim, quod ſeruituti eſt ijs, qui inuiti grauatique faciunt quod ſibi vtiliter & legitimè præcipitur, longè fuit ab illis alienum, qui eo tempore iuſtitiæ luce fulſerunt. Miſeram autem animæ ſeruitutem eſſe exiſtimat Auguſtinus, ſigna pro rebus accipere, & ſupra creaturam corpoream oculos mentis ad hauriendum æternum lumen leuare non poſſe. Cùm verò illi, qui, lege data vixere ſancti (quos idem, qui nobis datus eſt, fidei & dilectionis ſpiritus verè liberos faciebat) ipſas quoq. vmbras colebant, propter temporis ſtatum, carnalemque hominum multitudinem, quam tali multiplicium obſeruationum fræno decebat edomari, tanto alijs liberiores habendi erant, quanto magis & quid futurum ſignificaretur ſpiritu prophetico inſpiciebāt, & propter Chriſti certam expectationem læti atque alacres figuris ipſis pro tempore ſeruiebant. Siuè igitur Abraham, ſiue ante illum iuſti, ſiue poſt eum vſque ad ipſum Moſem, per quem datum eſt teſtamentum à mōte Sina in ſeruitutem generans, ſiue poſteri prophetæ, & ſancti homines Dei vſque ad Ioannem Baptiſtam, filij ſunt promiſſionis & gratię, ſecundum Iſaacum filium liberæ, non ex lege, ſed ex promiſſione hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti. Abſit enim vt Noe iuſtum, & probos primi temporis viros, & quicunque à Noe vſq. ad Abrahamū iuſti eſſe potuerunt, vel conſpicui, vel occulti, negemus ſupernæ ciuitatis, quę mater noſtra eſt Hieruſalē, ciues exiſtere, quamuis anteriores inueniantur quàm Sara, quæ ipſius liberæ matris vaticiniū, figuramq. geſtabat. At quanto euidentius quicumq. Deo placuerunt poſt Abrahamum, cui ſic declarata eſt ipſa promiſſio, vt pater multarum gentium dictus ſit, filij promiſſionis habendi ſunt? Quos igitur ad teſtamentum vetus, quod eſt à monte Sina in ſeruitutē generans, quod eſt Agar pertinere dicemus? Illos proculdubiò, qui, cùm accepiſſent legem ſanctam & iuſtam, in eum lapſi ſunt errorem, vt exiſtimarint

Aug. lib. 3. de doctrin. Chriſ. c. 5.

Ad Gala. c. 4.

ad

ad vitam æternam adipiſcendam ſibi literam poſſe ſuffi-
cere: diuinam autem miſericordiam, vt legis factores fie-
rent, ſibi nullo modo quærendam eſſe: & ſic factum eſt, vt
ipſi, ſola, quæ ibi Deus fuerat pollicitus, terrena promiſſa
ſectantes, & quid ad nouum teſtamentum ipſa ſignifica-
rent ignorantes, eorum adipiſcendorum amore, & amit-
tendorum timore, Dei præcepta obſeruauerint, vel, vt re-
ctius dixerim, ſibi viſi fuerint Dei præcepta integrè ſerua-
re; à quorum tamen obſeruatione quàm longiſſimè abe-
rant. Fuerunt, itaque Heroes illi veteris teſtamenti vera li-
bertate præditi, quam tamen veteris teſtamenti beneficio
conſequuti non ſunt, cùm illud nihil eorum, quæ liberum
quempiam poſſint efficere, præſtiterit. Nam ſi legem ſpe-
ctes duabus illis tabulis inciſam, & Dei digito exaratam;
per eam quidem (vt à nobis dictum eſt) potuit peccatum
innoteſcere, verùm vt ſibi obedientia, vera peccati declina-
tione, præſtaretur, id efficere nullo modo potuit. Vera
enim libertas, ſiue obedientia, ſine impletione legis diuinæ
conſtare minimè poteſt. Si verò ſpiritum, quo lex illa eos,
quos pepererat, imbuebat, attendas, haud liberum quem-
quam reddere valebat; ſi quidem timoris, nō autem amo-
ris, erat ille ſpiritus, ad quem duris & lapideis populi cor-
dibus incutiendum terrifica in monte omnia diuinitus cō-
parata ſunt. Iam ſi ſacrificia ipſa tam multa conſideres:
quid ea ad veram libertatem, quæ eſt à pecatis, conferebāt?
Quid eſt inquit Dominus apud Hieremiam, *quod dilectus meus* *Hiere.c.11.*
in domo mea fecit ſcelera multa? Nunquid carnes ſanctæ auferent à te
malitias tuas, in quibus gloriata es? Cuius igitur beneficio liberta-
tem illam adepti ſunt priſci illi patres veteris teſtamenti?
Chriſti ſanè hominum conciliatoris, *Lex* enim *per Moſem da-* *Ioan. c. 1.*
ta eſt gratia & veritas per Ieſum Chriſtum; quem & ſacrificia, &
cæremoniæ, & vniuerſa lex illa adumbrabant. Si ergo illi,
qui promiſſionem duntaxat acceperant futuri teſtamen-
ti, & in figuris & imaginibus verſabantur, per fidem ven-
turi Chriſti legis præceptis non tam ob timorem, quàm

ob amorem parendo veram libertatem à peccatis consequuti sunt. Nos, quibus veritatis lux ipsa, fugatis vmbris, illuxit quibus lex non tabulis inscripta, sed cordibus insculpta, data est: quibus non terrena, sed cælestia promissa sunt: quibus deniq. sanguis ille pretiosus agni immaculati Christi applicatur, eiusdem Christi præceptis obtemperãdo, & legem, æternorũ quidem desiderio, & Christi legislatoris nostri amore, alacriter obseruando, vera libertate priuamur? Fuerunt illi per Christum liberi, viuentes tempore seruitutis, hoc enim libertatis bonum per fidem in vẽ-
1. Timot. c. 2. turum Christum consequebantur; & nos per fidem qua eundem mediatorem Dei & hominũ hominem Christum Iesum credimus aduenisse, & per legis obedientiam, non timore exortã, sed amore præstitam, libertatem non consequimur? Absit, absit, inquam, à nobis vt ita humiliter de statu Euangelicæ legis sentiamus. Nam siue de libertate à peccato, & morte; siue de libertate à iugo legis cærimonialis, & iudicialis Hebræorum; siue de libertate à dominio legis diuinæ moralis, quo tanquam seruis illa imperabat, sermonem instituamus; in ipsamet erga legem Euangelicam
Rom. c. 6. obedientia vera libertas sita reperitur. Quod ad primum spectat Paulus ad Romanos scribens ait: *Cum serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam,* Quam sententiã Paulus confirmat aptissima quadam similitudine desumpta ex muliere matrimonio copulata: quæ si vir eius moriatur, ita libera à seruitute & lege viri efficitur vt nubere alteri liberrimè possit. Ita & nos per baptismum Christo matrimonij sanctissimi fædere coniũgimur, mortuo peccato, cuius prius lege iniquissima & superbissimo dominatu tenebamur adstricti, à quo liberati
Rom. c. 7. sumus. Sic enim ille inquit. *Itaque fratres mei, & vos mortificati estis legi per corpus Christi: vt sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, vt fructificemus Deo.* Hoc est. Vos fratres, qui iam anteà fueratis sub lege peccati & mortis regnante in corpore vestro & potestatẽ exercente, dũ eratis sub lege Mosis, quæ peccatũ

nobis

nobis ostendebat, nō autem auferebat, postquā per corpus Christi, cui copulati & conserti fuistis, mortui estis legi illi peccati, & mortis, atq. ideo lex illa, & dominatus peccati atq. mortis imperiū vobis mortuū est, liberati estis à cōiugio, & subiectione, ac potestate illius, ita, vt iā nunc alterius viri sitis, nēpe Christi, qui resurrexit ex mortuis: vt ex illius in nobis efficiētia fructū & prolem faciamus, ipsi tanquam proprio viro referendā. *Cum enim essemus in carne*, inquit Paulus, *passiones peccatorū, quæ per legē erant, operabātur in mēbris nostris vt fructificarent morti. Nunc autē soluti sumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ:* Magnum profectò vtriusque conditionis discrimen ex ijs, quibus anteà exercebamur, affectibus, & ex ijs, quibus nūc agimur, dignoscitur. Nā cùm eramus in carne illius veteris Adami, & secundū carnem illā viuebamus, deprauati affectus ita insinuabantur in membra nostra, vt nos, tanquam mulier viro subdita, affectibus illis acti & agitati fructus ederemus morte dignos: quòd peccata à nobis concipiebātur, & nefariè consummabātur. Nunc verò iam sumus soluti lege illa mortis, hoc est peccati, in qua detinebamur: quia mortui sumus legi illi, & lex illa iā nobis interijt. Soluti autē sumus ita, vt nō rursus illi subijciamur, & seruiamus: sed vt agamur in aliā seruitutē honestissimā spiritus innouati in nobis, qui legem in cordibus nostris innouat, atq. amore charitateq. scribit. Dū in huiusmodi nobili seruitute exercemur liberati sumus à lege peccati, & mortis. Vnde Augustinus ait, hominē baptizatū dici mortificatū legi: nō quia sit mortuus legis iustitiæ, sed legis reatui, & præuaricationi, quam lex per literam, cùm gratia defuit, inducebat. Perperam igitur aduersarij contendunt peccatum in hominibus iustis semper viuere, sed culpæ non imputari. Quomodò enim verè, & propriè essemus liberati à peccati seruitute per Christum, cui per coniugium, mortuo peccato, copulati sumus (quod Paulus probare intendit) si peccatum esset in nobis post comparatam iustitiam? Certè si ita esset, adhuc fructum morti produceremus, & seruiremus

Paul. vbi supra.

Aug. li. 83. qq. 66. q. & lib. 15. cont. Faust. c. 8.

in ve-

in vetustate literæ, non in nouitate spiritus, contra Pauli doctrinam.

Sumus deinde liberati ab onere legis cæremonialis & Act. c. 15. iudicialis. Hoc enim Apostolus Petrus clamat inquiens. Gal. c. 2. *Quid tentatis imponere iugum super ceruices discipulorum, quod nec nos, nec patres nostri portare potuimus.* Et ad Galatas ita scribit Paulus: *Nec Titus compulsus est circuncidi, cùm esset gentilis: sed propter falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu vt nos in seruitutem redigerent.* Et post pleraque alia Galatas increpat, quoniam cùm cognoscerent sibi Deum esse patrem, quippe qui eos adoptauerat Spiritu Sancto, filiosque appellauerat; & scirent etiam quæ foret conditio liberorum iam collocatorum in domo, & hæreditate patris, & denique instructi iam essent, quemadmodum Deus colatur in spiritu, & veritate ab ijs, qui admissi sunt ad hæreditatem per Spiritum Sanctum, volebant tamen redire ad colendum Deum illis egenis elementis & Gal. c. 4. infirmis, quibus ij, qui sub lege erant, seruiebant. *Nunc autem* Gal. c. 5. inquit ille, *cum cognoueritis Deum, imo cogniti sitis à Deo quomodo conuertimini iterum ad infirma, & egena elementa, quibus denuò seruire vultis?* Nõnullis deinde interpositis, *State,* ait, *& nolite iterum iugo seruitutis contineri. Ecce ego Paulus dico vobis: quoniam si circun-* Hebræ. c. 9. *cidamini, Christus vobis nihil proderit.* Ad Hebræos autem scribens, legis cæremonias, & ritus appellauit carnis iustitias, quòd ad carnis emundationem adhiberẽtur, nec internam animi vim attingerent, sed significarent quidem, aliquando fore, vt spiritus secretiori quadam virtute diuina, qua interna ipse corrigeret, mundarentur, ex qua correctione rectè omnia deinceps procederent. Ad huius vsque correctionis Dei virtute efficiendæ tempus opportunum, vetera illa Mosaicæ legis frequentabantur, quæ cùm perficere non possent animorum munditiam & sanctitatem, huius correctionis desiderium augebant, & ad maiorem spem fideles aduocabant. Quò fit per legem Euangelij nos liberatos esse à veteris legis seruitute.

Sed

Sed & dominio legis diuinæ moralis tandem soluti sumus. Hoc est, iam in statu legis gratiæ, & amoris nobis lex non dominatur, tanquam seruis, clamore & minis nos insequens, & timorem semper incutiens: sed amore allicit, & tanquam filios hortatur, imperatque liberis, & liberaliter obtemperare volentibus: non quidē quòd legi vis obligandi denegetur: sed quòd iam hominibus charitas addatur, qua libenter legis diuinæ moralis præcepta adimpleant. *Peccatum* inquit Paulus, *vobis non dominabitur. Non enim sub lege estis, sed sub gratia.* Hoc est, postquam Christi virtute, & efficientia in vobis extinctum fuerit peccatum, non habebit vim illam dominandi, quam habebat, antequam accepissetis spiritū adoptionis, cùm eratis subiecti spiritui seruitutis in timore, & metu, qualis conditio adhuc sub lege in suo robore hominibus manebat. Nunc verò iam estis sub alia conditione multò præstantiori, estis enim sub gratia Dei constituti, quæ præterquam, quod docet, quid Deus velit, & expetat à nobis, addit etiam virtutem, & communicat spiritum, quo suauiter Dei præcepta obseruentur. *Quid ergo?* inquit Apostolus, *Peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. Nescitis, quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam?* Non equidem vsque adeò insaniendum est nobis, vt existimemus, nobis integrum esse, si velimus, peccare: &, si peccemus, non accusari per legem, vtpotè ad nos non attinentem: cùm nihil hoc absurdius excogitari possit. Nam gratia non ideò dicitur gratia, quod permittat peccare, & non imputetur peccatum. Hoc enim planè nefarium est, & rerum ipsarum rationi, naturæque minimè consentaneum, atque adeò monstri persimile, vt quis sit in peccato ad mortem, & pariter in gratia ad vitam. Sunt namque hæc duo sibi maximè opposita, peccatum, & obedientia erga Deum. Quocirca, qui obedit peccato, seruus est peccati, & peccati mercedem,

Rom.c.6.

id eſt, mortem accipiet. Sic enim Paulus inquit: *Stipendia peccati mors. Gratia autem Dei, vita æterna, in Chriſto Ieſu Domino noſtro*. Ideſt. Qui peccato obnoxij ſeruiunt, mortem ſtipendij nomine ſibi comparant, idque iuſtiſſimo iudicio. Qui verò ſtudium, operamq. in obedientiam erga Deum confert, obedientiæ ſeruus eſt, eam mercedem accepturus copioſam, quam Deus ſibi obedientibus proponit, cum quibus iuſtitiam ſuam ſe ſe communicaturum eſt pollicitus. Eſt autem hæc merces, vita æterna, communicata in Chriſto Ieſu, cui poteſtatem Pater dedit omnium noſtrum in cælo & in terra. Conſequitur igitur, oportere nos omninò à peccati ſeruitute abhorrere, vtpotè omni ex parte doctos diſcriminis & differentiæ incomparabilis inter vtranq. ſeruitutem, peccati & iuſtitiæ. Hæc enim poſterior conditio illuſtris eſt, illa verò obſcura, & tenebris plena, in qua olim detinebamur. *Gratias autem Deo, quòd fuiſtis ſerui peccati: obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in qua traditi eſtis*. Tantum autem abeſt vt hæc ſeruitus alicui poſſit eſſe dedecori, vt nihil illa ſit magis glorioſè prædicandum. Eſt itaque cur Dei gratiam perpetuis laudibus extollamus; quandò nos è duriſſima ſeruitute liberatos in imperium, ditionemq. ſuam tranſtulit, atque per obedientiam fidei diuinis iuſtitiæ muneribus ornauit. Eam igitur libertatem ſumus aſſequuti, vt nihil, quandiu in nobis iuſtitia dominetur, inuiti faciamus; non tamen vt nullius imperio adſtricti teneamur. Vnde præclarè dicit Auguſtinus: *Non ſumus ſub lege bonum quidem iubente, non tamen dante, ſed ſumus ſub gratia, quæ id quod lex iubet, faciens nos amare poteſt liberis imperare*. Et alibi, *Si ſpiritu*, inquit, *ducimini non eſtis ſub lege, vtiq. lege quæ timorẽ incutit, non tribuit charitatem, quæ charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, non per legis literam ſed per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. Hæc eſt lex libertatis non ſeruitutis, quia charitatis vtique non timoris.*

Rom. c. 6. — *Rom. c. 6.* — *Augu. lib. de Continẽtia c. 3.* — *Auguſt. de Natu. & grat. c. 57.*

Colligamus, ergo, beneficia, quæ Dei filius in Eccleſiam ſuam contulit, ornamenta, quibus eam illuſtrauit, dona ampliſſima, quibus eam euexit, & ditauit, eiuſmodi eſſe,

vt,

vt,cum nulla oratione ſatis explicari queant, ipſius Chriſti diuinitatem ita apertè oſtendant, vt ſummi Imperatores in deteſtabiles idolorum vultus, ac effigies tandem expuerint; profanos cacodæmonum cultus protriuerint;cæremonias illis exhiberi vetuerint;ex aris,ex templis,ex foris,ex vrbibus ſimulachra eiecerint, & veterem errorem à maioribus ductum irriſerint;inſaniam, & dementiam patrum ſuorum in lapidibus colendis admirati fuerint:Chriſtum verò Dei filium ſummum vniuerſorum conditorem prædicauerint:illi honorem ſummum & maximam obſeruãtiam detulerint:eum à ciuibus ſibi ſubditis ingenti veneratione coli iuſſerint: ipſum Saluatorem inſcriptionibus in columnis inciſis pronunciauerint: præclara ipſius facinora,victoriaſque contra impios partas literis maiuſculis ad perpetuam memoriam in tabulis media in vrbe, quæ totius orbis terrarum regina eſt,collocatis,ſcitè deſcribendas curauerint: aras ingentes, & templa magnifica ipſi dicauerint: ipſum & terræ, & cælorum Regem, non ab hominibus creatum, ſed à Patre æterno conſtitutum vbique ſonuerint. Nam quis vnquam Regum tantum virtutis, ac potentiæ nactus eſt,vt nomen ſuum ita potuerit propagare,vt illud omnium hominum aures percellat, inque omnium ore, atque quotidiano ſermone domi & foris verſetur? Quis tot integris ſæculis ab omnibus oppugnatus virtutem & potentiam, quæ ſupra hominem credenda eſt, ita oſtendit, vt in dies ſingulos illa magis, magiſque apparuerit, & per omnes hominum ætates conſtiterit? Quis,licet omnes ſimul Imperatores, quotquot fuerunt, commemores, tot, & tam magna bella geſſit? Quis tam conſtanti animo, & tantis viribus, & tanta prudentia hoſtium incurſus repreſſit? Quis tot ſpolia tanto cum honore hoſtibus detraxit? Quis tam magnificè, tam glorioſè vllo vnquam ſæculo triumphum egit? Quis ita ſeſe in vita geſſit, vt poſt mortem tam magnam ſui memoriam poſteritati celebrandam reliquerit? Quis gentem ſuam,

de qua aliquando à nulla sæculorum ætate auditum fuerat, non dico in aliquem terræ angulum clanculum abdidit, sed passim in vniuersas terrarum regiones, quæ sub cælo sunt, ita diffudit? Quis pietatis armis milites suos adeo muniuit, vt animos adamante duriores, & solidiores in certaminibus, prælijsque contra aduersarios susceptis præstiterint? Quis Imperator Ciuitatem, & Rempub. tam amplam construxit? Quis Rempub. suam ita præclarè vnius Dei cultu instruxit? Quis tam augusto Sacrificio, & tam sancto Sacerdotio politiam vnquam suam vndiq. decorauit? Quis Princeps leges tam pias, tamque, modestas instituit, easque tam firmè constabiliuit, vt omnes homines ab vltimis terrarum oris, ad extremos vsque totius mundi terminos illas approbarint, & eisdem sua sponte sese summiserint? Quis gentes indomitas, moribus barbaras, ac immanes, legibus quantumuis mansuetis, & benignis coercuit? Solus profectò Christus Dei filius hæc perfecit admiranda opera: quippè qui non tantum homo, sed verus etiam Deus diuino suo numine operatus est, vt Ecclesiam suam honestaret, ditaret, augeret. Religione ornaret, sacrificio, & sacerdotio firmaret, legibus institueret, & Magistratibus vndique muniret. Quibus omnibus ad Ciuitatem Dei maximè spectantibus declaratis; peropportunè aliàs ostensuri, quos Christus in Ecclesia sua Magistratus constituerit, qui pro suæ solicitudinis parte Ecclesiæ gubernaculo assident: iam, vt in vno Principe, & Pastore omnium summa huius regendæ Reipub. & Ciuitatis sanctæ potestas recumbat, in sequentibus demonstraturi, huic libro finem imponamus.

LIBRI PRIMI FINIS.

ARGV.

ARGVMENTVM LIBRI SECVNDI.

POSTQVAM de Religione & de ijs legibus, quas illi, qui ciues sanctorum effecti sunt diligenter obseruare tenentur; ac de sacrificio, & sacerdotio, ad conciliandam sempiterni Dei beneuolentiam à Christo saluatore nostro in Repub. sua institutis, in priori libro disseruimus: in hoc secundo, vt optimus eiusdem Reipub. status manifestè appareat, accuratè & studiose demonstrandum nobis est, illam vnius Principis curæ, à quo potissimum regeretur, ab eodem diuino Legislatore fuisse commendatam. Caput igitur omnium est, ex diuinis oraculis, & sanctorum Patrum monumentis eruere iam inde ab orbe condito vsque in hodiernum diem illam Rempub. quam Deus ex omnibus alijs peculiarem sibi delegit, ab vno Principe diuinitus instituto fuisse gubernatam. Vbi ab Adamo vsq. ad Mosem, vnum Patriarcham ac Pastorem,

cui

cui cæteri omnes parere tenebantur, illi populo, in quo Deus fidem, & Reipub. suæ successionem conseruauit præfectum fuisse: & à Mose vsque ad Christum, ex instituto Dei, vnum Pontificem summum rebus sacris perpetuò præfuisse, non obscurè ostendimus. Quam regiminis formam, quod omnium optima sit, à diuinis vatibus longè ante prædictam, in Repub. sua Christum instituisse, hoc est, vnum supremum Principem, qui cæteros omnes dignitatis, & potestatis amplitudine præcelleret, illi præfecisse, nempe Petrum Apostolorum primum, & omnium, qui sibi nomina dedissent, vel daturi essent, summum caput, coram intueri licet. Itaque omnia, quæ ad Petri primatum spectant fusa & opima oratione explicantur: potissimæ aduersariorum obiectiones cogitatè diluuntur: ac deniq. ea, quorum cognitio vel ad benè beatèq. viuendum omninò necessaria esse, vel aliquam lectori iucunditatem quouis modo afferre posse videbatur, prout instituti & operis ratio postulat, diligenter pertractantur, priscorum sententijs illustrantur diuinis responsis confirmantur: vt & florem Reipub. nostræ, & firmamenta principatus Petri, atque ornamenta Christianæ dignitatis lector facilè valeat inspicere.

F. GRE-

F. GREGORII NVNNII CORONEL ORDINIS EREMITARVM S. AVGVSTINI.

De optimo Reipublicæ ſtatu. LIBER SECVNDVS.

CAP. I.

TEMPVS omne diuiſum eſt in partes tres: quarum vnam ab Adamo primo hominum parente vſque ad egregium illum legislatorem Moſem, alteram à Moſe ad Chriſti vſque ortum, tertiam verò à primo ad ſecũdum eiuſdem Chriſti aduentum numeramus: ita vt lex, quæ naturæ dicitur, tres ætates ab orbe condito ſibi adſciſcat, vetus teſtamentum quartam & quintam vendicet, nouum verò ſextam, quæ à Chriſti aduentu initium ſumpſit, & vſque ad finem

Aug. lib. 4. de Trin. c. 4.

finem ſeculi duratura eſt,ſortiatur. Hanc enim idcirco diuiſionem ab antiquis ſemper celebratam fuiſſe legimus; quia totius temporis decurſus aptius aliũde dignoſci non poteſt,quàm ex ineffabili Saluatoris noſtri in terras aduentu; cum ab illo, vt cetera omnia, ſic ipſorum temporum ſeriem productam conſtet; atque ob id ſacrorum vatum oracula eum miri illius ædificij,id eſt,Eccleſiæ Dei lapidem vocent angularem,In hoc vno tam Patrum,quos antiquitas vidit,quàm Chriſtianorum vera & ſyncera fides innixa cunſiſtit:in hunc velut gratiæ largitorem,& ſalutis humanæ indubitatum authorem, & clariſſimum omnis perfectionis ſpeculum,non modò vtrunque teſtamentum,verum etiam ipſa primis Parentibus à natura data lex reſpicit:cum ipſe hæc duo in vnum coniungat, & ampliſſimis ea,cumulet muneribus. Hic eorum æconomiam mirabili diſpoſitione, & inaudito ordine inſtituit: cùm in lege naturæ tã ante, quàm poſt vniuerſalem illum κατάκλυσμον, quo totus terrarum orbis obrutus fuit, patres ex aliorum numero ſelegit, quorum opera & ſtudio Rempub. ſuam voluit gubernari: & ante legem ſcriptam Abrahamum aſſumpſit, quem ad tantum honoris & dignitatis culmen euexit,vt eum & fidei,& multarum gentium patrem omnibus propoſuerit: in nouo autem vnum ex omnibus Petrum elegit, quem primarium Eccleſiæ, cuius fundamentum conſtitutus fuit,& primum fidei, & veritatis Euangelicæ confeſſorem inſtituit. Quid amplius hic valde admirabilis rerum diſpoſitor effecit? Sanè vt fidei propago in dies magis, ac magis augeretur duos rumpos, vnum Patriarcharum & Sacerdotum à primis rerum exordijs in lege naturæ,& veteri; alterum Hierarcharum in nouo teſtamento ad mundi vſque interitum duraturum prȩſtanti ſapientia conſeuit; vt, quemadmodum prima tradux Patriarchas & Sacerdotes à primo hominum parente ad Ioſephum vſque Chriſti nutritium continua ſerie deductos produxit:ita ſecunda à B. Petro incipiẽs, Hierarchas,quos Ponti-

Pontifices Maximos appellamus, ſumma authoritate munitos,& ad ea,quæ religionis ſunt, ordinanda & ſtabilienda fide & doctrina diuinitus inſtructos, iugi ordine producat: qua ratione teſtatum apud omnium animos relinqueret,tam ſpiritus lineam à ſeſe proficiſci, quàm ea quæ carnis fuit,in ſe ipſum olim tetenderat.In quo ſumma quidem ipſius clementia,& immenſa benignitas non obſcurè apparet: quia, cùm res mortalium per homines peccatis obnoxios fuerint adminiſtrandæ, in generis, officijque ſeriem peccatores perindè,ac iuſtos admiſerit: vt nemini mirum videri debeat,ſi inter eos,qui ſummi Pontificis munere funguntur, improbi aliquandò viri reperiri potuerint: cùm etiam inter Patriarchas nonnulli criminibus grauiſſimis infecti extiterint. Vſque adeò enim Deus Eccleſiam ſuam amat, vt ad illam potiùs, quàm ad aliquot Pontificum næuos reſpiciens,ipſam,vt pollicitus eſt,perpetuò adminiſtret,& regat, & ſummo ſtudio tueatur; nec eam, nec eius fidem ſuccubituram vnquam paſſurus ſit. Nam vt ea quæ Abrahamo ac eius ſemini promiſerat,pleniſſimè præſtitit;ſic quæ Petro pollicitus eſt rata & firma ſemper erũt: cùm enim & fidei firmitudinem inſtar petræ ſolidiſſimæ ad ſuſtentandam Eccleſiæ ſtructuram, & huius ſtabilitatem ac perpetuitatem aduerſus etiam inferorum poteſtates ſpoponderit, vtrunque opere compleuiſſe contra tyrãnorum ſæuiſſimos turbines iam pridem longiſſimo temporum tractu videmus. Rem ergo à primis ſuis initijs ordine deducamus.

Poſtquàm conditus fuit Adamus, atque ex illius coſta mulier formata, ille è ſomno excitatus vaticinium de perpetuo nexu,qui inter virum & vxorem futurus erat, proferre incepit. *Hoc nunc*,inquit, *os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.Quamobrem relinquet homo patrem ſuum,& matrem, & adhærebit vxori ſuæ,& erunt duo in carne vna*: quod viri & vxoris vinculum Apoſtolus Paulus magnũ in Chriſto,& Eccleſia ſacramentum appellat. Ex quo quidem Adamum tum Chriſti

Gen.c. 2. *1.Cor.c.11.* *Eph.c. 5.*

veridicum vatem, tum ſanctiſſimæ Eccleſiæ primam originem extitiſſe, manifeſtè conſtat. Si enim *Deus ex vno fecit omne genus hominum* (quod Paulus docet) *Deus caput vnum* (inquit Chryſoſtomus) *omnibus dedit ipſum Adam. Cur enim è terra, quemadmodum ille, perfecti non ſumus? Nempe vt partus, vt nutricatio, vt ſucceſſio generandi nos inuicem ligarent. Hanc ob cauſam nec mulierem ex terra fecit. Itaque veluti à capite quodam vno totum humani generis corpus dependet. Et quia iam à principio parentes duo fuiſſe videri poſſunt, vide qui conglutinet, qui in vnum lege connubij coniungat. Et eum ex quo facta eſt, maritum mulieri tradit. Deinde hunc imperare, illam ſubeſſe iuſſit.* Collapſo enim Adamo, ac ſemine illo promiſſo, quo ſerpentis caput, qui Euã fraudulenter deceperat, contriturum omninò erat; Deus mulierem ſub poteſtate viri futuram dixit, atq. ſic eum & ſpiritualem paſtorem, & caput mulieris conſtituit. Poſteà qui ab Adamo, atque eius vxore geniti ſunt liberi, quis eos parentibus ſuis ſubditos fuiſſe neget, cùm, licet lex nulla, quæ liberos ſub patria poteſtate eſſe iuberet, tunc lata extitiſſet, natura tamen eos, vt ſe parentibus ſubmitterent, induxerit? Subiacuerunt illi quidem parentum imperio: neque aliter credi oportet. Vnde fit, vt iam tunc Eccleſia è primo ſui naſcentis exordio vnius paſtoris regimen fuerit aſſequuta. Quamobrem Theophilus Antiochenſis, vir & doctrina & antiquitate nobiliſſimus, dicere non dubitauit, mulierem ex coſta viri, idcircò à Deo formatam fuiſſe, vt Monarchiæ ſuæ myſterium demonſtraret. Martialis quoque ait; *Ex quo primus homo cæpit à Deo formatus de limo, congregatio filiorum Dei, quæ iam congregatur in illo ſæculo proclamabatur.* Et Epiphanius, inquit: *Sancta & Catholica Eccleſia principium omnium eſt, ex hoc nimirum ſcopo. Adam nouit patrem Deum, & filium, & Spiritum Sanctum. Propheta enim erat, neque circumciſionem habens, neque ſimulachra colens, ſed Chriſtianiſmi formam oſtendens.* Vndè Chryſoſtomus, cùm dixiſſet Adamum fuiſſe caput vnum omnibus datum, poſteà inquit, Deum, quia nouerat, inter æquales æmulationem eſſe, non

Demo-

Act. c. 17.
Chryſ. in 1. Cor. ho. 34.
Gen. c. 3.
1. Petri c. 3.
Theophi. li. ad Autoly.
Mart. ep. ad Burdegal.
Epip. lib. 1. in princ.
Chryſo. vbi ſup.

Democratiam, ſed Regnum conſtituiſſe, cui ſtatim ab initio Adamum præfecit.

Adamo verò vita defuncto, Sethus eius filius, qui, vt tradit Theodoretus, propter pietatem vocatus eſt Deus, & qui ex eo geniti prodierunt, appellati ſunt filij Dei, Eccleſiæ præfecturæ ſucceſſit, veruſque Monarcha extitit. Non enim filiorum ſuorum pater tantùm, ſed etiam princeps fuit, eoſque ita rexit, & diuino cultu informauit, vt honos cæleſti Patri debitus, multò magis, quàm anteà viguerit, Quòd ſi quis ſcire deſiderat, an in primis Eccleſiæ initijs fides & dona, quæ gratuita dicuntur, in ſancta Dei ciuitate fuerint, Iudæ Apoſtoli epiſtolam legat; vbi ſcriptum eſt, Enochum ab Adamo ſeptimum iam tunc de extremo illo iudicio, in quo tam de ſceleſtis hominibus grauiſſimũ ſupplicium ſumendum, quàm iuſtis ampliſſima merces tribuẽda eſt, vaticinatum eſſe. Eſt etiam illud cognitu digniſſimum in tota iſta Patrum ſeriè ſemper id obſeruatũ fuiſſe, vt maximus natu cæteris præeſſet: niſi is fortè ab Eccleſia defeciſſet; quod Caino miſerè eueniſſe, in ſacris literis ſcriptum legimus, qui inuidia in fratrem ſuum germanum Abelem commotus eum è viuis ſuſtulit, atq. à Dei ciuitate receſſit, & tandem miſerandum in modum periuit. Similes huic ſunt hæretici, qui ab Eccleſia Catholica, quæ vera ciuitas eſt, ſe ſe abdicarunt, & in exilio mori, quàm in patria vitam agere malunt. Qui verò hanc, de qua loquimur, præfecturam aſſequebatur, id, quod à maioribus acceperat, ita cuſtodiebat, vt & poſteris inuiolatum traderet. Nec vnquam duo ſimul æquali poteſtate præfecturam adminiſtrarunt: cùm etiam inter geminos, qui prior in lucem prodierat, alteri prælatus fuerit. Quapropter non immeritò tempus illud à natura nomen accepit, tempuſque naturæ dictum eſt. quia per eam Dei gratiam, quæ ſecundum legis naturæ ſemina & ordinem naſcendi tributa erat, populus Dei regebatur. Cùm ergo Dei Eccleſia in primo exordio ab vno tantùm Monarcha, id eſt, Adamo fuerit

Theodor. in Gen. q. 47.
Gen. 6.
Gen. c. 4.
1. Ioan. c. 2.

gubernata, necessariò fatendum est, aut illam ad vsq. mundi finem ab vno summo Pontifice, qui Reipub. Christianæ verus Monarcha est, gubernandam esse; aut Ecclesiam, quam nunc habemus, longè illi dissimilem existere, quæ quondam viuente Adamo, reliquisque antiquis Patribus, fuisse legitur Nam tam antiqui philosophi, quàm Iuriscōsulti, qui prudentes rerum æstimatores fuerunt, vno ore tradunt mutata regiminis forma, ipsam quoque Rempub. mutari. Quoniam verò nos iam, in libris, quos de vera Christi Ecclesia in lucem edidimus, apertè demonstrauimus, ita vnam eandemque semper extitisse Dei Ecclesiā, vt & à primis suis initijs eadē semper fuerit, & quousque cum ea, quæ iam in cælis gloriosè triumphum agit, feliciter cōiungatur, eadem etiam sit futura, pluribus, quæ in præsentiarum aptissimè adduci possent, consultò supersedemus,

Arist. li. 3. Polit. c.2. Alphenus in Pandec. de Iudicijs.

Subsequuta est secunda ætas, in qua non minùs, quàm in prima, imò potius multò manifestius egregiam illam in Dei ciuitate Monarchiam videre licet. Nam post diluuium à Deo in terras demissum, Noes illorum, qui secum in arca iussù ipsius Dei fabricata seruati fuerant, princeps solus extitit. Quòd ex eo maximè liquet, quia Noes in arcam ex omni genere humano solos tres filios, & totidem nurus & vxorem suam induxit: quos illi subditos fuisse, nemo erit, qui neget: cùm vxor marito, Deo iubente, subiaceat, & filij cum vxoribus naturæ lege impulsi sub patria positi sint potestate, Hos omnes sanctissimus vir, (cum quo, vt sacræ literæ testantur, Deus pepigit fædus, & qui primus altare erexit, & de pecoribus, ac volucribus mundis obtulit holocausta super altare, & sibi, & filijs suis benedictionem accepit) in viam iustitiæ direxit. Quo fit, vt eum Petrus Apostolorum Princeps præconem iustitiæ appellet. Ecce quomodo in secunda etiam ætate populus Dei ab vno tantùm Principe gubernabatur. Sed nè vno exēplo contenti videamur, plura in medium, cùm multa suppetant, afferamus.

Gen. c.6. 8. & 9.

2. Petri. c.2.

Sem

Sem, quem D. Hieronymus, recitatis Græcorum sententijs, ex Hebræorum opinione, eundem cũ Melchisedeche fuisse testatur, primogenitus Noæ fuit, ac reliquis fratribus præfuit, omnesque primogeniti à Noe descendentes, vt idem Hieronymus tradit, ad illud vsque tempus, quo Aaron frater Mosis sacerdotium obiuit, idest, ad quartam vsque ætatem, Pontifices extiterunt. Atque sicut vnus solus, scilicet primogenitus in vnaquaque familia pontificatu fungebatur; ita vnus in omnibus simul tribubus solus erat, cui cæteri primas deferebant, & libentibus animis obtemperabant: cuique etiam diuini cultus decernendi summum ius erat. Rectę enim gubernationis ratio à natura ipsa profecta exigebat, vt vnus esset, quem reliqui Principem agnoscerent. Idcircò cùm Abrahamus Tharetis primogenitus, & Sem filiorum Noæ maximus natu sacerdotio fungerentur, Abrahamus Sem, quem Melchisedechem diximus, primas detulit, seque adeò inferiorem illo reputauit, vt ab eo benedici dedignatus non sit, decimasq. ipsi libenter obtulerit. Cessit autẽ Abrahamus Melchisedechi; quia se multo maior natu erat, vt potè qui octo integris generationibus ipsum antecedebat. Nam post Sem, seu Melchisedechem, hi, qui sequuntur, Arphaxad. Sales, Heber, Phalegus, Reus, Sarugus, Nachor, Thares Abrahami pater, in generationis seriè numerantur. Hinc Theophilus Antiochensis (si græca rectè expendantur) præclarè dixisse mihi videtur, Melchisedechem omnium Sacerdotũ primum extitisse. Constat igitur iam eo etiam tempore apud eum, qui inter primogenitos maximus natu erat, totius regiminis primatum summamque authoritatem fuisse; adeò vt non solùm ij, qui sacrorum ministerio addicti non erant, verùm etiam qui sacerdotio fungebantur, licet longè abfuissent, ei parere non recusauerint, quinimmò maximum honorem semper detulerint.

Hier. in epi-sto. ad Euagr. to. 3.

In Esa. c. 41.

Gen. ca. 11. & 1. Paral. 1.

Gen. 5. 10. & 1. Paral. 1.

Genes c. 14. & Heb. c. 7.

Gen. c. 11.

Lib. 2. ad Autol.

Sed iam ad tertiam ætatem deueniamus, in qua id de quo agimus manifestè etiam apparet. Paulus enim Abrahamum

Rom. c. 4.

hamum & circuncisorum, & omnium, qui in Deum in præputio credunt, patrem extitisse, constanter affirmat. Nec hoc loco omittendum videtur, quod Augustinus scribit, Spiritum, nempe, Sanctum per Mosem egisse, vt per certarum generationum ab vno Adamo productarum seriem ad Abrahamum, deinde ab eius stirpe ad Dei populum perueniretur. Qui sanè Patriarcha egressus ex Chaldæa cũ nepote suo ex fratre, vbi primùm dissidium inter vtriusque pastores exortum vidit, ex sua & nepotis re maximè fore iudicauit, si vnus ab altero separaretur. Atque ita Lothus ad regionem, quæ est circa fluuium Iordanem, recessit: ille verò ad Cananæam prouinciam diuertit. Quo facto apertè significatum est, non posse duos, qui alicui populo præsint, æquali potestate præditos diu simul manere; cùm omnis potestas impatiens consortis sit: maximèque necessarium videatur, vnum cui reliqui omnes subiaceant, Principem constitui, si diuturna pace ciues frui optauerint. Cùm verò Abrahami familia Ecclesiam Christi repræsentauerit, atque ei vni tota subdita fuerit, nihil inde aliud sequi oportet, quàm omnes, qui in eiusdem Christi Ecclesia degunt, vni summo Pontifici subesse debere: vt sicut olim domus Abrahæ signaculum circuncisionis ab ipso vno accepit, ita illi in Pontificis Maximi vnitate sacramenta Ecclesiæ percipiant. Quòd si adhuc hac in re paululum immoremur, Pastori vni vnum Pastorem successurum facilè animaduertemus: Nam Abrahamus, cuncta quæ possederat soli Isaaco filio suo post mortem reliquit. Cuius vxor Rebecca geminos enixa est; ex quibus qui prior ex vtero materno prodierat primogenituræ honore functus est; donec eam (quod non sine diuini numinis dispensatione factum est) fratri suo Iacobo vendidit. Qui, cùm anteà Ecclesia Dei in vna familia constitisset, duodecim Patriarchas post obitum suum reliquit: quorũ singuli singulas familias habuerunt; & ex ijs singuli primogeniti Sacerdotium obierunt. Hi enim sunt illi Iuuenes, quos Moses altari erecto, &

Lib. 15. de Ciu. Dei. c. 8.

Gen. c. 13.

Gen. c. 17.

Gen. c. 25.

Exo. c. 24.

duo-

duodecim titulis per duodecim Iſraeliticas tribus conſtitutis ad ſacra Deo faciendũ miſit:quia nondũ Aaron ad ſummum Pontificatum, nec eius filij ad Sacerdotium fuerant euecti. Cùm tamen ex ſingulis familijs ſinguli ſacerdotes creari ſoliti fuiſſent; non omnes tamen æqualis erant poteſtatis: ſed vnus conſtituebatur, cui cæteri tanquam ſubditi Principi ſuo parebant. Quam præfecturam primogenitus ex familia Rubenenſi adeptus fuiſſet: niſi Ruben torum patris nefariè maculaſſet. Sed eo ob tantum ſcelus iuſtè exhæredato tantus dignitatis gradus Leui delatus eſt. Nam quamuis, ſi ad naturæ iura reſpiciamus, Ruben tam in regni adminiſtratione, quàm in ſacerdotij functione primus omnium eſſe debuiſſet: tamen diuina voluntate, vt Regnum ad Iudam, ita ſummum Sacerdotium ad Leuim tranſmiſſum eſt. Ex quo ſatis liquidò id apparet, quod demonſtrandum aſſumpſimus, primatum Eccleſiæ ſemper apud vnum, eumq. ſummum Sacerdotem extitiſſe, cuius erat & cultus diuinos ſtatuere, & de maximis rebus, quæ ad ſacra & religionem pertinebant, iudicare. Diuinæ enim prouidentiæ probro verteretur, ſi, quo tempore ipſius Dei populus lege à natura dictata regebatur, ordo ille, quem natura ipſa demonſtrat, & ſine quo nulla ciuitas diu conſeruari poteſt, fidelium hominum cætui defuiſſet.

Exo.c. 28. *Gen.c. 49.*

CAP. II.

QVemadmodum itaque Dei populo ante legem ſcriptã præfuerunt Adamus, Sethus, Enos, Noes, Melchiſedech, Abrahamus, Iſaacus, & Iacobus, vnus tamen poſt alterum: quia duos pari poteſtate præditos natura ſimul pati non poterat: ſic profectò Moſes (vt iam ad reliqua inſtituti noſtri progrediamur) antequàm legẽ à Domino accepiſſet, cõſtitutus ab eo Princeps omniũ Iudæorũ fuit, vt illorũ cauſas ſolus iudicaret. Fuit autẽ Moſes ab Abrahamo ſeptimus: nam eum Amaramas, Amaramam Cathus, Cathum Leuis, Leuim Iacobus, Iacobum Iſaacus Abrahami filius generauit. Moſes itaque tandiu ſolus cauſis Iudæorum cognoſcendis præfuit, quoad eum Iethrus ſibi propin-

pinquus conuenit; qui ipsi prudenter consuluit, vt minores quosdam Magistratus constitueret, qui leuioribus negotijs vacarent, grauiora vero sibi obeunda reseruaret. Exo.c.18. *Esto*, inquit Iethrus, *tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, vt referas, quæ dicuntur: ostendasq. populo cæremonias, & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, & opus, quod facere debeant.* Iethri equidem consilium probauit Moses, & prudentissimos quosque ex populo Israelitico elegit, atque eos Principes populi, Tribunos, Centuriones, Quinquagenarios, & Decanos constituit, qui leuiora tantummodò iudicabant; ea verò, quæ magni ponderis & momenti censebantur, ad Mosem referebant, vt ipse, quod sibi rectum, æquumq. videretur statueret ac iudicaret. Quæ quidem omnia clarissimè ostendunt, eo quoque tempore, antequàm lex à Deo data esset, summam vnius supremi præsidis in populo Dei præfecturam. Nec verò post legem Mosaicam (sub qua duas subsequentes ætates, quartam & quintam computamus) ipse Dei populus à multis Pastoribus supremã potestatem habentibus, sed ab vno summo sacrorum Principe gubernatus est. Quod nos statim ostendemus, vt, sicut in priori libro augustum Missæ sacrificium tam veteris testamenti victimis, quàm legis naturæ sacrificijs adũbratum fuisse ex diuinis scripturis innotuit, ita ex eisdem literis vnius Principis Monarchia tam in lege naturæ per tres ætates conseruata, quàm in lege veteri per duas stabilita gubernationem Ecclesię, quæ sub vno summo Præside, qui Christi vices in terris gereret, futura erat, præfiguratã esse appareat. Nam licet, quod ad ciuilem administrationem attinet, non solum à Monarchis, sed interdum etiã ab Optimatibus, nonnunquam verò à populo Iudęorũ Resp. fuerit gubernata; tamen quod ad Ecclesiasticum regimen spectat, de quo in præsentiarum à nobis agitur, populus Dei vnius tantũ Principis imperio subiacuit, qui adeò inter cæteros eminebat, vt sacerdotes etiam, & quosuis alios inferioris ordinis Pastores sub potestate sua positos haberet.

Hoc

Hoc autem posterius regiminis genus à Deo in veteri testamento institutum, & adamussim obseruatum ne hæretici quidem, qui nobis, in quibuscumque possunt, se se opponunt, negare audebunt: cùm ex sacra pagina & Aaronis summum Sacerdotium à Deo in monte Sina statutũ, & ad Christi vsque aduentum successionem sacerdotum ex Leuitico genere descendentium sine vllo, vel minimo detrimento conseruatam fuisse non obscurè pateat. Nam postquàm è viuis Aaron migrauit, Moses eius filium nomine Eleazarum vestibus paternis induit, atq. ita Eleazarus summum Pontificatum obtinuit, & quoad vixit, ex diuina institutione, gessit. Huic Phinees successit: in cuius postea demortui locum Abisues suffectus est. Hunc sequutus est Boccus, qui Ozim successorem habuit. Sed ne longa summorum Sacerdotũ enumeratione lectoris animus grauetur, horum paucorum Pontificum nominibus modò contenti erimus. Illud tamen silentio prætereundum non est, ab Ozi vsque ad Iudam Machabæum, & ab eo vsque ad Caipham, quo pontificatum gerente, Christus pro genere humano mortem obiuit, summos Pontifices continua serie apud Iudæos sacris semper præfuisse. Fueruut autem, vt Iosephus commemorat, ab Aarone Mosis fratre ad Caipham vsque octoginta tres Potifices, ex quibus tredecim ab eo tempore, quo Moses primum in deserto tabernaculum Deo erexit, vsque dum in Iudæam ventum est, vbi Deo templum ædificauit Rex Salomon, sacris faciendis vacarunt. Hi à duobus Aaronis filijs descenderunt, ac ita perpetua successione Pontificatu functi sunt. Inde ad templi vsque conflagrationem, quam Nabuchodonosor Assyriorum Rex intulit, octodecim Potifices sequuti sunt. Quorum vltimum, nomine Iosedecum, idem Rex Babylonem abduxit, quum totam Iudæorum gentem illuc transmisit. In qua captiuitate Dei populus supra septuaginta annos detentus est; donec Cyrus Persarum Rex ei liberam in patriam remeandi; & templum instaurandi facultatem

Exo.c.24. & c.29.

Num.c. 20. & c. 30.

Ioseph. lib. 28. antiq. c. 8.

conceſſit. Quo facto, Ieſus eiuſdem Ioſedeci filius in ſummum Sacerdotem aſſumptus eſt. Ab hoc vſque ad Regem Antiochum Eupatorem quatuordecim Pontifices recta linea deſcendentes numerantur . Antiochus autem Oniam ſummum Sacerdotem occidit, atque eius filium à paterna dignitate arcuit, & Alcimum (quem Ioſephus Iacimum appellauit,) ex eadem quidem Aaronis ſtirpe, ſed non ex eadem familia natum Pontificem creauit. Accepta tam magna iniuria, Onias interfecti filius in Aegyptum receſſit; ac ibi in amicitiã Regis Ptolemæi ; & Cleopatræ eius vxoris receptus ipſis perſuaſit, vt templũ ad inſtar illius Hieroſolymitani Deo conderent, ſeq. ſacrorũ muneri pręficerent. Poſtquàm verò Alcimus vitam cum morte commutauit Iſraeliticæ Gentis Principatus ad Aſſamonæorum familiã translatus eſt. Tũc Ionathas Pontificatus maximi honore inſignitus fuit; ſed tamen poſtea Thryphonis inſidijs occubuit. Huic frater, cui nomen Simon fuit, in dignitate ſucceſſit, qui non feliciorẽ vitæ exitum quàm frater, ſortitus eſt. In conuiuio enim à genero ſuo interfectus è viuis emigrauit. Poſtquam autem occubuit eius filius Hyrcanus in patris locum ſubrogatus fuit. Qui , cùm vnum & triginta annos munerè functus fuiſſet, iam ſenio confectus moritur, & principatus in filium ſuum Iudam, qui etiam Ariſtobulus dictus eſt, transfertur. Qui volens principatum in formam Regni vertere diadema ſibi primus impoſiuit. Ariſtobulus verò tam regnum quàm Sacerdotium Alexandro fratri ſuo reliquit: quibus ille honoribus non amplius quàm annum potitus fuerat . In locum Alexandri Hyrcanus ſubijt , quem frater & Regno , & Sacerdotio ſpoliauit, & vtrunque ſibi aſſumpſit. Sed Hieroſolymis expugnatis, Pompeius eum catenis vinctum Romam cum liberis miſit , & Hyrcanum in Pontificatum reſtituit : quo ille primum per nouem annos, deinde per viginti quatuor annorum curriculum functus eſſe dicitur. Hyrcano verò à Parthis in captiuitatem ducto,

Ioſeph. lib. 13. an. c. 18. & ſeq.

cto, Antigonus Ariſtobuli filius Rex & Summus Pontifex creatus fuit. Quem deinde captum in Antiochia ab Herode & ſocio Antonius ſecuri feriri iuſſit. Tunc Herodes Regnum quidem à Romanis accepit; & nullum amplius ex Aſamonæorum familia in Pontificē elegit, pręter vnum Ariſtobulum nepotem illius Hyrcani, qui à Parthis captus fuit. Illum enim tam in gratiam pòpuli, quàm in aui memoriam ſummo Sacerdotio præfecit, in quo eum non diu manere paſſus eſt: quippe qui veritus ne is fortaſſè fauore populi impulſus ſe à Regno expelleret, ipſum in piſcina natantem interfecit; ac deinde Pōtificiam dignitatem, cuilibet ex Sacerdotum numero, quanuis ex obſcuris ortò natalibus, conceſsit. Quem morem eius filius Archelaus in Pontificum creatione obſeruauit: & Romani quoque, qui poſt illum Iudæis imperarunt. Ab Herodis igitur principatu ad Chriſti vſque ortum tredecim Pontifices fuerunt. A Chriſto autem nato ad illud vſque tempus, quo Titus Hieroſolyma ſimul cum templo incendit, ſeptendecim ſecundùm Ioſephum, ſecundùm verò alios vndecim numerantur. Nec dici facilè poteſt, quanti apud Iudæos Pontificia dignitas ſemper habita fuerit, in qua alij alijs continua ſeriè ſucceſſerunt, quouſque per Chriſtum Dei filium omninò ſublata fuit, noua lege, nouo templo, & nouo Sacerdotio inſtituto. Ab omnibus autem ea iudicij norma obſeruata eſt, quam Moſes in Deuteronomio præſcripſit dicens, *Si iudicum verba inter portas tuas videris variari, venies ad Sacerdotem Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem. Qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui pro tempore miniſtrat Domino, ex decreto iudicis morietur homo ille*. Adeò certè, vt Iudæi ſemper ſecundùm præſcriptam ſibi legem illos, qui poſt Aaronem vſq. ad Chriſti aduentum in Cathedra Moſis ſederunt, Pontifices conſuluerint, ac eis non minorem, quàm ipſi Moſi, obedientiam præſtiterint. Quare nemo niſi iniuria inficias ibit, vt ſemper fuerunt aliqui Leuitici generis

Idem li. 15. ant. cap. 3.

Deut. c. 17.

Pontifices,ſic etiam illos in ſacrorum ordinatione primatum iure diuino ſemper obtinere debuiſſe.

Hæc autem cùm hæretici viderent, rectè negari nō poſſe;& ex illa certa Pontificum Leuitici generis ſucceſſione, ſummorū Pontificum principatum in Repub.Chriſtiana cōprobari,quò verſuti homines ſimul & Regū animis inſidiarētur,& ſummis Pontificibus authoritatē interdicerent, eò prolapſi ſunt, vt Reges in Eccleſiaſticis negotijs maiorē authoritatem,quàm ſummos Pontifices habuiſſe affirmauerint,inducti neſcio quibus,non ſatis ad hoc probandum firmis,argumentis; quòd nonnulli Reges nonnullis Pontificibus,quid eſſent acturi, præſcripſerint; alij etiam aliòs è munere depoſuerint. En hæc eorum eſt impudentia, hoc in Sedem Apoſtolicam odium. Quaſi verò Pontificiæ dignitatis authoritas à Deo ipſo inſtituta ex hominum factis aliquandò metienda fuerit. Certè diuina non mutantur vnquam aliquo humano facto, cùm natura ſua ſint immutabilia:nec lex diuina præclariſſimis etiam Regum facinoribus , & Deo probatiſſimis vnquam abrogari poſſe cenſenda eſt:ſed, quid tunc magis expediret, Deus ea ratione oſtendit,vt in ſimili quandoq. cauſa per ſimiles perſonas huiuſmodi aliquid à ſe poſſe fieri declararet . Quod ſanè,ſi vetera memoria repetamus, cuiuis apertè conſtare poterit.Deus enim ab exordio mundi ita virum & vxorem coniunxit vt eſſent duo,non autem plures in carne vna, & vir adhæreret vxori ſuæ.Succeſſu deinde temporis euenit, rerum ſtatu ita hoc poſtulāte, vt vnus vir plures ſimul habuerit vxores:quod de Abrahamo,Iacobo,& Dauide ſcriptum legimus.Nec hoc quidem facto ius illud diuinum,vt dicitur,primęuum mutatum fuit:ſed Deus peculiari priuilegio ſanctis illis Patribus cōceſſit,vt plures ducerent vxores,vt fidelium populus,magis ac magis propagaretur, & Dei cultus in dies augeretur; Dei tamen iure illæſo permanente. Sic ſanè res ſe habet in cauſa Pontificum veteris teſtamenti. Quod enim Ioſues, Dauid, vel eius filius Salomon,

mon, aut alius quiſpiam Rex circa ſacrorum diſpoſitionem ſtatuit, priuilegio diuino, non illis tàm vt Regibus, quàm vt Prophetis conceſſo, non autem iure aliquo communi factum fuiſſe credendum eſt. Quapropter ius illud, quo Deus ſummam iudicandi poteſtatem Sacerdotibus Leuitici generis tribuit, immutatum manſit: non enim priuilegia ius tollunt. Iubebantur quidem Sacerdotes ab omni, quod ebrietatem excitare poſset, abſtinere; *vt haberent ſcientiam diſcernendi inter ſanctum, & profanum, docerentque filios Iſrael omnia legitima Dei.* Vnde in Deuteronomio ſcriptum legitur: *Qui ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino, ex decreto iudicis morietur homo ille;* verum cùm illi legi diuinæ non obtemperauerint, & vitam fædis criminibus polluerint, ex ipſius profectò Dei voluntate, non ſolum à Iudæorum Regibus, ſed etiam ab exteris Principibus graui nonnunquam ſupplicio affecti ſunt. Nam quemadmodum Deus in populum ſuum, quem legis imperio & præſcripto in officio contineri, & pænæ metu à ſcelere arceri voluit, non raró ob flagitia commiſsa acriter animaduertit; ſic etiam Sacerdotes, quibus non ſolum plebem, verum etiam Primates, & Principes ſubdidit, ſæpè ob morum fæditatem exteris Regibus puniẽdos tradidit, vel piorum Principum authoritate coercuit. Idcircò apud Zachariam, inquit, Dominus:

Leuit. c. 10.

Deut. c. 17.

Zach. c. 11.

ואקח לי שני מקלות לאחר קראתי נועם ולאחר קראתי חובלים
וארעה את הצאן׃ ואכחיד את שלשת הרועים בירח אחר׃

Vaecach li ſcene macloth leachad caràthi nogham vlachath carathi chouelim vaerghe & hazon: vahacchid & ſceloſeth haroghim beierach echad. *Et aſſumpſi mihi duas virgas: vnam vocaui decorem, & alteram vocaui funiculum. Et paui gregem, & ſuccidi tres paſtores in menſe vno.* Duæ quidem fuerunt rationes, quæ duæ virgæ appellantur, quibus Deus gregem ſuum, ideſt, Iſraelem paſcere conſueuit. Ha-

rum

rum vna extitit lex, quæ decor, & elegantia non immerito appellari poterat. Iustitiæ enim splendorem, religionis decorem, & moderationis venustatem continebat. Altera verò fuit punitio, qua, cùm Israelitæ legem spreuissent, & se se nefarijs flagitijs coinquinassent, opus fuit, vt ad officium suum redire compellerentur. Ea autem vocabulo multitudinem continente explicatur: quia multi fuerunt, quibus tanquam instrumentis ad puniendum Iudæos Deus vsus fuisse legitur, vt ita valdè agitati ad rectam, quam deseruerant, viam reuerterentur. Ex illorum grauiter in Israelitas sęuientium numero fuerunt Hamonitæ, Moabitæ, Palæstini, Assyrij, & multi alij; qui omnes ita virgæ officiũ præstiterunt, vt Deus Senacheribem furoris sui virgam appellauerit. Nec abs re ipsi dissipantes nominabantur; maximè namque Iudæos vastarunt, & euerterunt: propterea quòd cùm à legis obseruatione recessissent, Deus illos hostium manibus puniendos tradidit. Hunc igitur morem semper Deus in huius populi regimine seruauit, vt vel illum, si legis præcepta adimpleuerat, præmijs cumulauerit, & honoribus insigniuerit: vel eum, si legis præscriptum contempserat, bonis spoliari, & supplicijs opprimi permiserit. Idcircò, cùm præcepta transgrediebantur, in eos hostes excitabat, à quibus capti supplicio graui subdebantur. Contra verò, quandiu in officio persistebant, & legem obseruabant, Deus illos maximis beneficijs afficiebat, & amplissimis honoribus euehebat. Ne quis autem existimaret, Dei negligentia factum esse, vt populus hic effrenata mente rueret, illius scelus & amentiam magis coarguit; *Et succidi*, inquit, *tres pastores in mense vno*. Totum tempus, quo lex Mosaica viguit, mensis vnus appellari potest; quia mensis apud Hebræos, vt etiã apud Græcos, integro Lunæ cursu circumscribebatur: & ideò Luna pro mense poni frequenter solebat. Vnde hoc in loco Hebraici sermonis periti, non vocabulum חוֹדֶשׁ, quod est mensis, sed יָרֵחַ, quod Lunam significat, positum esse,

Esa.c.10.

Esa.c.49.

Zach.c.11.

dili-

diligenter obseruarunt. Cum verò superiori libro exposuerimus, statutam legis conuersionem ei, quam Luna patitur, simillimam fuisse, per tres pastores spacio vnius Lunæ interfectos, non tres solos homines, sed tres hominum ordines, qui Iudæorum Rempub. toto legis scriptæ tempore administrarunt, intelligi oportet. Nam, vt ante legem scriptam Dei populus Patriarchas, à quibus regebatur, habuit: sic post legem primum Duces, vt Mosem, Iosuem, & alios; deinde Iudices, vt Samuelem, Sansonem; postea Reges, vt Saulem, Dauidem, Salomonem; postremò iterum Duces, vt Zorobabelem, & Machabæos adeptus est. Tres ergo Pastorum ordines post legem datam extiterunt, quos Deus populo suo à sceleribus reprimendo præfecit. Sed neque eum Ducum fortitudo, neque Iudicum synceritas, neque Regum potestas, neque Pontificum sanctitas, quibus summum ius, quoad sacrorum constitutionem, & totius religionis stabilitionem erat, refrænare potuerunt. Adeò in scelera præceps semper ruebat.

Non alium autem Deus circa Sacerdotes & Pontifices, quàm circa populum suum, morem seruauit. Quos enim in summa honoris & dignitatis amplitudine creauit; & quandiu ab officio non recedebant, præmijs & muneribus ditabat, & honoribus, & immensis priuilegijs insigniebat; ipsos, cùm officio suo deerant, & vitam criminibus polluebant, populumq. morum fæditate deprauabant, muneribus priuabat, & acerrimè puniebat. *Pactum meũ cum Leui, dicit Dominus exercituum.* Et postea, *Lex veritatis fuit in ore eius.* Prosequitur deinde: *Labia enim Sacerdotis custodient scientiã, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituũ est. Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege: irritũ fecistis pactum Leui, dicit Dominus exercituum. Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis.* Sed nunquid propterea ius illud diuinũ, quod magnam authoritatem Pōtificibus deferebat, mutatum fuisse dicemus? Absit, *Mala.c. 2.*

absit

absit vt aliquis hoc vnquam suspicetur: cùm Pontificia dignitas, amplitudo, & maiestas illæsa semper manserit, atq. in suo perstiterit vigore. Quare si sator omnium, & eorundem moderator, Deus non Pontifices Regibus subdidit, sed eos omnibus in sacrorum administratione, & in causis ad religionem spectantibus præesse voluit: si ipsorum institutio ab ipso Deo directè emanauit, atque prius extitit, quàm vlla Regum non solum creatio, verùm etiam mentio facta est; si Reges, (quorum electionem Deus Iudæis non suasit, sed eam illis non in fauorem, sed in grauamen potius permisit, vt qui se regem abiecerant à Regibus punirentur) à Prophetis, & sacerdotibus inungebantur, & vbi primum electi fuerant, exemplar Deuteronomij à Sacerdotibus Leuiticæ stirpis accipere inbebantur: Si, peccante Sacerdote, Populo, Principe, primus sacrificij honor Sacerdoti, secundus Populo, Principi autem non nisi tertius deferri solebat: si Sacerdos Eleazar, quoties aliquid agendum erat, pro Iosue Deum consulere iubebatur; cùm ad eius verbum tam ipse Iosues, quàm reliqui Israelitæ egressuri, & ingressuri essent: si Rex Iosaphatus præuidens magnum discrimen esse inter Pontificium, & Regium munus præclarè dixisse censetur: *Amarias Sacerdos & Pontifex in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit porrò Zabadias, qui est dux in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent:* Si Sacerdos Azarias laudari solet, quòd Regi Osiæ dixerit; *Non est tui officij, Ozia, vt adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad huiusmodi ministerium:* optimè profectò cum Chrysostomo colligere iam possumus, quemadmodum aliqui Leuitici generis Pontifices semper extiterunt, sic etiam illos in sacrorum ordinatione primatum semper inter omnes diuino quidem iure obtinere debuisse.

Exod. c. 28. & Num. c. 3. — *1. Reg. c. 8.* — *Deut. c. 17.* — *Leuit. c. 4.* — *Num. c. 27.* — *2. Para. 29.* — *2. Para. 29.* — *Chry. ho. 4. in Esa. verba.*

CAP. III.

EX ijs autem omnibus, quæ huc vsque commemorauimus, (vt ad sextã ætatem accedamus, in quam iam inde ab exordio inchoati sermonis ventis remisq. properamus) in hunc modum disserere poterimus. Quemadmodũ quæ

tam

tam ante legem ſcriptam, quàm poſt ipſam hominibus datam imperata, vel geſta ſunt, ad Chriſtum, qui verus legis eſt finis, referenda eſſe conſtat: ita quicquid olim in populo Iudæorum, qui velut futurorum ſignum erat, anteceſſit: ex parte aliqua in Eccleſia, quæ vera Chriſti ſponſa eſt, & os de oſſibus, & caro de carne eius, adimpleri fatendum eſt. Quo fit, vt Apoſtolus Paulus legem cum Euangelio, Moſem, cum Chriſto, Leuitici generis Sacerdotes cum nouæ legis ſacrificis comparet. Quorum tamen illos, id eſt, Leuitas mortem & damnationem, hos verò, id eſt, noui teſtamenti miniſtros ſpiritum & iuſtitiam miniſtrare tradit. Si ergo Chriſtus idē nobis eſt, quod Moſes Iudæis fuit, idemque nobis noſtrorum ſacrorum miniſtri ſunt, quod illis ſui Leuitæ fuerunt, vt inter Leuitas vnus Aaron omnibus Synagogis vbicunque conſtitutis præfuit, & principatum obtinuit: ſic inter eos, qui Chriſto ſacra faciunt, vnū omnibus Eccleſijs præeſſe, & primatum tenere aut ingenuè fatendum, aut legem Moſis hac in re planè optima, & præſtantiſſima nouæ legi anteſtare concedendum eſt. Hoc ſanè ita à veritate abhorret, vt nemo ſit, qui, non dicam concedere, ſed ne id quidem cogitare audeat. Liquet igitur vnum in Chriſti ouili paſtorem eſſe qui cæteris paſtoribus præſit, cuique omnes tam paſtores, quàm oues obediant. Nec mirādum eſt, ſi ad principatum vnius Chriſti Vicarij probandum argumentatione ex veteri Sacerdotio deſumpta vſi ſumus: cùm etiam antiqui Patres à Circuncisione ad Baptiſmum, à manna, vel paſchali agno ad Euchariſtiam, à ieiunijs Hebræorum ad noſtra ieiunia, ab eorum Sabbathis ad dies, quos ſacros habemus, à nonnullis alijs veteribus figuris ad multa, quæ in Eccleſia noſtra fieri ſolent, argumenta non raro deducant. Hinc fit, vt Tertullianus, aduerſus hæreticum Marcionem diſſerens, per duodecim illos Elimi fontes, & duodecim gemmas in Sacerdotalis Aaronis tunica conſutas, & duodecim lapides ab Ieſu è fluuio Iordane collectos, & in arcam fœderis po-

Rom. c. 15. & 1. Cor. c. 10.
Ephe. c. 5.
2. Cor. c. 3.
Tert. lib. 4. cont. Marc. c. 13.
Nu. c. 33.
Exo. c. 28.
Iosue c. 4.

ſtea impoſitos duodecim Apoſtolos ſignificari dicat: & per ſeptuaginta illa palmarum arbuſta, quorum in ſacris literis mentio fit, ſeptuaginta Chriſti diſcipulos exprimi affirmet. Qui poſteà de Petro Apoſtolorum Principe loquens ait: *Mutat & Petro nomen de Simone, quia & creator Abrahæ, & Saræ, & Auſeæ nomina reformauit, hunc vocando Ieſum, illis ſyllabas adijciendo. Sed & cur Petrum? An quia & petra, & lapis Chriſtus? Itaque affectauit chariſſimo diſcipulorum de figuris ſuis peculiariter nomen communicare.* Petrus etiam non ignorans Iudæos gentem ſanctam, & Sacerdotale Regnum à Moſe fuiſſe appellatos eadem nomina Chriſtianis indidit. *Vos autem,* inquit, *genus electum, Regale Sacerdotium, gens ſancta.* Apparet igitur ex veteri ad nouum teſtamentum argumentari licere. Quare quemadmodum in veteri quondam Synagoga vnus fuit Pontifex, qui omnibus alijs Sacerdotibus, vtpotè eorum Princeps, præeſſe conſueuit, vt Sacerdotium Chriſti vnicum fore ſignificaretur; ſic in eiuſdem Chriſti Eccleſia vnum eſſe debere, qui inter omnes principatum teneat, vt &, id quod in Eccleſia fit, legem perfectius impleat, & eius impletionem manifeſtius oſtendat, & vnitas æterni noſtri Sacerdotis luculentiùs appareat, totis viribus & neruis contendimus. *Vt ſciamus,* inquit Hieronymus, *traditiones Apoſtolicas, ſumptas de veteri teſtamento: quod Aaron & filij eius, atq. Leuitæ in templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi, Præsbyteri, & Diaconi vendicent in Eccleſia.* Idem contra Iouinianum diſputans Chriſti miniſtros cum illis, qui in lege Moſaica in ſacris miniſterium prẹſtabant aptiſſimè cõfert. Et in veteri, & in nouo teſtamento alium ordinem Pontificẽ tenere alium Sacerdotes, alium Leuitas haud obſcurè docet.

Exo.c. 19. *1.Petri.c.2.* *Hier. ad Euagr.ep.85.* *Hiero.cont. Iouini. li.2.*

Quoniam tamen Caluinus, atque eius diſcipuli eo ſunt ingenio, vt, non quidem vnum omnibus, ſed ſingulis Chriſti Eccleſijs ſingulos Antiſtites præfici velint, quemadmodum ſub lege veteri vnus inter Leuitas Pontifex extitit: ſciendum eſt, quotquot olim in toto Iudeorũ populo fuerunt ſynagogæ, omnes vni Pontifici ſumma authoritate

prædi-

prædito ſubiacuiſſe, atque eius præceptis obtemperaſſe: quanuis ſingulæ ſuum Archiſynagogum habuerint. Quapropter quotquot etiam in toto terrarum orbe exiſtunt nunc Eccleſię, omnes vni Summo Pontifici, qui Chriſti vices gerit, obſequi debent; licet ſigulis vel præſbyteros, vel Epiſcopos, qui ſibi præſint, habere contigerit. Status enim antiquæ Synagogæ, & totius Leuitici miniſterij non modo ſingulas Chriſtianæ Reipub. Eccleſias, & diuiſas Antiſtitum præfecturas, verum etiam totius Eccleſiæ militantis corpus ex membris omnibus compactum & eleganter connexum expreſſit. Quinimò eo melius totum hoc corpus, quam ſingula membra, ſignificauit, quo totum ſuis partibus perfectius, & præſtantius exiſtit. Vnde non poſſum non ridere Caluini dementiam, qui aſſerit Aaronem non Pontificis nouæ legis, ſed Chriſti figuram expreſſiſſe, ac ideò, cùm eam iam Chriſtus adimpleuerit, nihil inde deduci poſſe, quod pro ſummo in Chriſti Eccleſia Pontificatu faciat. Hoc quidem, vt cætera alia huiuſce hominis, ridiculum eſſe quis nō videt? Nec dubito, quin aduerſarij, ſi, quæ diximus, perpendant, & non ſint animo amplius obſtinato, à magiſtri ſui Caluini ſententia recedant. Nos enim non tam Aaronem, quàm totum ſtatum veteris teſtamenti, figuram Pontificatus, qui nunc in Eccleſia viget, extitiſſe contendimus: cùm, ſicut in veteri teſtamento, quod noui figura eſt, monarchiam fuiſſe cōſtat, ita in nouo vnū, eumq. ſummum principatum eſſe oporteat. Quid autem ſi Aaronem non ſolùm Chriſti, verùm etiam Petri, & omnium qui in tali dignitate ei ſucceſſerunt, typum fuiſſe demonſtrabimus? Rem ſanè extra controuerſiam poſitā relinquemus. Quemadmodum enim olim ſacra, quæ in lege veteri fiebant, ſacrificium illud, quod in cruce exhibitum fatemur, manifeſtè ſignificabant, & ſimul huius ſacrificij, quod nunc in Eccleſia offerri ſolet, typum gerebant: ſic ſummum veteris teſtamenti Sacerdotium repræſentabat, non ſolum illud Chriſti, verùm etiam hoc,

Hebræ. c.7. quod in Ecclesia nunc manet. Non obscurè enim ex Paulo colligitur eandem sacrificij & sacerdotij rationem esse. *Lib.1.* Primam propositionem, licet iam à nobis satis alibi comprobata sit, nonnullis Augustini testimonijs iterum confirmabimus; cùm eam ab aduersarijs negari intelligamus. *Lib. 2. con. Faus. c. 18.* *Hebræi*, inquit contra Faustum Augustinus, *in victimis pecorũ, quas offerebant Deo multis & varijs modis, sicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Christus obtulit: vnde iam Christiani memoriam celebrant sacrosancta oblatione & participatione corporis, & sanguinis Domini*. *Lib. 1. con. aduer. leg. cap.18.* Idem contra legis & prophetarum aduersarios ait: *Quod totum fideles in Ecclesiæ sacrificio sciunt, cuius vmbræ fuerunt omnia priorum genera sacrificiorum.* Huc etiam *Lib. de bapt. c.19.* spectat quod ille contra Donatistas scribit: *Ipse Dominus*, inquit, *quos mundauit à lepra, misit ad Sacerdotes, vt pro eis sacrificium offerretur: quia nondum eis sacrificium successerat, quod ipse posteà in Ecclesia voluit celebrari pro illis omnibus, quia illis omnibus ipse prænuntiabatur*. *De cura pasto. p. 2. c. 4.* Nec ob aliam, credo, causam Gregorius ille Magnus. Omnia, quæ de vestibus & ornatu Aaronis dicuntur, ad eas virtutes refert, quæ in Pontificibus Christianis exiguntur; nec ob aliam etiam rationem D. Cyprianus interpretatur de Sacerdotibus nostris, quæ de veteris legis sacrificis commemorantur; quàm quòd nouum Sacerdotium veteri, & Pontifices Christiani Pontificibus Iudæorum, tanquam figuris à quibus ipsi repræsentabantur, successerint.

Ioannes etiam in Apocalypsi, & Paulus in Epistolis ad Corinthios, & Ephesios, & Salomon ita Ecclesiam, quæ adhuc in terris cõtra omnes fidei & Christianæ Religionis hostes strenuè dimicat, cum Christo coniungunt, vt hunc illius sponsum, illam verò huius sponsam prædicent. Quòd si Ecclesia hæc sponsa nuncupatur, oportet quidem, vt aliquis, reuerso ad patrem Christo, sponsi nomen & dignitatem sustineat. Nam cùm Salomon dixit, *caput tuum vt Carmelus*, *Caut. c.7.* nihil aliud per caput, quam sponsum significare voluit; qui vt Paulus inquit, caput mulieris existit. Cùm

enim

enim, non ſine diuini Numinis afflatu, perpendiſſet immenſæ benignitatis munificentiam, qua rerum omnium Sator & Redemptor Eccleſiam ſuam aduerſus tyrãnorum conatus ſtabiliuit, & tanquam caſtra quædam, ad opprimendam peccati tyrannidem, opportunis in locis collocauit; eiuſdem etiam eximiam pulchritudinem contemplatus fuiſſet; quo omnium animos in illius amorem acriter excitaret ita in illius laudes prorupit, vt ſingulas quidem corporis partes eleganter commendauerit; caput autem, vt, quanto lepore & venuſtate affluat, aliquo modo appareret, Carmelo comparauerit: Carmelus enim mons eſt, qui cæteris illius regionis tam arborum multitudine, quàm fœcunda multarum rerum vbertate longè antecellit. Eſt etiam Summus Pontifex Eccleſiæ caput & ſponſus mons ingens ita omnibus abundans, vt eius fæcunditas ad imas vſque radices tendat. Ex hoc monte cæleſtis ros, quem ille diuino beneficio è cælo excipit; in eos influit, qui ab eius valle non recedunt. Nec ſine Dei prouidentia factum eſſe credendum eſt, vt ipſe longè latèque pateat; vt maximam Chriſtianorum multitudinem Eccleſiæ gremio contineri demonſtretur: hinc enim illud eſt, quod apud eundem Salomonem ſequitur: *Et comæ capitis tui, ſicut purpura Regis vincta canalibus*. Nam quemadmodum comæ ex magno capillorum numero conſtant; *Cant. c. 7.* ita Eccleſia ex innumera Catholicorum multitudine conſiſtit, quæ tota in vno capite, id eſt, ſummo Pontifice copulata eandem Chriſti religionem, idemque baptiſma retinet. Atque eo quidem modo, quo Eccleſia incepit, in æternum progreditur. Ita autem incepit vt paſtores eius inſtitutionis initium fuerint. Nam vt glutinis applicatio, cùm res confractæ inter ſe coniunguntur, ad totius corporis compoſitionem adeò neceſſaria eſt, vt ſine ea ſtare coniunctio non poſſit: ita Paſtorum inſtitutio ad perpetuam totius corporis Eccleſiæ connexionem neceſſaria fuit, vt eius membra conſpicuo vnitatis vinculo, quod Sacerdotes

ſunt

ſunt,copulata conſiſterent. Niſi enim aliquod externum communionis Eccleſiaſticæ vinculum,& aliqua Paſtorum inter ſe copulatio eſſet, actùm iam profectò de vniuerſa Repub. Chriſtiana fuiſſet: cùm tot exortæ eſſent ſectæ, quot Epiſcoporum præfecturæ,& prouinciæ fuiſſent. Quapropter Chriſtus æterni patris ſapientia ita ſe in Reipub. ſuæ inſtitutione geſſit, vt cùm eam in tres ordines, hoc eſt, in ſacrorum miniſtros, ciuiles magiſtratus, & infimam plebem diſtribuerit, hanc quidem multitudinem Paſtorum Eccleſiaſticorum curæ commiſerit, nec tamen ipſos Paſtores in illo ſummæ præfecturæ gradu conſtituerit, ſed eos tanquam optimates in partem laboris vocauerit, à quorum ſingulis ſingulas huius Reipub. partes tã per ſe, quàm per Diaconos,& Præsbyteros gubernari voluit: vnum autem qui manifeſtam Chriſti præſentiam ſuppleret omnibus præfecerit, quo veluti quodam vinculo colligatum totum Reipub. corpus mira pulchritudine conſiſteret. Populum igitur fidelem ad Chriſtianæ Religionis elegantiam,& æternæ ſalutis venuſtatem Eccleſia, vt docet Apo-
1.Cor.c.11. ſtolus, comit ac plicat. Mulier, id eſt, Eccleſia (ſic enim Phi-
Phil. Carpath. Antiſ. lon Carpathiorum Antiſtes exponit) ſi comam alit, ornamento ſibi, & gloriæ eſt. Coma, enim, id eſt, populorum multitudo, qua ſe illa tanquam capillis amicit, & tãquam veſtibus exornat, in capitis ornamentum ei data fuit. Per
Eſa. c. 49. Eſaiam enim Dominus ait: *Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi: viuo ego dicit Dominus, quia omnibus his, velut ornamẽto veſtieris, & circundabis tibi eos quaſi ſponſa.* Id eſt, omnes veniunt, vt tecum vnum corpus efficiant; ac ita, ciuium numero multis acceſſionibus amplificato, multo ampliores opes, & maiorem amplitudinẽ aſſequaris. Eritq. tẽpus, quo tu, veluti ſponſa omni eximiæ elegantiæ ornatu compoſita, horum omniũ virtutibus induaris, atque immenſam ſplendoris magnitudinem, quæ in illis apparebit, tanquam baccata monilia collo appendas. Ita quidem Auguſtinus, Tertullianus, Hieronymus, & Cyril-

lus

lus hunc locum intelligunt: qui omnes volunt his verbis significari Ecclesiam, quæ ex Apostolis, & nonnullis alijs constabat, gentium multarum accessione, quæ, relicto idolorum cultu, ad Christi fidē se recipere debebant, ampliandam esse. Idq. à Salomone non obscurè prædictum fuisse Tertullianus testatur. *Veni de Libano*, inquit Salomon, *sponsa mea: veni coronaberis*. Id est, veni ex gentibus infidelibus. Libanus enim infideliū nationum mons erat: vel etiā, quia Libanus arborē significat, quæ thus, quod ethnici idolis suis incendebant, producit; & à Græcis pro ipso thure capi solet. Quasi dicat Salomon: Veni sponsa à gentibus, quæ thure idolorum suorum aras suffiunt. Eam enim ex idololatria assumptam in sponsam sibi copulauit, ac eā sacro baptismatis fonte abluit, & diuinæ gratiæ nitore decorauit, nec non multis alijs muneribus cumulauit. Quod autē comas capitis Ecclesiæ regiæ purpuræ vinctæ canalibus comparauit, id ad vaticinia de nece ipsius sponsi, ac martyrum prolata referri oportet. Nā quemadmodum purpura sanguineum colorem refert: ita sponsæ cæsaries primum Christi diuini sponsi sanguine lota, deinde aliorum martyrum cruore tincta, aucta, & confirmata purpureum colorē imitatur. Atq. hoc quidem illi maximo est ornatui: estq. illud regale indumentum, de quo Iacobus ad filium suum Iudā, cùm de sponso secundum carnem nato loqueretur, vaticinatus est. *Lauabit*, inquit, *in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum*. Per stolam quæ Christi est amictus, Ecclesia intelligitur: quæ cùm rectè à Salomone sponsa appelletur, post etiam Christi ad cælos reditum, oportuit aliquem ab ipso Christo constitui, qui sponsi nomen, ac dignitatem sustineat, eumque hominem, quoniam cum hominibus versatur. Qui tamen diuina virtute maximè fultus est; quia lucem, quam Christus vniuerso orbi attulit, seruare, ac tueri debet. Quod quidem opus, cùm omnes vires humanas superet, aliter præstare non posset. Non est igitur abs re, quòd cùm Summus Pontifex & sponsus, &

Tertull. lib. 4. cont. Marcio.

Cant. c. 4.

Gen. c. 49.

caput

caput Ecclesiæ alios mortales superemineat, cum editissimo monte comparetur, vt quanta sit eius authoritas, & quanta dignitatis amplitudo, & maiestas manifestè appareat. Ita tamen vt, quanquam se montem esse videt, ad radices montis oculos suos conuertat, & se totum circunspiciat, ac se hominem natum esse meminerit. Tunc enim, se terram omnium elementorum infimam cognoscens, facilè intelliget, quicquid supra humanam conditionem habet; quicquid dignitatis nactus est; quicquid potestatis in causis religionis nostræ retinet, id omne non partum per se, sed diuinitus è cælo sibi datum esse.

CAP. IV.

1. Cor. c. 11.

QVemadmodũ verò caput mulieris vir est: sic certè omnis viri caput Christus; caput verò Christi Deus. Sic enim Paulus gradatim ab humilioribus ad Dei immensitatem ascendit. Quid hoc? Sanè vir mulieris caput appellatur: quia ea ex costa viri à Deo formata fuit, & facta est os ex illius ossibus, & caro ex ipsius carne: & quia, vt cætera membra capiti subsunt, sic vxor marito subiacet: Christus omnis viri caput est; quia, cùm sit Dei virtus, & Dei sapientia, per eum creatus, & captiuitatis vinculo solutus est. Deus verò Christi caput dicitur: quoniam Deus pater ipsum Christum secundum diuinitatem ab æterno gignit. Quinimò ipsi secundum humanitatem omnis dignitatis, & omnis gloriæ author existit. Porrò Summus Pontifex conspicuum huius Ecclesiæ, quæ in terris nunc militat, caput sine dubio est: qui diuino munere illi, tanquam vir, datus eius curam gerit, & honorem, ac dignitatem tuetur. Huius quidem viri caput Christus est, qui eum in tam sublimi dignitatis culmine statuit, &, ne inde cadere posset, virtute maxima muniuit, & insuperabili vi ad hostium conatus reprimendos dotauit, & Spiritus Sancti calore inflammauit. Quæ omnia facilè potuit præstare: quia Deus eius caput existit. Vnde cùm Ecclesia admirandam sponsi sui pulchritudinem descripsisset, præclarè dixit; *caput eius aurum optimum*. Id est, caput eius, quod supremum to-

Cant. c. 5.

tius

tius corporis locum obtinet,ita elegans & venuſtum eſt, vt ex auro eleganter factum , & veluti quibuſdam ſummi pretij gemmis ornatum eſſe videatur . Si verò ſponſæ verba ad Chriſtum hominem referas , per caput eius Patriarchas, & herois illos virtute præditos, & iuſtitiæ ornamentis conſpicuos,à quibus originem duxit , poteris intelligere,qui,tanquam aurum igne,multis fidei argumentis perſpecti & explorati maximè fulſerunt . Hunc tamen locum ſeptuaginta interpretes aliter intellexiſſe videntur, legunt enim: *Caput eius aurum Cephas* . Quo quidem vocabulo, quod nos petram , vel firmitatem interpretamur , illi aptiſſimè fidei ſtabilitatem declarant , quam ſanctiſſimi Patriarchæ præſtiterunt;vel Petrum, qui & Cephas dicitur , caput ipſius ſponſæ aliquandò futurum fuiſſe demonſtrant. Hunc enim poſteriorem ſenſum Philon ille Carpathianorum *Phil. Carp.* Epiſcopus,qui ab hinc mille ducentis annis, ac eo amplius ſcripſit,haud obſcurè elicit . Vtcunq. tamen ſe res habeat, per aurum ſapientia intelligitur,quàm Dei filius Patri ſuo coæternus , & coæqualis deſignat . *Comæ eius* , proſequitur *Cant.c.5.* ſponſa, *ſicut elatæ palmarum, nigræ quaſi coruus.* Capilli eius ſunt veluti palmarum fructus , cùm primum è ſiliquis erumpunt, & corui nigredinem imitantur . Nam de mortis oppreſſione, & de generis humani in libertatē aſſertione eas Chriſtus cogitationes ſuſcepit, quæ denſiſſimis tenebris inuolutæ non ſolùm humanum,verùm etiam cæleſtem intellectum longè ſuperant . Niſi mauis cum eodem Philone per ſponſi comas ſanctos viros militantes,Apoſtolos,& iuſtos omnes intelligi . Nam vt capiti eius Patriarchæ comparati ſunt,propterea quòd Chriſtus ex illis,quatenus homo eſt,originem ſumpſit: ſic comæ ad Apoſtolos, & cæteros omnes , qui virtute excellunt optimè referri poſſunt. Quos ſponſa nō alia de cauſa palmarum frondibus,& corui nigredini aſſimilat, quàm quòd multis laboribus agitati nunquam aduerſis ſuccumbere debeant: ſed eos,ad ſimilitudinem palmæ, quo maiori ærumnarum onere gra-

uantur eò altius tendere oporteat. Sed quorſum hæc tam multa? Sanè eò cuncta diriguntur, vt, cùm Eccleſia militās ſponſæ nomen, Chriſto etiam iam ad Patrem reuerſo, obtineat, & corpori aptiſſimè comparetur, ei & ſponſum, & caput eſſe, ſecluſo eodem Chriſto, manifeſtius appareat. Quod tamen caput longè ab illo cæleſti ſponſo differt. Chriſtus enim caput vitale eſt, quod cum vita gratiam, & eximia Spiritus Sancti dona in Eccleſiam infundit: Summus verò Pontifex caput miniſteriale eſt, per quod illa vita, & gratia, & Spiritus Sancti munera cum corpore hoc myſtico communicantur. Chriſtus verus ille & legitimus Eccleſiæ ſponſus eſt, qui eam ſanguine ſuo comparauit; *& ſe ipſum tradidit pro ea: vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi in glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata:* ſic enim Paulus diuino ſpiritu afflatus nos docuit. Sed quia Chriſtus ex hac vita ad patrem migraturus erat, nec, mortali iam conditione exutus, ea præſtare per ſe ipſum poterat, quæ neceſſariò ſponſi munus comitantur, idcircò vicarium ſibi conſtituit, cuius curæ & fidei ſponſam ſuam cõmiſit. Hic autem diuini numinis impulſu ita ſe in prouincia ſibi à Chriſto demandata gerit, vt, quæcunque agit, ea ſolertiam humanam, & induſtriam omninò ſuperent. Cùm ergo Summus Pontifex tantam dignitatem adeptus ſit, vt Chriſti vices gerat, & miniſteriale caput Eccleſiæ appelletur, ac inter cæteros mortales in Imperij amplitudine, tanquam Carmelus inter omnes illius regionis montes, emineat, rectè profectò cum Carmelo comparatus eſt.

Act. c. 20. Epheſ. c. 5. ad Tit. c. 2.

Præterea, tam ſacri vates, quàm ipſemet Dei filius Chriſtus Saluator & Redemptor noſter Eccleſiam ouili, & Regno aſſimilant: aliquem ergo eſſe oportet, qui Paſtoris, & Regis nomen ſubeat, à quo grex, & Regnum rectè gubernentur. Vt quid enim Chriſtus eorũ, qui ſibi nomen dediſſent, congregationem ouium gregi comparauit, ſibi verò

paſtoris

pastoris nomen assumpsit? Sanè vt manifestè ostenderet, quàm maxima vigilantia se hominum saluti prospicere. Quod tamen non omninò curam & vigilantiam ab eo nobis impensam exprimit (cùm illa nullo verborum apparatu satis explicari queat) sed aliqua ex parte nobis eam ante oculos ponit: quatenus ex similitudine à rebus nobis cognitis deducta ostendit, vt in cognitionem diuini illius amoris, quo nos ille prosequitur, aliquo modo peruenire possimus. Hanc enim diuinæ in homines beneuolentiæ immensitatem nec commodius, nec aptius aliud, quàm pastoris nomen aliqua ratione exprimere potuisset. Pastor enim, qua pastor est, non suo peculirri commodo inseruit; sed ouium vtilitati adeò studet, vt nihil aliud pensi habere videatur. Die nocteque de grege suo solicitus est: illum modò ad pascua, modò ad aquas ducit. Si quo in loco noxias herbas nouit, ab eo pecus amouet, ne oues carpendo nocumentum aliquod accipiant. Labori nunquam parcit; æstuum vehementiam contemnit; frigoris iniurias nihili facit. In lupos ouili insidiantes inpauidus ruit; nec prius desistit, quàm eos in fugam vertit: in eam denique curam semper incumbit, vt benè ouibus esse possit, & noua fœtura grex augeatur. Sic sanè Christus in gregem suum se gessit, & admirabili cura eius saluti consuluit; deditque operam, ne si aliqua ouis morbo laboraret, reliquas inficeret. Peculiarem tamen solicitudinem in Apostolos ostendit, quos singulariter instituit, & diuinis præceptis informauit. Hos etiam, cùm opus fuit, verbis absterruit: nam & Petro dixit: *Vade post me Satana*. Et vniuersis discipulis aliàs *Matth.c. 4.*
dixerat. *Nunquid & vos vultis abire?* Quibus verbis expauefactus Petrus fuit, & tremebundus pro omnibus respondit: *Ioan.c. 6.*
Domine quo ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Rursus, cùm salutis ratio aliud postulauit, eos benignè ad se allexit, & clementer fouit, ac ita se in singulos præstitit, vt nihil magis cupere visus sit, quàm eos, diuinis opibus firmos, copijs locupletes, & gloria fulgentes in cælesti sede collocatos aspice-

re. Ex quibus omnibus apertè constat, quàm æquo iure Christus Pastor appellari voluerit; & quàm rectè fideles omnes oues eius dicti sint. Quod nomen cùm adhuc quotquot vbique terrarum sunt Catholici retineant, & Christi extent oues oportuit aliquem huic gregi constitui, per quem ipse Christus verus Pastor, qui animam suam posuit pro ouibus suis, eius saluti consuleret. Qui ad Domini exēplum sedulam nauaret operam, vt oues in locis herbidis pascerent, & eas post pastum ad saluberrimas veræ sapientiæ aquas adduceret, vt sitim iucundo haustu extinguerent: quique ipsas, si à recta via deflexissent, continuò per semitas iustitiæ reduceret, curaretque vt omnes illarum rationes ad legis sanctitatem redigerentur. Vnde cùm Dominus dixisset: *Et ego alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & eas oportet me adducere*, protinus adiunxit, *& fiet vnum ouile, & vnus pastor*. Quæ verba B. Cyprianus de secundario pastore, hoc est Petro, & eius successoribus aptissimè exponit. Nam cùm Dominus dicit, sibi alias esse oues, quæ non sunt ex hoc ouili, ethnicorum, & Iudæorum populum intelligit. Ex ethnicis enim multi fidem Christianā suscepturi erant, quam iam plurimi, qui ad populum illum Iudaicum minimè spectabant, profitebantur. Nam quamuis, si verba de vno pastore facientes, Deum intelligamus, semper extiterit vnum ouile ex ethnicorum, & Iudæorum populis collectum, cui vnus pastor semper præfuit: non tamen semper hi populi fuerunt vnum ouile, aut vnum pastorem, quod ad humanam gubernationem attinet, habuerunt: nam qui ex ethnicis profecti verum Deum summa obseruantia colebant inter ethnicos degentes, à Iudæorum Pontifice minimè regebantur. Sed postquam Dei filius humanam induit naturam, ex vtroque populo vnum ouile constituit, vt omnes homines, qui fidem iam susceperant, vel suscepturi erant, ab vno humanæ conditionis pastore regerentur.

Ioan.c.10.

Cypr.ep.77.

Non enim mysterio vacat quod Hieronymus tradit, vbi

vbi Iacobus quondam gregem ſuum pauerat, hoc eſt, in ciuitate Bethle Chriſtum natum fuiſſe: vt, ſcilicet, ſignificaretur tempus illud affuturum, quod verus paſtor olim promiſerat, dicens: *Ecce ego requiram oues meas, & viſitabo eas: ſicut viſitat paſtor gregem ſuum: & liberabo eas de omnibus locis, in quibus diſperſæ fuerant in die nubis, & caliginis.* Et paulò poſt: *& ſuſcitabo ſuper eas paſtorem vnum, qui paſcat eas, ſeruum meum Dauid; & ceſſare faciam beſtias peſſimas de terra.* Huius etiam loci, & tēporis meminit ſacer ille vates Michæas; ita enim ait.

Lib. de tradit. hebr. & in Epitaph. Paulæ ad Euſto.
Beda. lib. 1. in Luc. c. 2.
Ezech. c. 34.
Mich. c. 4.

וְאַתָּה מִגְדַּל־עֵדֶר עֹפֶל בַּת־צִיּוֹן עָדֶיךָ תֵּאתֶה וּבָאָה הַמֶּמְשָׁלָה
הָרִאשֹׁנָה מַמְלֶכֶת לְבַת יְרוּשָׁלִָם׃

veattà migdal nghèder ngophel bat-tſion ngadècha tehte vuaà hamemſcialà hariſcionà mamlèhet leuà Ieruſcialaim. Quæ ſeptuaginta viri ſic interpretati ſunt. *Et tu turris gregis ſqualens filia Sion, ad te veniet, & ingredietur principatus, primum regnum de Babylone filiæ Hieruſalem.* In ea autem opinione eſt Hieronymus, vt putet idcircò ab illis additum fuiſſe de Babylone (cùm nec in Hebræo codice, nec apud alios interpretes hoc verbum reperiatur) quòd ſignificare voluerint populum egredientem de captiuitate Babylonica veniſſe Hieruſalem. Vatablus verò, expoſiturus vaticinium iſtud de Regno Chriſti, Hebræa ad verbum tranſtulit: *Et tu turris gregis, propugnaculum filiæ Sion, vſque ad te veniet, veniet inquam, imperium priſtinum (&) regnum (ipſi) filiæ Hieruſalem.* Sed melius Pagninus (quanuis nec ipſe reprehenſore careat) ſeptuaginta interpretes hac in re ſequutus vertit: *Ad te autem turris gregis, turris filia Sion, vſque ad te veniet, & veniet dominium primum, primum regnum filiæ Sion:* non enim, vt Vatablus, turris, ſiue propugnaculum filiæ Sion, ſed turris filia Sion, ſi Hebræa rectè expendantur, legendum eſt. Miror tamen ab vtroque verbum עֹפֶל, quod tenebras, ſiue nubilum ſignificat, fuiſſe prætermiſſum. Quare, cùm noſter interpres verbum è verbo ita vertat, vt nullum prætermittat, & ad Hebraicam veritatem, & proprij idiomatis vim ac proprieta-

Hierony. in comment.

prietatem Sacri vatis mentem exprimat, illius profectò editio cæteris omnibus præferenda eſſe cenſetur. Sic ergo ille: *Et, tu turris gregis nebuloſa filia Sion, vſque ad te veniet: & veniet poteſtas prima regnum filiæ Hieruſalem:* nam Hieroſolymorũ ciuitas, turris gregis appellata eſt: quod Hieronymus te-
Gene. c. 35. ſtatur exponens illud Geneſeos: *Egreſſus inde fixit tabernaculum trans turrim gregis*, ſiue, vt expreſſe legimus in Hebræo codice

וַיִּסַּע יִשְׂרָאֵל וַיֵּט אָהֳלֹה מֵהָלְאָה לְמִגְדַּל־עֵדֶר׃

vaiſagh Iſrael vaiet aholoh mehaleah lemigddal ngheder: *trans turrim ngheder*, hoc eſt, congregationis; (עֵדֶר enim gregem in vnum congregatum ſignificat:) quem locum, vt idem ait, Hebræi eſſe volunt, vbi poſteà templum conditum fuit; & turrem ngheder nihil aliud ſonare, quàm turrem gregis, ſiue congregationis: eoque tempore Iacobum trans locum illum, in quo, labentibus deinde annis, templum conſtructum eſt, tentoria fixiſſe. Recentiores tamen, qui de regione illa, quam ſanctam appellamus, ſcripſerunt, turrem gregis locum iuxta Bethlem eſſe malunt, vbi Angelus Chriſti ortum paſtoribus annuntiauit, quam ſententiam Hieronymus magis approbat: qui tamen turrem gregis hoc in loco templum, licet ſuboſcurè, interpre-
Matth.c.21. tatur, de quo eſt illud apud Matthæum: *Homo erat pater familias, qui plantauit vineam, & ſepem circundedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim.* Vbi dubium, inquit, non eſt, quin templum illud ſignificetur, de quo Michæas loquitur: *Et tu turris nebuloſa filia Sion.* Nec abs re vllo modo eſt, quod templum turris עֵדֶר, id eſt gregis, ſiue cætus appelletur; cum grex, ſiue congregatio Domini ex omnibus filijs Iſraelis conſtans ter ſingulis annis ex tota promiſſionis terra illuc confluxerit. Siuè igitur turris gregis hoc ſignificet; ſiuè illud, quod prius diximus deſignet; ſiuè vtrunque exprimat: vrbs ipſa Hieroſolyma à parte nomen ſibi vendicauit: quemadmodum à monte, qui ſibi imminet, Sion appellatur. Nec profectò errabit, qui totam ipſam vrbem tur-

rem gregis appellari contenderit: quam Michæas nebulosam dicit propter insignem altitudinem, quippe quæ in altissimo monte condita fuit, & sublimibus ædificijs excelluit. Tradit autem Hieronymus duas turres Hierosolymis fuisse, quarum vna עֹפֶל Tenebræ siue Nubilū diceba-tur (sic enim Hebraica dictio vertitur) propterea quòd ita ampla & excelsa erat, vt nubes tangeret: altera vocabatur בֹּחַן Probamentū, & Firmitas, siue, vt Symachus vertit, Inquisitio. Quod nomen illi fuit impositū quia oculi in eius fastigij contēplatione fallebantur. Turris igitur nomen tribuit ciuitati propter altitudinem qua ipsa eminebat. Vnde Michæas ad Hierusalem sermonem suum conuertens dixit: *Vsque ad te veniet, & veniet potestas prima regnum filiæ Hierusalem*, siue vt Chaldæus Paraphrastes mirificè vertit, *Hierony. in Esa.c.32.*

ܘܐܢܬ ܡܫܝܚܐ ܕܝܣܪܐܝܠ ܕܛܡܝܪ ܡܢ ܩܕܡ ܚܘܒܝ ܟܢܘܫܬܐ
ܕܨܗܝܘܢ ܠܟ ܥܬܝܕܐ ܡܠܟܘܬܐ ܠܡܐܬܐ ܘܬܐܬܐ
ܫܘܠܛܢܐ ܩܕܡܝܐ ܠܡܠܟܘܬ ܟܢܘܫܬܐ ܕܐܘܪܫܠܡ ܀

Vat mciho disroiel dattmir men kdom hhaubai chnuscto dssehiun loch htido malcutho lemath dnithe sciulttono kadmoio lmalchuth chnuscto duresclem. Volui autem hæc Syriacis potius, siue Chaldaicis, quàm Hebraicis literis conscribere, quòd omnia vocabula Chaldaica esse repererim. Hoc vnum tamen aduertendum duxi: Inter Syriacam & Chaldaicam linguam non nihil discriminis in sola extremæ vocalis mutatione constitui. Quæ enim nomina in primeua huius idiomatis institutione vocalem ܵ, A. sortiebantur in fine dictionis, modo per ܿ, O. terminantur. Et quæ per ܼ, I, in fine proferebantur, modò illud in prolatione nec retinent, nec patiuntur. Præter hanc autem, quam iam inde à multis sæculis peritissimorum virorum eiusdem nationis industria & solertia

in eius reformatione constitutã fuisse, memoriæ proditum est, nullam inter Chaldaicam & Syriacam linguam differentiam reperies. Igitur Chaldaicam paraphrasim Latinè sic interpretamur: *Et tu Christe Israel abscondite ab ante* (phrasis est Syriaca, idest, propter) *peccata synagogæ Syon: tibi futurum est Regnum, quando veniet dominium primum Regno Synagogæ Hierusalem*. Hoc est, Ad te ò Hierusalem veniet pristina potestas, quam olim habuisti, quæ est Regnum tuum: hoc enim noster interpres ita insinuasse mihi visus est, vt significauerit Hierosolymam Regnum Dauidis iterum visuram: quod Chaldæus Paraphrastes haud obscurè ostendit. Qui istud? Videbit ipsa Christum verum Iudæorum Regem. Οὗτος (inquit Angelus Gabriel apud Lucam) *ἔσται μέγας καὶ υἱὸς ὑψίστου κληθήσεται. καὶ δώσει αὐτῷ Κύριος ὁ Θεὸς τὸν θρόνον Δαβὶδ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ. Καὶ βασιλεύσει ἐπὶ τὸν οἶκον Ἰακὼβ εἰς τοὺς αἰῶνας καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ οὐκ ἔσται τέλος. Hic erit magnus & filius altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni eius non erit finis.*

CAP. V. QVAE autem & quales hæc Dauidis sedes, & hæc Iacobi domus futuræ essent, magna fuit semper controuersia, quæ non aliunde emanauit, quàm ex eo fonte, ex quo errores omnes iam longè antè actis sæculis, & his nostris etiam temporibus effluxerunt, propterea quòd illi, qui tantum Regem, & tam sublime illius Regnum auersati sunt, partem quandam scripturæ de eo loquentis inspexerunt; reliqua verò prorsus neglexerunt: cùm, sicut non pars vna imaginis, cuius pulchritudinem contemplari volumus, sed tota singilatim inspicienda est, sic cuiusque scripti totus scopus, tota simul analogia, tota rerum series atque connexio considerari debeat, vt integer illius germanus sensus percipi queat. Hoc autem in sacris scripturis maximè elucet: quarum quidem nihil nouisse censendus est, qui vnam tantum earum partem nouit: ipsæ enim non tam verba, quàm altissimum rerum sensum, qui in toto ipsius corpore latet, continent. Vnde fit, vt multi, quos

hære-

hæretica prauitas oppressit, alteram tantùm sacrorum eloquiorum partem considerantes, vel sola verba inspicientes, ea, quæ scripturæ maximè aduersantur, scripturæ consentanea esse putent, & quæ scripturam ipsam sapiunt, ab ea alienissima esse iudicent. Nos autem qui verum sacri monumenti sensum, quem sancti Patres non sine diuini spiritus afflatu inde elicuerunt, sequimur, vtranq. sacram paginam attentis animis scrutantes hoc Dauidis Regnum (quod ad rem, de qua agimus, spectat) neque penitus terrestre, neque omninò cæleste, aut spirituale, sed partim terrenum, partim etiam spirituale fuisse dicimus. Qua ex parte terrenum, ciuile, ac politicum fuerit; apertè id sanè constat. *In matutino* inquit ipse Dauid, *interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Domini, omnes operantes iniquitatem*. Ps. 99. Spirituale autem fuit, non solum qua ratione vmbra, & figura quædam Christi regni erat: sed multo magis, quia cælestis patriæ promissiones acceperant, illumque populum sub se continebat, qui promissionem, & signaculum fidei, hoc est circuncisionem, atque æternæ patriæ spem, & multa alia futuræ vitæ pignora habuerat. Tum etiam, quia totum hoc Dauidis Regnum non solum in illud incũbebat, vt in præsentis vitæ curriculo saluum & incolume maneret: verùm eò tendebat, vt ad cælestem illam, æternãque patriam aspiraret, & feliciter perueniret. Eodem sanè modò prestantissimum Christi Regnum cuius illud Dauidis typus manifestus fuit, non terrestre solum, & temporale, sed cæleste quoque, & spirituale, ac æternum esse oportuit. Spiritualis Regis est, sacra Deo instituere, & de ipso veram doctrinam tradere, falsa dogmata delere, humanas quasdam leges vel penitus tollere, vt diuinæ subrogentur, vel ita interpretari, vt diuinis sanctionibus nulla ex parte repugnare videantur: salutem item largiri, iustitiæ amorem animis inserere, cælestem patriam subditis donare. Illa verò ciuilis, &, vt Græci vocant, politici Regis sunt, quæ Mesiæ in spiritu præcabatur quondam Regius Psaltes.

Pſ.71. *Deus*, inquit ille, *iudicium tuum Regi da: & iuſtitiam tuam filio Regis, iudicare populum tuum in iuſtitia, & pauperes tuos in iudicio. Suſcipiant montes pacem populi, & colles iuſtitiam: iudicabit pauperes populi, & ſaluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem.* Quæ omnia Chriſtus Redemptor noſter exactiſſimè præſtitit, qui authore ſempiterno ſuo parente Spiritus Sancti vnctione
Luc.c.2. delibutus eſt. Nam paſtoribus angelus dixit: *Natus eſt vobis hodie Saluator mundi, qui eſt Chriſtus Dominus.* Etenim Saluator, qui populum ſuum reſtituat per ſacros vates frequenter repromittitur. Ad hunc videndum filiæ Hieroſolymorum
Zacha.c.9. præparabātur apud Zachariam dicentē: *Ecce Rex tuus veniet*
Eſa.c.45. *tibi iuſtus & Saluator.* Huius aduentum Eſaias videre maximè cupiebat: *Rorate*, inquit ille, *cæli deſuper, & nubes pluant iuſtū, aperiatur terra, & germinet Saluatorem,* Et rurſus ait idem: *Non eſt abſque te Deus. Vere tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Saluator. Et*
Cyril.in Eſa. *quomodo Deus abſconditus*, inquit Cyrillus Alexandrinus, *niſi in carne?* Quod certè ita fieri oportuit, vt infirmitate virtus, humanitate diuinitas, ad proſternendum humanæ naturæ nequiſſimum, hoſtem, celaretur. Hoc enim Summi Dei noſtri conſilium fuit, quod Græci στρατήγημα, appellant; vt ſic illuſum generis humani aduerſarium Chriſtus ſuperaret, noſque ex arctiſſimis illius vinculis
Pauli.ep.4. ad Seuer. ſolueret. Vnde Paulinus Nolanus inquit: *Ideo dictum puto, frater non redemit, redimet homo; quia quos frater non redemerat, hoc eſt, Propheta, & legislator, qui homo tantum erat, hos homo redemit, qui & Deus erat.* Nec angelus ſatis eſſe duxit eum Saluatorem appellare, ſed & Chriſtum, id eſt, vnctum, vocauit. Eundem etiam Dominum dixit, quia quanuis infans, & in vili abiectoque loco in lucem editus, ac ſuſceptus, erat tamen
1.Tim.c.6. *Rex Regum, & dominus dominantium,* qui verum in omnem creaturam ius, & imperium habebat. Nam cùm nos è captiuitate, qua miſerè detinebamur, erepturus eſſet, eum omniū noſtrum dominum eſſe oportebat: cùm nemo ab iniuſto poſſeſſore rem iniuſtè detentam vendicare poſſit, niſi is, qui dominium habet. Natus eſt ergo ipſe dominus, vt rem

suam exigeret,& se sponte in redemptionis pretium traderet. Ob quam rem nō ipsum angelus dominum Iudææ, aut alicuius alterius prouinciæ,sed dominum sine loci adiectione appellauit; quia totius mundi verus erat dominus, qui è cælo descendit, vt perditam creaturam requireret, prostratam erigeret,mortuam suscitaret. Quod quidem nemo alius ab ipso,qui & idcircò etiam Christus dicitur, præstare potuisset. Est hoc etiam maxima admiratione dignum, quòd, cùm alij non, nisi, postquam ad maturam ætatem perueniunt,aut in Sacerdotes, aut Reges vngantur, Christus in ipso ortu & in Sacerdotem & Regem vnctus fuit. Vnxit autem illum Deus oleo exultationis præ participibus suis. Non enim idem oleum, non eadem participatio, non idem ordo in omnibus esse solet. Vnxit eum Dominus Spiritu Sancto, cuius plenitudo, imò ipsemet Spiritus, & ipsamet diuinitas humanitatem Christi perficiebat: ac ideò Saluator noster ab ipso conceptionis tempore Christus appellari potest: qui demum post obitum suum in suis Vicarijs temporali Regno potitur,non solum in Iudæa, verùm etiam in vniuerso terrarum orbe. Hoc enim est,quod à Domino per sacrum vatem Nathan Dauidi promissum est: *Cùmque completi fuerint*, inquit Dominus, *dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod ægredietur de vtero tuo,& firmabo Regnum eius,& stabiliam thronum eius in sempiternū.* Lib. 2. Reg. c. 7. Ea tamē differentia inter Regnum Christi,& Regnum Dauidis fuit: quia in huius Regno, quicquid temporale, ac terrenum erat, id multo magis apparebat; quicquid autem spirituale aliquid spirabat, id multo tenuius, ac obscurius existebat: contra verò in Iesu Christi imperio, illud omne, quod terrestre ac temporale est,nō tam apertè patet; quod autem spirituale & cæleste est, id in eo longè eminet: quantoque anima excellentior corpore existit, tanto Regnum Christi omnibus alijs Regnis præstat;& ideò ab spiritu potius, quàm à carne gubernatur. Quamobrem sancti patres illud plane spirituale, & cæleste, sumpto à nobiliori parte

nomine, appellarunt: ita tamen, vt illam alteram partem, quæ ſub oculos cadit, & in hoc mundo verſatur, ordinemque ſuum hierarchicum tuetur, minime excluſerint. Tradunt etiam ſacri vates Regnum Dauidis, ex illa parte, qua terrenum erat, & ſub aſpectum veniebat, periturum quidem fuiſſe: ex ea verò, qua ſpirituale exiſtebat, perpetuò duraturum eſſe; & ad eos potius pertinere, qui Iacobi, & Dauidis fidem, quàm qui carnale, vt ita loquar, genus ſequuti ſunt. Quod tamen ne Apoſtoli quidem tunc rectè intellexerunt: ſed tempus ipſum, & res ipſa id apertiùs poſteà patefecerunt. Nam Princeps ipſe Dauid inquit: *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum: & de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea, hæc, quæ docebo eos, & filij eorum vſque in ſæculum ſedebunt ſuper ſedem tuam*. Huc etiam ſpectat, quod Dominus per eundem prophetam alibi loquitur. *In æternum*, inquit, *ſeruabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele ipſi: & ponam in ſæculum ſæculi ſemen eius; & thronum eius ſicut dies cæli. Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint. ſi iuſtitias meas profanauerint, & mandata mea non cuſtodierint; viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum: miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo: neque nocebo in veritate mea, neque profanabo teſtamentum meum, & quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita*. (Hebraicè eſt, לֹא אֲשַׁנֶּה, lo aſciane: non mutabo & variabo promiſſiones meas.) *Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar ſemen eius in æternum manebit, & thronus eius ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum fidelis*. Atque hæc quidem de Regno Dauidis, quod regnante eius ex filio nepote Roboa ſciſſum eſt, nequaquam intelligi poſſunt. Reliquum igitur eſt, vt de Regia Dauidis maieſtate, quæ in Chriſti Eccleſia viget, neceſſariò ſint exponenda. Illud enim, *ſi Dauid mentiar*, formula eſt ius iurandi, ſupplendum ſiquidem eſſet, habear mẽdax, aut quid ſimile; quaſi apertius & explicatius dixerit: nequaquam Dauidi mentiar, fœdus meum nequa-

Pſ. 31.

Pſa. 88.

quam

quam irritum faciam, & quod ex ore meo ſemel emiſſum eſt, non immutabo: per ſanctitatem enim meam iuraui futurum, vt nunquam Dauidi fidem à me datam vlla conditione fallerem. At iureiurando ſolemniter me obſtrinxi fore, vt ſemẽ illius eſſet æternum (זֶה הוּא מֶלֶךְ הַמָּשִׁיחַ, zè humelech hameſchiah, iſte eſt Rex Meſſias, inquit R. Anonymus:) Et ſolium, ſiue thronus eius in conſpectu meo in omni temporis æternitate, Solis inſtar, clariſſimam lucem diffunderet. Thronum certè Dauidis, Regiam eius maieſtatem & potentiam in Eccleſia, ſeu populo Dei vigentem appellat: cuius hæreditas, authoritas, ius, eſt in Chriſto, miniſterium in Chriſtianis Pontificibus, vt, præter Athanaſium, præclarè docuit Epiphanius: ſic enim ille ait. *Thronus Dauid & Regia ſedes, eſt Sacerdotium in ſancta Eccleſia, quam dignitatem Regiam, ſimulque Pontificam, ſimul coniunctim largitus eſt Dominus ſanctæ Eccleſiæ ſuæ, translato in ipſam Throno Dauid non deficiente in æternum.* Vt quamuis à Turcis, & hæreticis, cæteriſque impijs hominibus hanc ſedem aliquibus in locis, in quibus iſti Chriſtianum nomen, cum Chriſtianis Pontificibus extinxerunt, in terra colliſam & proſtratam videas: certiſſimè tamen teneas hoc Chriſti Regnum etiam in terra perpetuum futurum. id eſt, vſque ad conſummationem ſæculi. Nam Eccleſia, in qua regnat Chriſtus per fidem, & per ſuos miniſtros, eò vſque cum vtraque adminiſtrandi ratione perducetur; ſicque perpetuò erit aſpectabilis & conſpicua. Neque enim vnquam hæreticorum, vel barbararum & immanium nationum pedibus tota ſimul ſubſternetur: ſed æquè perpetua erit ac Sol. Et vt Lunæ natura ſtabilis omni tempore, ad nocturnas tenebras ſplendore ſuo diſpellendas, & maturitatem rebus afferendam, in cælo permanet: & quemadmodum cælum minimè à ſtatu ſuo vlla rerum humanarum conuerſione deijcitur, ſed fide ſempiterna, ad rerum omnium, quæ intra illud ſunt, conſeruationem, in orbem conuertitur, ita Imperium illius ſemper in tenebris etiam lucebit, & ſemina rerum conſeruabit, & nullis ſæ-

Atha. in Euang. de s. Deipara. Epipha. hær. 29.

lis sæculis interibit. Et hæc quidem sunt diuinæ, atque sempiternæ veritatis oracula, quæ eleganter, & magnificè ipse Deuid commemorat: sed multò distinctius à sacro vate Hieremia eadem tradita reperies. Narrat enim quatuor filios à Iosia probo quidem ac grato diuino numini viro genitos fuisse, Ioachazum, scilicet, & Ioachinum, Sedechiam, & Selumnum: ex quibus Ioachinus cùm omni flagitiorum genete vitam fœdasset, & se tyrannico more in Dei populum gessisset, & de viduarum & pupillorum, atque aduenarum causis ad se delatis vel non cognouisset, vel non rectè statuisset, & iudicauisset, Deum ad iram prouocauit: cuius vestigijs Ieconias, tam paterni Regni, quàm scelerum successor, incedens ipsum Deum vltorem sensit. Hoc autem Hieremiam Dominus celare noluit, sed ei potius præcepit vt vltimum, quo ad humanam dignitatē, Regni Dauidici occasum in commentarios referret. *Hæc*, enim, *dicit Dominus: scribe virum istum sterilem: virum, qui in diebus suis non prosperabitur: nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat vltra in Iuda.* Quo in loco non eam sterelitatem, quæ circa generationem versatur, sed regni ademptionem annunciat Deus. Nam Ieconias Salatielem, septemque alios filios genuit; & Salatiel Zorobabelem suscepit, & continuata serie ad Christum vsque peruentum est: Sed, vt B. Hieronymus tradit, in diebus Ioachini, id est, Ieconiæ, non successit ei in Regno filius; sicut ipse patri successerat: fueruntque Salatiel, & eius filius Zorobabel in captiuitate: nec vllus ex Ieconiæ stirpe vsque ad Christum Regno potitus est. Vnde Iosephus refert, Principes illos, quibus Herodes filius Antipatri proselythus successit, ex sacerdotali genere, ac tribu Leuitica fuisse ortos. Quod autem de non auferendo à familia Iudæ sceptro scriptum est, id non tam ad domum Dauidicam referendum est, quàm ad totam tribum, quę inter alias primatum semper tenuit, atque adeò nobilis extitit, vt ab ea gens tota, & ipsa regio, vt Eusebius narrat, nomen sibi assumpserit. Quæ sceptrum illud

Hiere. c. 22.

Hierony. in com. Hiere. c. 22. & Dani. c. 1.

Lib. 20. antiq. c. 8.

De Euang. demonst. li. 8. c. 1.

illud ab Spiritu Sancto per Iacobum domui Iudæ traditum conseruauit, primum in Regibus, deinde in Iudicibus ordinarijs Sanhedrim, hoc est, septuaginta seniorum, qui post Regni etiam ablationem de causis populi in Gazith cognoscebant: cōtrouersias omnes de lege & religione dirimebant; armorum susceptionis, aut depositionis authores erant; totam denique Rempub. administrabant; maximamq. in rebus omnibus authoritatem habebant, qua semper fruiti sunt donec Herodes Ascalonita, qui non modo alienigena (quippe cuius pater Idumæus, mater verò Arabissa fuit) verùm etiam seruus Machabæorum erat, quàm plurimos ex hoc collegio è viuis sustulit, reliquos autem à dignitate amouit, ægrè ferens se illis subijci: quanuis, in illorum locum, (authore Philone) alios suffici minore præditos authoritate curauerit. Hoc autem est, quod Iacobus de Iuda filio suo dicit. *Nō recedet sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius donec veniat qui mittēdus est, & ipse erit expectatio gentiū.* Fuerunt enim qui principatum tenuerunt in populo Hebræo vsque ad tempus Herodis, & ortum Domini nostri, non quidem alienigenæ, sed ex gente Hebræa, siue illi fuerint ex tribu Leui, vt accidit post reditum ex captiuitate Babilonica; siue ex tribu Iuda, vt tempore Regum, à Dauide vsque ad Sedechiam; siue ex alijs tribubus, vt euenit post egressum ex Aegypto vsque ad tempora Dauidis. Ita enim vetustissimi scriptores Ecclesiastici, & grauissimi Patres Iustinus martyr, Eusebius Cæsariensis, Athanasius, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, Theodoretus, Rupertus, ac plures alij hoc vaticinium interpretati sunt. Qui omnes eius fuerunt sententiæ, vt existimauerint hoc oraculo Iacobum definiuisse quidem tempus, quo duraturum erat Regnum Iudaicum, hoc est, quod obtinerent, qui Iudaica stitpe, ac gente prognati essent, ex qualicunque tandem tribu illi fuerint. Non defuerunt autem viri sanè magni nominis, qui hanc tanti principatus continuationem, non solum in Iudicibus, qui alio nomine scribæ diceban-

Phil. lib. 2. de temp.

Gen. c. 49.

Vide Pere. de benedict. Patriarch.

Iust. in ser. cum Tryp. Ath. lib. de incar. verb. Amb. lib. de benedict. Patriarch. c. 4. Chry. ho. 67. in gen. August. lib. 18. de ciuit. cap. 45. Theo. q. vlt. in genes. Ruper. lib. 9. in gen. c. 29.

tur,

tur, ſed etiam in Principibus ex tribu Iuda oſtendere conati ſunt. Contendunt enim, poſt reditum Iudæorum ex captiuitate Babylonica, tribum Iuda non omninò perdidiſſe ſceptrum & imperium. Nam licet tunc principatus fuiſſe videatur penes Pontifices, ipſi tamen Pontifices paterno quidē genere erant ex tribu Leui, ſed materno erant ex tribu Iuda: propter nobilitatem enim harū duarum tribuum, mutua inter illas miſcebantur, & iungebantur connubia. Hoc autem haud obſcurè oſtenditur exemplo Aaronis, qui primus ſummum obtinuit Pontificatum: is enim vxorem duxit Eliſabetham filiam Aminadab principis tribus Iuda; & Ioſabeth filia Iorami Regis Iuda Ioiadæ Pontifici nupſit. Quo fit, vt, etiam quo tempore Pontificum authoritate Hebræorum Reſpub. adminiſtrabatur, principatus fuerit aliqua ex parte penes tribum Iuda, ex qua illi Pontifices genus trahebant maternum: ſic enim ipſi quoq. Talmudiſtæ tradunt. Machabæos etiam, Iudam, inquam, Ionatham & Simonem eiuſq. poſteros, qui principatum ſummum in populo Iudaico vſque ad Herodem obtinuerūt, etiam paterno genere fuiſſe de tribu Iuda, ſcriptis prodiderunt Illuſtriſſimus Cardinalis Cęſar Baronius, & Reuerendiſſimus Dominus G. Genebrardus ſequuti B. Cyrilli ſententiam, qui, diſſerens aduerſus Iulianum, affirmat principatum Iudaicum etiam poſt captiuitatem Babylonicam permanſiſſe penes poſteros Zorobabelis & Dauidis vſque ad Herodem. Nam & in priori libro, eorum, qui prælia inter Hebræorum duces, gentemque Perſarum; ac nobiles Machabæorum triumphos continent, vbi de quibuſdam Iudæis, qui inconſultè ac temerè inito cum hoſtibus certamine ceciderant, dictum eſt; *illi autem non erant de ſemine virorum illorum, per quos ſalus facta eſt in Iſrael*, protinus adiectum eſt: *Et viri Iuda magnificati ſunt valdè in conſpectu omnis Iſrael, & gentium omnium vbi audiebatur nomem eorum*. Quo loci per viros Iuda, viros tribu Iuda prognatos, potiſſimum verò Iudam & fratres eius, qui principatum in populo geſſerunt, intelligi omninò volunt.

Lyran. Toſta. Carthuſ.

Exo. c. 6. 2. Paral. c. 22.

Baro. in apparatu ad annal. Eccleſ. Genebr. in Chronolog. vbi de Machab.

Lib. 1. Macha. c. 5.

Verum

VErum nos his omnibus omiſſis ad Hieremiam reuertamur, qui, vltimo Regni occaſu ſub Ieconia annũciato, in ſequẽti capite ſic ait: *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & ſuſcitabo Dauid germẽ iuſtum: & regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet iudiciũ & iuſtitiam in terra.* Poſt alia verò, hæc verba Domini tradit: *Non dominabuntur eis amplius alieni, ſed ſeruient Domino Deo ſuo, & Dauid Regi ſuo, quem ſuſcitabo eis.* Quale autem hoc Regnum, quod rurſus exoriturum Dominus prędixit, futurum erat, alibi ſic exponitur: *In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſrael habitabit confidenter, & hoc eſt nomen, quòd vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter. Et non dicent vltra; viuit Dominus, qui eduxit Iſrael de terra Aegypti: ſed viuit Dominus qui eduxit, & adduxit ſemen domus Iſrael de terra Aquilonis, & de cunctis terris, ad quas eieceram eos illuc, & habitabunt in terra ſua.* Apertior tamen, & luculentior apud Dauidem felix huius Regni perpetuitas, & ſecũdi Dauidis ſuſcitatio apparet. *Diſpoſui*, inquit Dominus, *teſtamentum electis meis; iuraui Dauid ſeruo meo vſque in æternum præparabo ſemen tuum: & ædificabo in generatione, & generationem ſedem tuam.* O promiſſi diuini magnitudinem, diuino, atque ſempiterno præconio celebrandam. Cælum concidet; terra diffluet; vniuerſa natura deflagrabit; Dauidis autem nomen, & ſolium, fixum, & ſtabile, opibuſque diuinis affluens in omni æternitate permanebit. Sanè ex his Domini verbis adeò apertè colligitur, hoc Regnum cæleſtè, atq planè diuinum fore, cùm nihil intra cæli complexum ſit, quòd æternum eſſe poſſit, vt id negandum non alij, quàm audaces, & proterui homines vnquam duxerint. Regnum igitur Dauidis ex illa parte, qua ciuile & terrenum erat, finem habiturum fuit: ex ea verò, qua ſpirituale, & cæleſte, atque diuinum erat, perpetuò ſub Chriſto Rege mãſurum fuit: Dominus enim fædus ſanxit, & iureiurando cõfirmauit, quod irritum fieri non patietur. Vnde Angelus ſanctiſſimæ Virgini Mariæ dixit. *Dabit illi Dominus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni eius non erit finis.* Dabit, inquam, illi Dominus, non illam ſedem Dauidis anguſtã,

CAP. VI.
Lib. 4. Reg. c.11.
Hiere. c.23.
Cap. 30.
Hiere. c.28.
Pſ. 88.
Luc. c.2.

& terrestrem; non mortalem & caducam tantùm, sed æternam etiam, & nullius temporis vicissitudini subiectam; præsidio diuino fultam, nè vnquam intereat, sed in omnes gentes longè lateque diffundatur. Hinc enim Paulus ait:
Rom.c.9. *Non omnes, qui ex circuncisione sunt Israel, hi sunt Israelitæ: neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij Abrahæ. Id est, non qui filij carnis, hi filij Dei, sed qui filij sunt promissionis æstimantur in semine* Quo in loco per filios promissionis non solùm ij, qui ex Iudæis, verùm etiam ij, qui ex gentibus vocati sunt, intelliguntur. Sic
Osea.c.2. enim inquit apud Oseam Dominus: *Et dicam non populo meo:*
Rom.c.9. *populus meus es tu.* Quod Paulus vertit: *Vocabo non plebem meam, plebem meam, & non dilectam dilectam.*

Quemadmodum igitur Dauidis Regnum, quod primò terrenum, & sæculare fuit, secundò tamen spirituale, vt diximus, modo suo erat: ita Iesu Christi imperium, quod primò, & principaliter spirituale, & cæleste existit, secun-
Ps.2. dò seculare & ciuile esse debuit, atque ita vbiq. terrarũ diffundi. *Postula*, inquit Dominus apud Regiũ Psaltem, *à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Quod ab Osea satis præuisum magnificè cõmemoratũ est.

ונקבצו בני יהודה ובני ישראל יחדו ושמו להם ראש אחד ועלו
מן הארץ כי גדול יום יזרעאל:

venicbezu bene iehuda vbne Israel iacdau vesamu lahem
Osea.c.1. rosc hechad veghàlu min haarez chi ghadol iom izreghel.
Et congregabuntur, inquit ille, *filij Iuda, & filij Israel pariter; & ponent sibi caput vnum, & ascendent de terra, quia magnus dies Iezrael.* Congregabuntur sanè filij Iudæ, & filij Israelis à captiuitate peccati, quam Babylonica seruitus significauit, Dei filio authore, liberati, non in vnam ciuitatem, aut prouinciam vnam, sed in vnam Ecclesiam, & invnum corpus. Vnum enim corpus est, & vna Ecclesia, quanquam illa longè lateque extenditur. *Et ponent sibi caput vnum*: Christum,
Ephe.c.1. scilicet, de quo Paulus inquit: *Omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* Aliud ergo caput

præter

præter Christum, & præter illud, quod à Christo constituitur, nunquam ego admittam. Theodoretus tamen ità hoc in loco per caput vnum, Christum intelligit, vt alterum etiam præter eum his verbis contineri significet. *Hæc, inquit ille, typicè, & adumbraticè sub Zorobabel acciderunt; expresse verò, & veritate ipsa, vbi Christus se hominem fecit, ac sibi Ecclesiam despondit in æternum.* Nonnullis posteà interiectis, *Decem,* ait, *tribus, quæ à Regibus ex posteritate Dauid defecerant, post reuersionem ex Babylone vnum habuerunt ducem Zorobabel ex Iudaica tribu procreatum.* Per vnum itaq. caput Theodoretus primùm Zorobabelem, deinde Christum intelligit: sed illum veluti Christi vmbram, & typũ, hunc verò veluti rẽ ipsam, & veritatem figuratã. Cùm igitur sacer vates de populi Dei, & Christi Ecclesiæ regimine loquutus fuerit, efficaciter concludam, vnum caput toti Ecclesiæ tunc præesse; cùm is qui præsidet, non suo, sed Christi nomine, cuius est Vicarius, præest. Nam vt Zorobabel, qui Christi fuit figura, & ipse Christus, non duo, sed vnum caput efficiunt: ita, imò multo magis, Christus, & is, qui eius vices gerit, non duo capita, sed vnum constituũt: cùm figura longius à Christo, quàm Vicarius distet, & hic melius, quàm illa Christũ repræsentet. Pręterea, Vicarius Christi nomen eius, cuius vices subit, apertè demonstrat, & vbiq. se ipsius ministrum prædicat: at figura obscurã tantùm Christi speciem videndã prębet; non autẽ eius nomen præ se fert. Hinc factum est, vt multi Iudæorum minimè quondam intellexerint Zorobabelem Christi figuram fuisse: cùm tamen non modo Christiani omnes, sed etiam Iudæi, & Ethnici, qui vbicunq. terrarum diffusi rerum nostrarum cognitionem & scientiam acceperunt, nouerint Romanum Pontificem, non nisi in persona Christi, cuius vicarius est, toti Ecclesiæ præesse, quæ eodem Christo authore, magis ac magis propagatur. *Et ascendent,* inquit sacer vates, *de terra, quia magnus dies Iezrael.* hoc est, filij Iudæ & Israelis in vnã Ecclesiam sub vno Rege Christo congregati crescent, & per totum terrarum orbem sese

Theod. in c. 1. Oseæ.

Oseæ. c. 1.

diffundent, Euangelicam doctrinam cunctis gentibus annuntiãtes, vt eas e tenebris, quibus inuolutæ sunt, in lucem, qui est Christus, educant. Hunc sanè, esse verum & germanum huius loci sensum, facilè ille cognoscet, qui diligenter animaduertet, longè aliud in diuinis literis significari, cùm dicitur, ascendere de hac, vel illa terra; quàm cùm sine vlla alia adiectione effertur, ascendere de terra. Nam cùm vel certa terra exprimitur, vel ex ijs, quæ præcedunt intelligitur, ascendere de terra est ex ea in aliam proficisci, quæ situ loci altior existit. Vnde est illud Geneseos, *visitabit vos Deus, & ascendere faciet de terra ista*, scilicet, in Palestinã.

Gen. c. vlt.

Exo. c. 13. Et illud Exodi: *Armati ascenderunt filij Israel de terra ista Aegypti*. Atque sicut hoc in loco Israelitæ ascendisse dicuntur, quia ex Aegypto in loca eminẽtiora perrexerunt: sic etiam cùm è terra promissionis in Aegyptum tendebant, descendere dicebantur. *Audiui*, inquit Iacobus filijs suis, *quod triticum venundetur in Aegypto descendite & emite nobis necessaria*.

Gen. 42.

Cùm verò ascendere de terra sine vlla additione legitur, augmentum eorum significatur, quæ ex paruis orta principijs multum crescunt, & longè, lateque per terram se se extendunt: metaphoricè enim ascendere pro crescere vsurpatur. *Fons*, inquit Moses, *ascendebat de terra irrigans vniuersam superficiem terræ*. hoc est, per totam illam terram se se diffundebat, atque illam irrigabat. Huc etiam spectat illud Hieremiæ: *Quis est iste, qui quasi flumen ascendit?* (Id est, crescit, & dilatatur) *& veluti fluuiorum intumescunt gurgites eius? Ecce aquæ*, ait idem, *ascendent ab Aquilone, & erunt, quasi torrens inundans, & operient terram, & plenitudinem eius*. Crescet igitur Israelis soboles in vnam Ecclesiam sub vno Rege Christo collecta: crescet, & longè diffusa sese per vniuersum terrarum orbem adeò dilatabit, vt iure id, quod est apud Dauidem, proferre possit: *A finibus terræ ad te clamaui*. Atque hæc quidem huiusmodi Israelitarum diffusio apertius apud Esaiam ostenditur. *Et mittam*, inquit Dominus, *ex eis, qui saluati fuerint, ad Gentes*

Gen. c. 2.

Hiere. c. 46.

Hiere. c. 47. & Amos. c. 8. & 9.

Ps. 60.

Esa. c. 66.

tes in mare, in Africam, & Lydiam, tendentes sagittam: in Italiam & Græciam, ad insulas longè, ad eos, qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam. Et annunciabunt gloriam meam Gentibus. Hoc est, signum meum in cunctis nationibus statuam: & ex Iudæorum reliquijs, quæ salutem fide, & charitate incensæ assequutæ fuerint, legatos in vniuersas totius orbis regiones mittam, vt eorum opera gentes, quæ à religionis meæ obseruantia valdè alienæ sunt, subitò eam colere incipiant; Libiam, Ciliciam, Persidem adibunt: totius occidentis prouincias perlustrabunt; insulas valdè remotas, quarum incolæ meum nomen nunquam audierant, penetrabunt: omnes denique nationes, quæ me Deum non agnoscunt, inuadent, vt eas ad mei numinis cognitionem perducant, & cælestibus disciplinis informent. *Et adducent*, prosequitur Dominus, *omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino, in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis ad montem sanctum meum Hierusalem, dicit Dominus, quomodo si inferant filij Israel munus in vase mundo in domum Domini.* Completum sanè, inquiunt Cyrillus, & Augustinus, fuit hoc vaticinium cùm primum Christus discipulis suis dixit, quòd est apud Marcum: *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omne creaturæ.* Tunc enim diuini illi viri in gentes alienas legati missi quadrigis Regijs, & Regio apparatu, atque ostro & auro tectis eos, qui Christi fidem susceperunt vectos asciuerunt in filios Dei, in genus electum, in Regale Sacerdotium, (hoc enim Regiæ quadrigæ significant) quos Domino, vt hostias gratissimas obtulerunt. Omni igitur studio, incredibilique animorum contentione, quadrigis, seu, vt alij vertunt, celeribus, & concitatis equis inuecti conuenerunt. Conuenerunt, autem in montem sanctum, in ciuitatem Hierusalem sanctam, hoc est, in Ecclesiam, quæ in sanctis, qui fidem Christo datam inuiolatam seruant, nunc est per omnes vniuersitatis oras longè diffusa. Vnde præclarè Paulus ait: *Sed*

Cyril. lib. 1. aduer. Iudæ. c. 21.
Augu. lib. 20. de ciui. c. 21.
Marc. c. vl.

Rom. c. 10. *dico nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Quam Ecclesiæ felicitatem, & mirabilem Gentium ethnicarum conuersionem diuinus vates Osæas multo ante præuidens, quasi magno delibutus gaudio dixit: *quia magnus dies Iezrael*, id est seminis Dei, siue populi Dei. Quoties enim in sacris literis dies magnus ab Spiritu Sancto appellatur, is proculdubiò dies intelligitur, quo Deus aliquod magnum, & mirabile opus præstiturus est. Quare non immeritò Oseas, cùm animo vidisset magnum illud Dei beneficium, quo ethnici, & Iudæi ad eum conuersi in vnam Ecclesiam sub vno capite congregandi erant, & vbique terrarum diffundendi, & sapientiam, & Dei erga homines beneuolentiam vehementer admirans, dixit: *Magnus dies Iezrael*: ac si apertius dixisset: Decreuit Deus opus admirandum illo die edere, quo semen suum, quod est populus credentium, in vnum congregandum, & vbique dilatandum est. Nam & apud Romanos etiam dies ille, qui diuturnis & periculosis laboribus finem optatum attulerat, magnus dici consueuerat: quippe qui celeber erat, & in hominum memoria semper versabatur. Vnde est illud Vergilij:

Ioel. c. 2. Hiere. c. 30. Apocal. 6.

Et incipient magni procedere menses.

Cor. tacit. in vita Agri. Alciat. lib. 8. parergeo. c. 8

Quòd si illi iustis de causis magnum illum diem vocabãt, qui laborum finis fuerat, quanto æquiore iure nos illum diem magnum appellamus, qui tot malis finem imposuit? Nam gens, quæ anteà idolorum cultui seruiebat, verum Deum colere incepit, & misericordiam consequuta est, quæ absque misericordia dicebatur; ac ethnici, & Iudæi, qui fidem amplexati sunt, ita in vnum coaluerunt, vt iam non duos populos, sed vnum sub vno Rege dixeris. Atque huc sanè illud spectat, quod Dominus apud Ezechielẽ ait: *Rex vnus erit, omnibus imperans: & non erunt vltra duæ gentes, nec diuidẽtur amplius in duo Regna, nec polluentur vltra in idolis suis, & abominationibus, & cunctis iniquitatibus suis, & saluos eos faciam de vniuersis sedibus suis in quibus peccauerunt, & mundabo eos, & erunt mi-*

Ezech. c. 37.

bi po-

bi populus, & ego ero eis Deus, & seruus meus Dauid Rex super eos, & pastor vnus erit omnium eorum. Et apud Esaiam idem Dominus inquit: הִנְנִי יִכַּד בְּצִיּוֹן אֶבֶן אֶבֶן כֹּחַן פִּנַּת יִקְרַת מוּסָד מוּסָּד׃ Heneni isſad betſijon auen euen bochan pinat ikrat muſad muſad: Quæ verba ipſa noſtrum interpretem Hebræa imitando optimè expreſſiſſe cognoſcet, qui Pauli, & Petri epiſtolas necnon Theodoretum, Euſebium Cæſarienſem, Auguſtinum, & Cyprianum accuratè & diligenter euoluet. Sic igitur ille: *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum, in fundamento fundatum.* Id eſt; Aliud munitiſſimum vitæ præſidium, aliud inuictiſſimum dignitatis & gloriæ propugnaculum, aliud firmum, ſtabile, & ſempiternum florentis, ac beatæ Reipub. fundamentum ſtatui non poteſt, quàm id quod ego ad vniuerſi generis humani ſalutem ante omnis temporis conſtitutionem deſignaui. Ipſe enim lapidem probatiſſimum in ædificij fundamento, quod in ciuitate mea conſtruere decerno, atque adeò in angulo, qui vtrunque parietem connectat, collocabo. Qui lapis totam ſtructuræ molem ita fulciet, vt, quanuis omnes ventorum turbines vndique erumpant, & omnes fluuiorum impetus inſurgant, nunquam eam è loco ſuo mouere poſſint. Hic proculdubiò eſt Chriſtus Dei filius, qui ex ethnicis, & Iudæis vnam Rempub. conflauit, cuius quandiu cum hominibus verſatus eſt, ſe non modo vitale, verùm etiam conſpicuum caput conſtituit, atque eam per ſe ipſum gubernauit, & in ipſa Regnum Sacerdotale inſtituit, cuius ipſe imperium ſuſcepit. Vnde ipſe Pilato dixit: *Tu dicis, quia Rex ſum ego.* Nec hoc maximo myſterio caret; quòd, cum ipſe ſe à Iudæis conſpui, & virgis cædi, & plagis affici, & in crucem agi, ac lancea perfodi permiſerit, noluerit tamen titulo Regis priuari: quin potius diuino conſilio factum eſt, vt Pilatus, qui ſententiam tam atrocem tulerat, eum Regem Iudæorum ita firmo animo ſcripſerit, vt Iudæi nunquam obtinere potuerint tituli huius mutationem: cùm, vt tam igno-

Esa. c. 28. 1. Co. c. 3. Ephe. c. 2. 1. Petri. c. 2. Theodore. in c. 2. ep. ad Epheſ. Euſeb. dem. Euang. lib. 1. c. 5. Aug. in pſ. 94. verſ. 6. & in pſ 111. in prin. Cypria. aduerſ. Iudæos. lib. 2. cap. 5.

ignominiosa morte Christus plecteretur, impetrauissent. Nec id alia de causa factum esse credendum est, quàm vt omnibus innotesceret, ita sempiternum parentem Regni Christi authorem fuisse, vt nihil in eo reperiri potuerit, quod vel industriæ humanæ adscribendum sit, vel hominum potentiæ subijciatur. Atque ideò cùm Christus in ea homines sæuire permiserit, quæ ab hominibus acceperat; illud tamen, quod, à Patre sibi directè traditum fuit, ita illæsum esse voluit, vt nullam in id hominibus potestatem concesserit Deus.

CAP. VII.

HVius Regni caput Rector ipse Israelis Iudæam constituerat, & domum Iacobi in genus electum, in populum acquisitionis, in Regale Sacerdotium, & in Israelis hæreditatem assumpserat: quippe qui eam adoptauit, & tanto prosequutus est amore, vt in sui cognitionem adduxerit, & legem ipsi dederit, & sacrorum rationem tradiderit, cumque ipsa fœdus iniuerit, ac pactum celebrauerit. Rom. c. 9. *Quorum*, inquit Paulus, *adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa: quorum patres ij, ex quibus est Christus secũdum carnem.* Ps. 77. *Repulit*, ait Regius psaltes, *tabernaculum Ioseph, & tribum Ephraim non elegit: sed elegit tribũ Iuda, montem Sion quem dilexit.* Quæ Benedictus Aries Montanus in Latinum carmen disertissimè conuertit. Sic enim ille inquit:

Fastiditq. Ioseph tentoria, lectaq. Ephraim
Tribus relicta est non probante numine.
Illi est lecta tribus Iudæ: montisq. Sionis
Amata valdè constitere culmina.
Sancta sibi hic veluti constructa palatia fixit,
Velutq. terra non mouenda sæculo.
Delegitq. Dauid famulum, caulisq. vocatum
Recepit atque de grege hunc bidentium;
Duxit oues fœtas & pabula læta secutum,
Vt pasceret suum Iacob, & Israel.
Syncero sic corde ipsos; palmisque peritis
Gregis magister egit impiger suos.

Cum

Cum enim æternus rerum conditor ex Aegypto populum ſuum,qui illic in miſera ſeruitute degebat,abduxiſſet, & eum teterrimis hoſtibus in mari ſubmerſis, tanquam gregem, in ſolitudinem egerit, vt in liberis paſcuis verſaretur,& tranquillam ibi vitam coleret; traduxit inde ipſum in regionem,quam præ cæteris elegit; & in montem, in quo ciuitatem, quæ ſibi ſancta futura erat, deſignarat, perduxit. Ac,vt oſtenderet quàm ſibi charos Iſraelitas haberet,gentes ex agris ſuis eiecit,& eos illis poſſidendos tradidit,inſuper in tabernaculis, quæ gentium fuerant, ipſos tanquam in hæreditarijs domicilijs collocauit. Quorum omnium hic populus immemor ingrati animi ſignificationem exhibuit,& Deum, à quo tam multa acceperat beneficia,nefarijs criminibus offendere adeò non eſt veritus, vt de illius immenſa potentia,quam ſæpe expertus fuerat, dubitare inceperit, & eius pacta infringere auſus fuerit. Quid plura? Defecit à religione,quam obſeruandam acceperat: fidem, ſine qua nemo diuino Numini placet, contempſit:peſſima maiorum ſuorum veſtigia ſequi non erubuit.Quare mirum non eſt, ſi quod arcui inuersè intento, aut malè directo accidit, qui ſcopum minimè attingit, id Iſraelitis acciderit, qui, poſtquam diuinas ſanctiones negligere cæperunt, nunquam eò, quò intendebant, peruenire potuerunt. Hoc autem tùm illis maximè euenit,cùm religioni ſe operam nauare putabant. Cum enim ſacra in aris,quas contra legis præſcripta in collibus ſtruxerant,faciebant,& Deum placare moliebantur, tunc illius iram in ſe maximè excitabant,& per ſimulachrorum ſuorum cultum illum æmulatione ſolicitabant, & ad vindictam vehementer acuebant. Idcircò cùm pacem tranquillam optabant,bello acri pręmebantur;cùm victoriam expetebant, ab hoſte vincebantur; cùm opibus alienis inhiabant, proprijs bonis ſpoliabantur: ac deniq. populi huius vitijs addicti, & idololatriæ crimine turpiter fædati curam Deus depoſuit, & illum ærumnis maximis premi paſſus eſt. Iſ-

raelem contempſit, deſeruit tabernaculum Silo, tabernaculum, quod inter homines excitauerat, vt in eo conſideret: gentis Hebreæ robur in ſeruitutem addixit, & populi gloriam, quæ fæderis arca cõtinebatur, hoſtium manibus auferri, & aſportari permiſit. Populum ſuum hoſtium gladio trucidandum reliquit, atque ita in hæreditatem ſuam, id eſt, Iſraelis proſperitatem, ira excanduit, vt publicum diuinæ ſeueritatis exemplum teſtatum poſteris reliquerit. Nec hoc ſatis pænarum eſſe duxit. Ioſephi genus tabernaculi ſede priuauit, & Ephrainenſem tribum indigniſſimam iudicauit, cui tantus honor deferretur, atque ad Iudæ familiam & tribum gloriam hanc trãſtulit, vt in monte Sione, quem ipſe elegerat, ſedes collocaretur ad futuræ ſalutis indicium, & ſanctioris fœderis ſacramentum. In eo enim templum ſuæ ſanctitatis, tanquam ſublimem ac Regiam domum, conſtruxit, & maxima firmitate, nõ ſecus ac fundamentum terræ, fulſit; vt ſempiterni templi myſterium deſignaret: elegitque Dauidem, quem ex ouium cuſtodia eduxit, vt pro ouibus Iacobi ſtirpem, quanta decebat cura, paſceret, & populum, quem ſibi in hæreditatem aſſumpſerat, iuſtitiæ pabulis nutriret, & ſummi paſtoris officia, & actiones exprimeret.

Hieroſolyma, igitur, quæ ciuitas ſancta, ciuitas Dauidis, ciuitas iuſtitiæ, ciuitas decoris perfecti, gaudium vniuerſæ terræ dici conſueuit, ſedes ac thronus huius Regni eſſe debuit: vnde cunctis populis, & gentibus leges imponerentur; & ſacra, necnon ceremoniæ peterentur, & quò nationes ſubactæ ſupplices venirent. Quæ omnia apud
Hiere. c. 17. Hieremiam Dominus expreſſit. *Si audieritis,* inquit, *me, ingredientur per portas ciuitatis huius Reges & Principes ſedentes ſuper ſolium Dauid, & aſcendentes in curribus & equis ipſi, & Principes eorum viri Iuda, & habitatores Hieruſalem: & habitabitur ciuitas hæc in ſempiternum. Si autem non audieritis me, ſuccendam ignem in portis eius, & & deuorabit domos Hieruſalem, & non extinguetur.* Illa etiã Chri-
Matt. c. 15. ſti verba apud Matthæum hoc ipſum manifeſtè oſtendũt.

Non

Non sum, inquit, *missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel*, & illa apud Marcū *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*. Hoc ipsum idem Christus Dominus de Hierosolymorum futuro interitu, quem præuidebat, flens illis verbis significauit, quibus ciuitatem illam alloquutus est: *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti; ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*. Et apud Lucam: *Videns ciuitatem fleuit super illam dicens. Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te: & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coangustabunt te vndique: & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem: eò quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ*. Idem Paulus, & Barnabas docent: *Vobis*, inquiunt, *oportebat primum loqui Regnum Dei: sed quoniam repellitis illud & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes*. Postquā enim hæc gens à lege Domini recessit, eius præcepta cōtemnendo, & beneficiorū immemorem se præstitit: illud eiusdem Domini sequutū est: *Dico autem vobis, quòd multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in Regno cælorū, filij autem Regni eijcientur in tenebras exteriores*. Et illud, *Ideò dico vobis, quia auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius*. Itaque si Iudæa legem Domini seruasset & à via illius recta non deflexisset, gratique animi significationem exhibere curasset, proculdubiò illa caput Regni Christi nunc etiam esset, & thronum Hierosolymis collocatum inspicere liceret, à qua, tanquam ex arce summa, salutis instituta, sacrorum rituum, & rectè vitæ instituendæ normam & disciplinam cæteræ Gentes & nationes haurirent: sed quia Dominum reliquit, & illius mandata contempsit, seque ingratam præstitit, tantum abest vt caput sit, vt misera gentibus, quibus præesse debuerat, seruire cogatur. Hic autem obiter aduertendum duxi, quantum sit ἀχαριστίας, crimen (à cuius etiam nomi-

Marc. c. 7. *Matt. c. 23.* *Luc. c. 19.* *Act. c. 13.* *Matth. c. 8.* *Matt. c. 21.*

ne Latini meritò abhorrent) cùm illud ſit plerunque cauſa, vt Deus firmiſſima ſua promiſſa reuocet: nam & apud
Hiere. c. 18. Hieremiam ſic inquit: *Repente loquar aduerſus gentem, & aduerſus Regnum, vt eradicem, & deſtruam, & diſperdam illud. Si pænitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quòd loquutus ſum aduerſus eam: agam & ego pænitentiam ſuper malo, quod cogitaui vt facerem ei: & ſubito loquar de gente & Regno, vt ædificem & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam; pænitentiam agam ſuper bono, quod locutus ſum vt facerem ei.* Etenim Diuinitas, quæ gubernat hunc mundum, incredibili beneficio genus humanum ſuſtentat, & quaſi paterna indulgentia fouet, vult gratiam ſibi referri, & honorem dari. Non enim conſtare homini ratio pietatis poteſt, ſi cæleſtibus beneficijs extiterit ingratus, quod non eſt vtique ſapientis.
Lib. 1. de Cyri. pædia. Ἀχαριστία autem, inquit Xenophon, potiſſimum impudentia videtur eſſe comes, quæ ad omnem turpitudinem aditum patefacit.

Regnum itaque Chriſti à Iudæis ad Gentes translatum eſt: cùmque vbi eſt Regnum illic ſedes ſit regia; eo translato, thronus quoque translatus fuit, nec in aliam vrbem, quàm Romam omnium vrbium principem; vt quemadmodum Hieroſolymæ, quę caput totius Iudeæ fuit, ſolium Dauidis collocatũ eſt: ſic etiam in ea vrbe, quæ caput omnium Gẽtium extitit, veri Dauidis ſedes, & regia diſpoſita
Oſeæ c. 1. & collocata maneat. Vnde eſt illud Domini apud Oſeam:

וַיֹּאמֶר קְרָא שְׁכוֹ לֹא עַמִּי כִּי אַתֶּם לֹא עַמִּי וְאָנֹכִי לֹא־אֶהְיֶה לָכֶם׃
וְהָיָה בִּמְקוֹם אֲשֶׁר־יֵאָמֵר לָהֶם לֹא עַמִּי אַתֶּם יֵאָמֵר לָהֶם בְּנֵי אֵל חָי

Vaiomer chera ſcemo lo ghammi chi atten loghammi veanochi lo eheie lachem vehaia bimcom aſcer Ieha mer lahem lo gammi attem Iehamer laham bene el chai.

Hoc eſt: *voca nomen eius, non populus meus: quia vos non populus meus, & ego non ero veſter. Et erit in loco vbi dicetur eis: Non populus meus vos; dicetur eis, filij Dei viuentis.* Quod vaticinium Paulus in ea, quam ad Romanos ſcripſit, epiſtola, ethnicis Chri-

ſti Re-

ſti Religionem ſuſcipientibus adimpletum fuiſſe dicit. *Rom.c.9.*
Οὓς καὶ ἐκάλεσεν ἡμᾶς, οὐ μόνον ἐξ Ἰουδαίων, ἀλλὰ καὶ ἐξ ἐθνῶν Ὡς καὶ ἐν τῷ Ὡσηὲ λέγει. Καλέσω τὸν οὐ λαόν μου, λαόν μου. καὶ τὴν οὐκ ἠγαπημένην, ἠγαπημένην. Καὶ ἔσται ἐν τῷ τόπῳ οὗ ἐῤῥήθη αὐτοῖς. οὐ λαός μου ὑμεῖς, ἐκεῖ κληθήσονται υἱοὶ θεοῦ ζῶντος Quos (vertit noſter interpres) *& vocauit nos: non ſolum ex Iudæis, ſed etiam ex gentibus: ſicut in Oſee dicit. Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam: & non miſericordiam conſequutam, miſericordiam conſequutam. Et erit in loco, vbi dictum eſt, non plebs mea vos, ibi vocabuntur filij Dei viui:* Ac ſi apertiùs dixiſſet Dominus: In illis locis, in quibus homines mei numinis obliti idola coluerunt, ad veram religionem conuerſi in tantæ dignitatis faſtigium euehentur, vt non ſolum Dei populus, ſed etiam Dei filij dicantur, nec Dei mortui, quales erant illi, quos ignari colebant, ſed Dei veri, ac viui omnia conſeruantis, ac eadem regentis. Hi verò ſunt, de quibus idem Oſeas dicit: *Dicite fratribus veſtris, Populus meus; & ſorori veſtræ miſericordiam conſequuta*. Quare nè à ſenſu Spiritus Sancti, qui & in Propheta, & in Apoſtolo loquutus eſt, declinare videamur, per illos populum gentium intelligendum cenſemus. Nam Chryſoſtomus, melius certè quàm Origines, & Theodoretus (qui hunc locum de Iudæis ab idololatria per pænitentiam ad Deum reuerſis exponunt) ita ſcriptum reliquit: *Quis enim non fuerit populus, apertnm eſt, nimirum Gentes: & quæ non fuerit dilecta, eædem, ſcilicet: veruntamen prædixit illas & populum futuras, & dilectam, & filios Dei*. Huic Chryſoſtomi ſententiæ adſtipulati ſunt Ambroſius, Theophilatus, Oecumenius, Theodolus Presbyter, Anſelmus, Proſper Aquitanius, & Auguſtinus.

Oſeæ. c. 2. Chryſ. in locum Oſeæ. & hom. de expoſit. pſa. 22. & 116. Am. Theoph. Oecum. Theod. Anſel. in eundem loc. Proſ. lib. 2. de vocat. gent. c. 18. Augu. libr. 22. con. Fauſt. c. 89. & lib. 18. de ciuit. c. 28. Euſeb. lib. 3. hiſt. c. 4.

CA. VIII.

Quod ſi aliquis primam Petri epiſtolam nobis objiciat, contendatque cum Euſebio, & alijs non paruæ authoritatis viris demonſtrare illam ad eos ſcriptam fuiſſe, qui ex Iudæis fidē amplexati ſunt, ad quos, ſi res ſic ſe haberet, eadem ſacri vatis verba, de quibus quæſtio eſt, ab eodem Apoſtolo adducta referri viderentur: nos cum D. P. Auguſtino,

ſtino, qui aſſerit Petrum,& Paulum hæc intellexiſſe de vocatione Gentium ad fidem, dicimus Petrum ſcripſiſſe ad quoſdam ex ethnicis Chriſtianos,qui ſæuitiam abhorrentium à Chriſti nomine fugientes in alienas regiones peruenerunt. Quod quidem ex ipſius epiſtolæ contextu, niſi me fallo,manifeſtè patet. Nam cum prius dixerit: *Vt virtutes annuntietis eius,qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum:* & poſtea ſubiunxerit: *Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non conſequuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſequuti*: proprius profectò hæc Oſeæ verba ad ethnicos religionem amplexos,quàm ad Iudæos ad Chriſti fidem conuerſos,referuntur. Iudæi enim non ſunt vocati: Non populus meus,donec Chriſti Euangelio per Apoſtolos annuntiato obſtinatis animis reſtiterunt,nam etiam dum Babylonica captiuitate à Deo flagellati miſeri detinebantur dicti ſunt populus Dei:& cùm Chriſti aduentum certò cognouiſſet Zacharias dixit; *Benedictus Dominus Deus Iſrael,quia viſitauit,& fecit redemptionem plebis ſuæ*. Cùm etiam homines vidiſſent mirabilia Chriſti opera,ſæpe dixerunt: *Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis, & quia Deus viſitabit plebem ſuam*. Cuius rei vt omnem nobis tolleret dubitationem Apoſtolus Petrus, non dixit, quemadmodum Oſeas & Paulus, *Non populus Dei*;ſed vtriuſque mentem aperiens inquit: *Qui aliquando non populus,nunc autem populus Dei: qui non conſequuti miſericordiam,nunc autem miſericordiam conſequuti*: quod propriè de ethnicis dicitur,quos,quia nullius pretij apud Deum ſunt, ſcriptura non eſſe dicit. Vnde Heſter ait: *Ne tradas, Domine, ſceptrum tuum ijs, qui non ſunt*: & idem Petrus in eadem epiſtola, poſt alia, apertè ſignificat eos, ad quos ſcribebat,ex ethnicis ad Chriſti fidem conuerſos fuiſſe, ſic enim ait: *Vt iam non deſiderijs hominum, ſed voluntati Dei, quod reliquum eſt, in carne viuat, temporis. Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium conſummandam*.

1. Petri c. 2. — *Luc. c. 1.* — *Luc. c. 7.* — *1. Petri c. 4.*

Scio equidem hanc expoſitionem, quod attinet ad literalem & genuinum ſenſum vaticinij Oſeæ, non omnibus

iam quondam placuisse. Nam cùm sacer vates ait: *Dicite fratribus vestris, & sorori vestræ*, de duobus pueris, & puella vna, quos ex Gomera suscepit, loqui videtur. Per hos autem illas decem tribus significari, quę cum Ieroboha manserunt facilè ex eadem diuina scriptura probari potest. Iezrael enim, qui inter Oseæ liberos primogenitus fuit, populum Israelis significat. Nam Iezrael semen Dei interpretamur: Israelem autem semen Dei appellari, vno vel altero exemplo patebit. *Filius meus*, inquit Dominus, *primogenitus Israel. Dimitte filium meum vt seruiat mihi*. De eodem popu-
lo Malachias sic loquitur: *Et quid vnus quærit nisi semen Dei?* Exo.c. 4.
vel vt Hebraicè habetur, וּמָה הָאֶחָד מְבַקֵּשׁ זֶרַע אֱלֹהִים׃ Mala.c.2.
Vmah haechad mebachesc zeragh elohim. Id est: *Et
quid vnus quærit? semen Dei?* Vocatus est autem Iezrael ex Lib.4.reg.c.
iussu Dei, qui volens eius patri manifestare se decreuis- 10.13.14.
se finem Regno domus Israelis imponere, & vindicare & 15.
occisionem animarum populi sui, quem Ierobohas exemplo suo, & imperio ad idololatriam traxit, ita dixisse legitur: *Voca nomen eius Iezrael, quoniam adhuc modicum, & visitabo sanguinem Iezrael super domum Iehu*. Fuerunt enim Iehus, & illius successores, ac posteri idolorum cultores, adeò certè, vt eos imitatores Ierobohæ filij Nabati facilè agnoueris. Nec mirum, si sanguinis vltionem huiusmodi spiritualem occisionem exposuerimus. Nam, vt pleraque scripturæ sacræ testimonia taceam, quæ aliter explicari nequeunt, vna Hieremiæ authoritate contentus
ero. *Quæ insuper*, inquit ille, *& malitias tuas docuisti vias tuas, &* Hiere.c.2.
in alis tuis inuentus est sanguis animarum pauperum, & innocentum? Exponit Hieronymus, *quos idolis imolasti, siue quorum animas perdidisti sacrificiorum similitudine*. Quod si hoc sacræ paginæ testimonijs confirmare non possemus, facilè esset dicere, multos hostili gladio perimendos à Domino fuisse subiectos, propterea quòd idola coluissent: & idcircò visitatur sanguis eorum super posteros Iehu, qui illos ad idolorum cultum allexerunt, quo sibi mortis causa fuerunt. *Verum*

quia

quia & ipse Iehu (inquit Hieronymus) *vltor sanguinis iusti, ingressus est per vias Hieroboam filij Nabath, qui fornicari fecit Israel, & constituit vitulos aureos in Dan, & in Bethel; Regnum quoq. eius dicitur subuertendum: sub cuius pronepote Hieroboam prophetare cœpit Osee: quo mortuo filius eius Zacharias successit in Regnum: quem sexto mense imperij sui occidit Sellum de alia stirpe generatus. Quam ob causam nunc dicitur: Adhuc modicum, & visitabo sanguinem Iezrael, id est, occisionem populi mei, super domum Iehu regiam, quæ eo tempore præerat Israel.* Hæc ille. Ex quibus patet, per sanguinem, qui vlciscendus erat, spiritualem mortem intelligi. Itaque per Iezraelem populum Israelis significari ex varijs codicibus Græcis, & ex Regio Antuerpiæ excusso, in quibus legitur, & visitabo sanguinem Israel, apertè colligi potest. Sed quia, & alij Græci codices, & Cyrillus, & Theodoretus, ac Theodorus Antiochenus, Iezrael legunt, non est, quòd aliam lectionem quæramus, præter eam, quæ in nostris biblijs vulgatæ editionis inuenitur: cùm hæc id ipsum præstet, quod ostendendum suscepimus. Nam cùm Iezrael vrbem significat, sine articulo à septuaginta interpretibus ponitur, aut si articulus additur, is generis fæminini, esse debet, qualem nomina vrbium deposcunt: sed hoc in loco masculinum habet, vt iam non vrbem, sed populū, aut semē Dei significare videatur. Quod in fine capitis eiusdē liquidò apparet: Sic enim sacer vates nobis scriptū reliquit:

Osea c. 1.

והיה ביום ההוא אענה נאם־יהוה אענה את־השמים והם יענו
את־הארץ׃ והארץ תענה את־הדגן ואת־התירוש ואת־היצהר
והם יענו את יזרעאל׃

Vehaià baiòm hahhu enghene neum Iehoua enghene et-hascimàim vehem ianghanu etha-ares vehaares tanghane et-hadagā veet-hatirosc veet-haizhar vehèm ianganù et-Izrenghel. Hoc est, *Et exaudiā cælos, & illi exaudient terram, & terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum, & hæc exaudient Iezrael.* Quæ paraphrasi Chaldaica ita circunferuntur: *Mandabo cælis, & ipsi demittent pluuiam super terram, & terra producet frumentum, & vinum, oleumque quæ sint factura satis transmi-*

transmigrationi populi mei. Nec aliter Vatablus censuit. Cùm enim Hebræa verbũ è verbo sic verterit: *Et erit eo tempore, dicit Dominus, annuam, annuam (inquam) cælis, ipsi autem annuent terræ, terra annuet frumento, vino, & oleo, & illa annuent Iisraeli:* Posteà in annotationibus dixit, *vel exaudient Iesraelem, id est, congregationem fidelium, qui sunt semen Dei: respondebunt votis fidelium.*

Sed quorsum tam multa? Quid est cur cum Paulo ad Gentes transferimus, quæ de Oseæ liberis, & decem tribubus dicuntur? Sanè hæ decem tribus, quas à Deo reiectas fuisse constat, inter Medos, Persasq. ab vberibus eius ablactatæ, id est, à doctrina legis, & sacrorum vatum semotæ Gentibus se immiscuerunt, & eorum opera imitatæ sunt, ac forsitan idola coluerunt, vt meritò dictæ sint, *Non populus meus.* Nam & apud eundem vatem scriptum est: *Reuersus est Ephraim in Aegyptum, & in Aßyrijs pollutum comedit. Non libabunt Domino vinum, & non placebunt ei sacrificia eorum, quasi panis lugentium* &c. Vbi Hieronymus, *Cùm autem,* inquit, *fuerint in Chaldæa absque templo, & absque altari, non libabunt Domino vinum, sed dæmonibus, & non placebunt ei, qui libant dijs alienis, & qui in captiuitate retinentur ab Assyrijs idolothyta comedunt, & quasi panis lugentium sunt.* Rectè igitur per decem tribus, quæ participes ethnicorum impietatis fuerunt, Gentes omnes significantur, quæ non erant populus Dei. Vnde hic mihi videtur esse germanus, ac genuinus sensus verborum Oseæ: O viri Iudæ, nolite decem tribus, & gentes omnes alienas à vobis putare: fratres vestri sunt, quia ad Christum conuertentur. Quasi dicat, intelligite, qua tandem ratione splendor dignitatis amissus recuperari queat. Vt enim perfidia factum est, vt Israelis multitudo Non misericordiã cõsequuta nominaretur, & Nõ populus meus appellaretur; ita fiet vt multæ nationes, & innumerabiles in fratribus vestris, atque sororibus numerentur, quod fide viua, quæ per dilectionem operatur, fiet, qua in meo populo censi gratiam & misericordiam consequentur. Vocate ergo eos populum meum, & misericordiam consequutos: decreui enim

Oseæ. c. 9.

In Oseam.

eorum misereri, atque eos ad Euangelicæ doctrinæ cognitionem adducere. Vocantur autem fratres, non quòd ethnicis superstitionibus adhuc oppressi, & occupati, & inani Deorum cultui seruientes fratres forent: sed quòd Dominus eos elegisset, vt fratres essent.

Quoniam tamen adhuc video per filios Oseæ, quod ad literalem sensum attinet, non Gentium populum, sed decem tribus significari; (quomodo enim ille diceretur Iezrael, quia visitandus erat sanguis Iezraelis super domū Iehu? Aut quomodo diceretur ablactatus, qui nunquam veræ, & synceræ religionis disciplinam suxerat?) dico verum esse decem tribus per illos designari; sed per has rursus Gētes exprimi, quæ similiter non erant populus Dei: ideoq. quod de his decem tribubus dicitur, id etiam de Gentium populo dici contendo. Quòd si quis sensum à nobis allatum allegoricum dicat, nihil idcircò inde deduci poterit, quod propositum nostrum eneruet, cùm, licet allegoriam saperet, validum nihilominus argumentum efficeret, & magnam vim haberet ad probationem dogmatum. Nam & Apostoli verba veteris scripturæ allegoricè explicant: sensus autem ille allegoricus non est minus efficax, quàm literalis, ad dogmatum confirmationem: quoniam ab ipsa scriptura diuina nobis traditus est, & à sacro scriptore, Spiritu Sancto afflante, principaliter propositus. Vnde nō temerè quis dixerit, hunc Apostoli de Gentibus sensum esse quidem literalem; liberosque Oseæ non modo decem tribuum, sed etiā Gentium verè signum fuisse: quatenus hæ cum decem tribubus in quibusdam conueniebant: in eo scilicet, quod captiuitas, in qua detinebantur à cacodæmone duratura erat ad Euangelij vsque promulgationem, quod pertinet ad primum filium: & in eo, quòd ad illud vsque tempus futuræ erant absq. misericordia, & vocandæ Non populus Dei, quod ad alios duos liberos spectat.

Oseæ c.1. Hic forsitan credi potest dictum à Domino fuisse Oseę: *Vade, sume tibi vxorem fornicationum, & fac filios fornicationum,*

quia

quia fornicans fornicabitur terra à Domino. Non enim dicitur: Fornicabitur terra hæc, vel terra Israelis. sed sine vlla adiectione terra, vt tam decem tribuum, quàm Gentium terra intelligeretur. Nam omnis gens ante idololatriæ vsum vxor Dei fuerat. Nec id mirum ei videbitur, qui vel mediocrem diuinarum literarum cognitionem habuerit: cùm, authore Augustino, vnum idemque duorum simul, non modo similium, sed etiam contrariorum typus in sacris voluminibus non rarò reperiatur. Quis enim nescit vniuersalem illum cataclysmum fuisse impijs, & nefarijs hominibus figuram vltimi iudicij, & summi supplicij, quo improbi apud inferos torquentur; cùm idem ijs, qui Christi fidem & religionem amplexati sunt, sacramenti Baptismi verus typus extiterit? Petra etiam cùm Christum significat, duorum signũ est, videlicet ædificij spiritualis quoad veræ religionis cultores, & offensionis quoad eos, qui à Christi nomine abhorrent. Sed, vt ad Paulum redeamus, ille quidem verbis, quæ ex Propheta Osea deprompsit, vsus reconditum spiritus mysterium magna cum voluptate, vt mos illi est, quasi intento digito indicauit, cùm mẽte cerneret multitudinem eorũ, qui è gentibus, relicto inani idolorum cultu, vndique erant Christianam religionem suscepturi, vt ius cælestis hæreditatis adipiscerentur. Significatur autem vnus, idemq. Gentium populus per tres prædictos Oseæ liberos; ita vt per primum captiuitas, in qua à cacodæmone detinebatur, indicetur; per secundum diuturnitas & miseria tam duræ captiuitatis ostendatur; per tertium à diuino numine alienatio manifestetur. Minimè autem mirum alicui videri debet, si cùm sacer Oseas de decem tribubus, & Gentium populo fuerit loquutus; Paulus tamen de solis Gentibus illius vaticinium exposuerit. Nam cùm Paulus (præterquam quod eandem Apostoli sententiam de decem tribubus, quæ idolorum cultui seruientes, & grauissimis sceleribus infectę, & turpiter contaminatæ nihil à Gentibus differre videbantur, æquè ac de

Epist. 99. ad Euodi.

Rom. c. 9.

gentium populo intelligi posse, doctores grauissimi, & in sacris literis non mediocriter versati tradiderunt) cùm, inquam, Paulus constitutus fuerit ab ipso Saluatore nostro Gentiũ magister, id ille ex sacro vaticinio assumpsit, quod ad confirmandã Gentium vocationem, de quarum salute maximè laborabat, magis spectare videbatur. Cùm itaq. tẽpus illud aduenisset, vt Deus notas faceret *diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ* ille *præparauit in gloriam, vocauit nos,* inquit Apostolus, *non solum ex Iudæis,* quibus hoc maximũ beneficium promissum fuerat, *sed etiam ex Gentibus,* de quarum vocatione suum consilium olim nobis etiam patefecerat; sicut in Osea dicit: *Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam: & non misericordiam consequutam, misericordiam consequutam. Et erit in loco vbi dictum est, non plebs mea vos: ibi vocabuntur filij Dei viui.*

Rom. c. 9.

CAP. IX.

Quemadmodum igitur reiecto gentis Hebrææ corpore, alterum assumptum est; (quod reconditum in diuinis oraculis sacramentum Paulus explicauit: *quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret.*) ita illius capite neglecto, caput alterum quæsitum est. Nec hoc ita obscurum videtur, vt verè intuenti non facilè illucescat: cùm ab hinc mille quingentis annis, ac eo amplius id reipsa cõprobatum videamus. Nam Petrus, qui primus Christi Vicarius fuit, Claudio & Nerone Imperatoribus Sedẽ Apostolicam Romæ statuit, in qua ipse primus Episcopus annos ferè viginti quinque sedit: licet interim ab vrbe non rarò abfuerit. Qui etiam vnà cum Iacobo, & Ioanne, vt Eusebius ex authoritate Clementis Alexandrini narrat, Iacobum agnomento iustum Episcopum Hierosolymis præfecit, postquam Christus Saluator noster ad sempiternum Parentem suum remeauit. Ex quo efficaciter licet colligere, Apostolos non eius fuisse sententiæ, vt existimauerint Petro solius populi circuncisi curam à Christo demandatam esse. Nam quamuis Deus, qui filium suum ad

Rom. c. 11.

Lib. 2. c. 1.

perditas

perditas Israelis oues ad verum iter reducendas principaliter miserat, voluerit, vt Apostolorum Princeps Iudæos primum ad Christi fidem adduceret, cui rei insignem nauauit operam, constat tamen eundem, tàm ex diuino consilio de gentium vocatione sibi, diuinitus enuntiato, quàm ex eo quòd ipse Cornelium ad Christum conuertit, & sacro Baptismatis fonte abluit, non tantum Iudæorum, verùm etiam Gentium, idque cùm Ecclesiastico ministerio, tùm iure diuino, Apostolum fuisse: Alioquin enim, cum Hierosolyma Iudæorum metropolis esset, qui fieri posset, vt Petrus prouinciam, quam à Christo susceperat, vltrò deponeret, & alteri traderet? Certè vt hoc ab Apostoli cōsilio & mente longè alienum fuisse videtur, ita id nullo modo asserendum Catholici doctores meritò duxerunt. Quid ergo? Nouerant sanè Apostoli se in vniuersum orbem legatos constitutos fuisse à Christo, non quidē confusè & perturbatè, sed sibi prius ordinem præscribente Petro: qui cùm se omnium nationum Apostolum esse optimè sciuisset, vt in omnem euentum semper esset paratus, & quò spiritus Domini vocasset, illò se liberiùs conferre posset, è re Christiana maximè fore existimauit Hierosolymam Iacobo regendam tradere. Cùmque Antiochiæ primum cognominati essent discipuli Christiani, ac inde non solum Syriæ, verùm etiam reliquis Asiæ regionibus, in quibus iam olim dispersi Iudæi agebant, consuli posse sibi visum fuisset, postquam ibi aliquot annos transegit, doctrinā Euangelicam annuntiando, Antiochiam eo animo petijt, vt ibi sedem figeret Episcopalem: Quod tàm Anacletus, quàm Hieronymus adeò apertè prodiderunt, vt obtusi potius, aut proterui, quàm acuti, aut suauis ingenij fuerit de eo dubitare. Quinimo Ignatius Antiochenus Episcopus à Petro tertius tradit, ipsum & Paulum Ecclesiam Antiochię fundasse. Clemens verò scribit Theophilum quendam totius ciuitatis Antiochenæ primarium, cùm in maximam admirationem raptus esset, quia multi precibus Apostoli Petri

Act. c. 1.

Anac. epis. 3. Hiero. catal. script. Eccle.

Igna. Epis. ad Magnesia.

Cleme. 10. recog.

Petri ſanitatem receperant,& Chriſto ſe addixerant, domum ſuam in Eccleſiæ dedicationem donaſſe,in qua ciues ſumma omnium conſenſione ſedem Petro ſtatuerunt,quò ſingulis diebus confluebant ad Euangelicam doctrinam audiendam, cui multis miraculis confirmatæ facilè credebant. Nec hoc,quod de cathedræ Antiochenſis conſtitutione dictum eſt,maiori indiget probatione, cùm ex traditione Eccleſiaſtica apertè id conſtet, adeò vt etiam in hodiernum diem quotannis memoria eius celebrari in Eccleſia ſoleat octauo calendas Martij,extetque ſacra Auguſtini concio, quam ille hoc die iam ab hinc forſitan mille ducentis annis ad populum habuit,& poſteris ſcriptam reliquit. Addo nihilominus illud, quod Euſebius refert, *Ignatium poſt Petrum ſucceſſione ſecundum Epiſcopatum ſortito cœpiſſe*. Ex quo colligitur Petrum Antiochiæ primum fuiſſe Epiſcopum, quem ſequutus eſt Euodius, & rurſus Euodium Ignatius. Nam cùm Euſebius ait Ignatium ſecundum poſt Petrum ad Epiſcopatum perueniſſe, id non ita intelligendum eſt, vt nullo alio interiecto Ignatius credatur Petro ſucceſſiſſe,ſed,Petro non connumerato, ſecundus Antiochiæ Præſul extitiſſe. Fuit itaq. Euodius ordine ſecundus, quem ipſemet Petrus huic muneri præfecit; cùm admonitus,vt præſtigiatorem illum Simonem,qui Romam aufugerat, ſequeretur, illuc ire decreuiſſet. Vnde eſt illud eiuſdem Ignatij,quod ad Antiochenſes ſcripſit. *Pauli, & Petri,* inquit ille, *fuiſtis diſcipuli,ne perdatis depoſitum apud vos. Mementote meritò beatiſſimi Euodij patris veſtri, qui primus vobis ordinatus eſt ab Apoſtolis Antiſtes*. Cùm igitur Petrus Antiochiæ ſedem ſtatuerit,factum eſt, vt hæc totius orientis metropolis fuerit: quo nomine eam Hieronymus ad Ioannem Hieroſolymitanum ſcribens decorauit. Necequidem prætereundum cenſeo quod Leo magnus ad Anatholium Conſtantinopolis Antiſtitem ſcribit. *Antiochena Eccleſia,* inquit ille, *in qua primùm, prædicante Apoſtolo Petro, Chriſtianum nomen exortum eſt,in paternæ conſtitutionis ordine perſeueret, & in gradu tertio*

Euſeb.lib.3. hiſt. c. 30.

Epiſ. ad Antio.

Leo. ad Anat.

collocata,

collocata, nunquam se fiet inferior. Nec illud Gregorij magni: *Cùm multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu sola Apostolorum Principis sedes in authoritate conualuit, quæ in tribus locis vnius est. Ipse enim sublimauit sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est. Ipse decorauit sedem, in qua Euangelistam discipulũ misit: ipse firmauit sedem, in qua septem annis, quanuis discessurus, sedit.* Discessit autem Romam, quò (vt ait Marcellus Pontifex Leone & Gregorio antiquior) sedem, quam primitus Antiochiæ collocauerat, iubente Domino transtulit.

Greg. lib. 6. ep. 37. ad Eulo. Alex.

Nec verò ille Ecclesiam Antiochensem ideò fundasse dicitur, quòd primus ibi Euangelium Christi promulgauerit (nam cùm Antiochiam venit, iam illic fides Christi sata erat ab illis discipulis, qui post necem Stephani, vt Lucas narrat, Hierosolymis pulsi sunt, & hi Ecclesiæ fundamentum iecisse videntur, iuxta illud Pauli: *sic prædicaui Euangelium hoc: non vbi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem.* Nec quod posteà ibidem eandem Euangelicam doctrinam annunciarit, cùm & Paulus id ipsum præstiterit: vnde quoad hoc non magis Petro Ecclesiæ huius institutionem, quàm Paulo tribuit Ignatius, affirmans eam ab vtroq. fundatam fuisse: sed quòd primus, vt apud omnium vetustissimos scriptores notum, testatum, & illustre reperies, Antiochiæ sedem statuerit, & tantam illi dignitatem tribuerit, vt orientalium sedium maxima dicta sit. Nec profectò aliter credendum est: cùm enim hæc sedes omnium potissima fuerit, nullius, nisi Apostolorum omnium Principis sedes esse potuit. Nam Hierarchicus ordo, quem Christus in Ecclesiastica sua Repub. seruari voluit, minimè passus fuisset, vt alius quispiam Episcopus primæ sedi ante Petrum Apostolorum verticem summum insideret. Qui tamen non ita sedisse annis septem dicitur (tot enim ab huius institutione ad translationem vsque numerantur) vt nunquam toto hoc tempore Antiochia recesserit: veluti cùm eum Romæ viginti quinque annis sedisse historiæ tradunt, non est, quòd nunquam aliò abijsse exi-

Act. c. 11.

Rom. c.

Epi. ad Magnesia.

stime-

ſtimetur: quippe cui non vnius tantùm ciuitatis cura demandata fuerat; ſed totus orbis concreditus erat; quique omnibus proſpicere, omnes, ſi poſſet, inuiſere, inſtituere, monere, hortari, ac denique vniuerſum gregem paſcere tenebatur; de cuius proculdubiò ſalute, ita ſolicitus fuit, vt ſi omnibus præſens mederi potuiſſet, nunquam id facere deſijſſet: præſertim illis temporibus, quibus tam ab ethnicis, quàm à Iudæis fides Chriſtiana maximè vexabatur, & periculum gregi ſibi cõmiſſo vndiq. imminebat. Quamobrem cùm Petrus Antiocheníi ſedi præfuiſſe ſeptenario narratur, ideò hoc dici putandum eſt; quia tot anni effluxerunt, donec alteram, quam omnium maximam eſſe voluit, Romæ erexit, & interim Epiſcopus Antiochenus dictus eſt. Poſteà verò, relicta hac appellatione, Antiſtes Romanus appellari cæpit: quippe Romam ſedem, & ius omne Pōtificium ſimul cum perſona tranſtulit: quod quidem certum & exploratum habere poſſumus, cùm ex certiſſima maiorum traditione: & veridico ſacrorum librorum teſtimonio, in quibus de ritibus Eccleſiaſticis agitur, & confirmatione vetuſtiſſimi commentarij de Romanis Pontificibus, qui Damaſo adſcribitur, id apertè conſtet. Adde etiam atteſtationem Anacleti, Antheri, Marcelli, Leonis Magni, Gelaſij, Pelagij, Gregorij, atque aliorum Romanæ ſedis Antiſtitum, quorum fides minimè vacillat. Id ipſum Hieronymus, Iſiodorus, Beda, Adonis, & multi alij his recentiores ſcriptis prodiderunt, à quibus recedere nefas, nec tutum eſſe iudico.

Ana. ep. 3. Ante. ad Episco. Betu. Mar. ad Episco. Antio. Leo ser. 1. in nata. Aposto. Gela. in Concil. Rom. cap. 1. Pela. 2. Epi. ad Benign. Greg. lib. 6. Epist. 37. Hieron. de script. Eccle. in Petro. & in epist. ad Gal. cap. 2. Beda de 6. ætate. Ado. in chron.

CAP. X.

ROmæ ergo firmata prima ſede, tanta profectò illi tributa eſt authoritas, vt omnium maxima iure optimo dicta ſit: quæ ſimul ac conſtituta fuit, inde cæremoniæ, & ſacrorum ritus à cunctis Chriſtianis peti cæperunt: & quotquot poſteà Reges veri Chriſtiani fuerunt illam magna obſeruantia dignam iudicarunt, & ei ſe ſubmittere minimè à dignitate ſua alienum eſſe duxerunt: adeò certè vt ad hanc ſedem referri rectè poſſit id quod multo ante Eſa-

ias

ias prædixit: *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui.* Quasi ita dixisset: Dominus, qui Sol tuus est, super te clarissimus orietur, & illius sempiterna gloria lumen tibi effundet, adeò vt nulla tui pars futura sit, quæ lucis radijs non circundetur; ad quos multæ exteræ nationes respicient, ac illis illustratæ sese ad Deum conferent: multique Reges cunctas vitæ suæ actiones ad tam admirabilem splendorem dirigent. *Tunc mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris: inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian, & Epha; omnes de Saba venient, aurum, & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes.* Quæ proculdubiò sub Domini persona de futura Romanæ Ecclesiæ felicitate prædixit sacer vates. Et idcircò de multiplici sobole, quam ex Iudæis & ethnicis per fidem generatura erat, vaticinatus illam ad res secundas summa animi iucunditate videndas inuitauit: quippe cui totius maris opulentia parabatur, Gentium diuitiæ deferendæ erant, & camelorum multitudo rebus pretiosis onerabatur. Quod & Dauid non obscurè tradit; vt rectè intuentibus apparebit. Nihil enim interest, vtrum quæ de Christo sacri vates prædixerunt, ad Ecclesiam referantur: cùm nec corpus sine capite, neque caput sine corpore consideretur: sed tota Ecclesia sacratissimo fidei vinculo cum Christo colligata perpendatur. *Reges Tharsis, & insulæ*, inquit ille, *munera offerent. Reges Arabum, & Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruient ei.* Hoc est, Imperium Christi Serenissimi, & inuictissimi quidem Principis, & verę Ecclesiæ sanctæ sponsi ad ingentes maris oras, quas tàm Sol oriens, quàm occidens aspicit, aptissimè patebit, & ad extremos vniuersæ terræ fines tendet. Gentes immanes, & efferatæ, deposita feritate ad illum supplices accedent: hostes eius inuictissimum robur admirati, relictis armis, ad ipsius pedes procumbent. Reges, qui Tharsum, hoc est, Indiæ, & Ciliciæ regiones (vtrosq. enim populos vox Hebræa designat) & terras ad septentrionem spectantes possident,

Esa. c. 60.

Ps. 71.

munera pretiosa deferent. Reges, qui insulis, ac ciuitatibus occidentem versus sitis, quas fluctus vndique circundant, latè dominantur, dona oblaturi venient: Reges, qui Arabiæ & Aethiopiæ imperant, ac reliqui etiam Reges his finitimi imperata tributa persoluent. Hoc quidem vaticinium non solùm prisca ſęcula in ortu Christi adimpletum viderunt, cùm Reges illi sanctissimi Gentium primitiæ ad eum adorandum è regionibus suis valdè remotis Bethlem conuenerunt, atque ipsi aurum, thus, & myrrham obtulerunt: sed etiam maioribus nostris, nobisque ipsis videre contigit: cùm Reges potentissimi, & amplissimi Imperatores fidem Catholicam amplexati, & Christi catalogo adscripti coram sede Apostolica humi se supplices prostrauerunt, & illius leges lubentibus animis suscipere non recusarunt: quippe qui earum obseruantia cælestem diuini spiritus rorem sibi mirabiliter infusum conseruari minimè ignorabant. Hi cùm anteà flagitiorum ardentissimo Sole exusti fuissent, vbi primùm matris Ecclesiæ gremium adierunt, diuino cælestis gratiæ imbre irrigati viriditatem admirandam sibi compararunt, & lætissima iustitiæ pabula, ac saluberrimos iustitiæ fructus producere cæperunt: vt prata, quæ vehemens æstus arefecit, si iucunda pluuia è nubibus demittatur, subito reuiuiscunt, & gramina amænissima producunt. Tanta est enim huius Christi sponsæ sanctissimæ virtus, vt, quos illa gremio excipit, & sinu fouet, pristina ariditate amissa, adeò virescant suscepto Spiritus Sancti imbre, vt quemadmodum olim, ita etiam nūc, lætissima iustitiæ pabula, vberrimas fruges virtutis excellentis, atque suauissimos fructus ex illis percipi videamus. Quare Sacer vates Esaias (vt vaticinia vaticinijs adnectamus) animo intuens, quanta celeritate terras illi peragraturi erant, qui vt salutiferam Christi disciplinam hominibus traderent, lætissimaque iustitiæ munera tribuerent, & primùm fundamenta pietatis iacerent, Hierosolymis profecti sunt, incredibili admiratione commotus exclamauit:

Qui

Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas? Me enim insulæ expectant, & naues maris in principio vt adducam filios tuos de longe. Quid nam, amabo, indicare, atque innuere voluit hac oratione Esaias? Illius profectò mens intuenti haud obscurè patet. Vt enim nubes pluuiam demittunt, qua ex terra variæ & lætissimæ fruges eliciuntur: ita sacri Euangelij satores doctrinæ cælestis imbrem mortalium animis iam inde ab initio nascentis Ecclesiæ infundunt, vt eo illi leniter irrigati fructus sapidissimos proferant. Quemadmodum autem columbæ, maximè tamen cùm ab accipitre inuadũtur, celeri volatu in vnum locum cogi solent, nec longè à stationibus suis euagantur: Sic isti Ecclesiæ ministri se, ac suos, quos per doctrinam Euangelij generarunt, filios in locum vnum, id est, in vnam fidei professionem cogunt, & protecti clypeo Sedis Apostolicæ, ac Ecclesiæ muris defensi suæ, suorumque saluti consulũt, quos à finibus circunscriptis abscedere minimè patiuntur. Præterea se ad fenestras conferũt, vt inde hostium insidias speculentur, & loca explorent, in quibus ij, quorum curam susceperunt, tutò possint pascere. Ita autem in Domini benignitate vitæ præsidia Gentes iam olim collocarunt: vt Phæniciæ naues è longissimis etiam regionibus Ecclesiæ filios adducant, vt omnes sanctissimum matris suæ sponsum summis efferant præconijs. Vnde factum est, vt omnes illæ nationes, quæ Ecclesiam recenter natam inuadebant, & illius muris impios arietes admouebant, ratæ se posse illos solo adæquare, non solùm ab incepto destiterint, postquam sedes Apostolica defixa Romæ fuit. Sed etiam se illi tradiderint, & pro mænibus, quæ anteà oppugnabant, stare iam decreuerint. Ex quibus posteà multi sanctitatis egregiæ exemplo, multi disciplinæ seueritate, multi scriptis, atque monumentis, multi alijs quàm plurimis rebus in eam curam maximè incubuerunt, vt pietatis & religionis studia, & diuini cultus obseruantia ab Apostolorum Principe Romam inducta fidei & officij propu-

Esa. c. 60.

gnaculis ſarta tecta conſeruarentur. Filij eorum, qui Apoſtolos inſectati ſunt, à paterna prauitate abhorrentes, ad Petri ſucceſſores Romanos Pontifices Chriſti vicarios ſupplices acceſſerunt. Illi, qui Chriſti nomen ab Apoſtolis annunciatum ſacrilegis verbis inceſſere non erubuerant, in melius mutati ad Eccleſiæ Romanæ illius ſanctiſſimæ ſpōſæ pedes ſeſe prouoluerunt; cuius beneficio in eiuſdem Chriſti gratiam recepti, eam Domini ciuitatem agnouerunt, & montem Sionem ſummi illius Dei, in cuius præſidio tota veri Iſraelis ſalus conſiſtit, ſanctiſſima religione dedicatum appellarunt.

CAP. XI.

EX his quidem, quæ diximus, ſatis nobis videtur apparere, quid Daniel diuino numine afflatus poſteritati ſignificare voluerit, cùm Regem Babylonis ita legitur allocutus: *Tu Rex Regum es, & Deus cæli Regnum, & Imperium dedit tibi, & ſub ditione tua vniuerſa conſtituit. Et poſt te conſurget Regnum aliud minus te: & Regnum tertium, quod imperabit vniuerſæ terræ: & Regnum quartum, quod comminuet, & conteret vniuerſa hæc.* Nam poſtquam Noæ poſteri apud turrem illam, cui nomen Babel impoſitum fuit, quam contra diuini numinis voluntatem erigebant, in tot ferè gentes, ac linguas, quot erant familiarum capita, diſperſi fuiſſent, non ſolùm, vt temeritatis ſuæ pœnas darent, verùm etiam, vt terram habitatoribus vacuam implerent: Deus, qui hanc hominum diſperſionem ad maiorem animorum coniunctionem in filio ſuo vnigenito perficiendam reuocaturus erat, eo interim ordine rem diſpoſuit, vt primùm diſiunctas familias multiplicauerit: deinde auctas ad vnum vicum adduxerit: mox plures pagos in vnam ciuitatem collegerit: poſteà multas ciuitates in vnam prouinciam redegerit; multas deinde prouincias in Regnum cōtraxerit: ac tandem multa Regna in vnam Monarchiam colegerit. Non tamē ille vnam ſemper Monarchiam apud vnam, eandemque nationem manere paſſus eſt: ſed modò ad has, modo ad illas Gentes eam transferri voluit: donec

Dan. c. 2.

veniret ille *vnus mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus*, qui vniuersas omnium hominum coniunctiones intra se complectẽs, filios Dei iam à quatuor ventis accersitos in vnum suum ouile congregaret. Quapropter Daniel quatuor Monarchias Chaldæorum scilicet, Persarum, Græcorum, & Romanorum prædixit. *In diebus autem Regnorum illorum*, inquit ille, *suscitabit Dominus cæli Regnum, quod in æternum non dissipabitur & Regnum eius alteri populo non tradetur. comminuet autem & consumet vniuersa Regna hæc; ipsum autem in æternum stabit.* Quod vaticinium de Regno Christi proculdubiò intelligitur. At quod ad primam attinet Monarchiam, Deus illam per Hieremiam patefecit: cùm Nabuchodonosori Chaldæorum Regi multas Gentes, & potentes etiam Reges seruituros prædixit, de quibus eum gloriose triumphaturum Abacuc vaticinatus est. Quod cùm ita se habuerit, non immeritò Babylon Regum Chaldæorum sedes, domina Regnorum, teste Esaia, appellata est. Adeò certè, vt, quæ de huius Regis magnitudine, potentia, & ditionis amplitudine in pluribus sacræ paginæ locis prædictiones continentur, iure optimo miræ & stupendæ quibusuis sapientibus semper visæ fuerint. *Tu*, inquit Daniel, *Rex magnificus es, & inualuisti; & magnitudo tua peruenit ad cælum, & potestas tua in terminos vniuersæ terræ.* Addit deinde idem sacer vates Regem hũc omnibus populis ob eximiam magnificẽtiam terrori fuisse: quippe qui eos percutiebat, quos volebat; sed qui sibi cordi erant, ad sublimes honores vocabat. De quo etiam est illud Domini apud Hieremiam dicentis: *Seruient ei Gentes multæ, & Reges magni: Gens autem, & Regnum, quod non seruierit ei, & non incuruauerit collum suum sub iugo eius, ego Dominus in gladio, fame, & peste, visitabo ipsum.* Quo fit, vt nemini mirum videri debeat, si Megastenes tradit Nabuchodonosorem Aegyptum, Africam, & Hispaniam, præter orientis regiones, in suam potestatem redigisse, tantaque animi virtute, & rerum gestarum magnitudine excelluisse, vt Herculem superauerit. Vnde facilè id credo quod Tertullianus affirmat,

1. Timo. c. 2.
Dan. c. 2.
Hiere. c. 27.
Abacuc c. 1.
Esa. c. 47.
Dan. c. 3.
Hiere c. 27.
Lib. 4. de reb. Indicis.

mat, Nabuchodonoſorem ab India ad Aethiopiam vſque Imperium ſuum dilataſſe. Hæc autem Monarchia, quæ ſub Nino ortum, ſub Balthaſare interirum habuit, quingentos, & mille annos adeò floruit, vt tam quoad opulentiam, quàm quoad dignitatis amplitudinem, quibus alia Regna, quæ tunc erant, ſuperauit, rectè à Daniele cum aureo capite conferatur. Vt tamen Nabuchodonoſor, & eius poſteri agnoſcerent miram rerum mortalium viciſſitudinem, qua ſæpe euenire ſolet, vt Regna ampliſſima, & potẽtiſſima contrahantur, & magnam potentiæ ſuæ partem amittant, contrà verò anguſtiſſima dilatentur, & magnum Imperium conſequantur, idem ſacer vates inquit: *Poſt te conſurget aliud Regnum minus te*. Hoc eſt, huic magnæ & antiquiſſimæ Chaldæorum, ſiue Aſſyriorum Monarchiæ anguſtum & obſcurum Perſarum Regnum ſuccedet, cui Cyrus primus imperabit, qui bellum Aſſyrijs inferet, & eos armis ſubactos, & in ditionem ſuam redactos, ac eorum imperium ad ſuos maxima cum gloria transferet. Adeò Regum felicitas, quæ vuulgo maxima creditur, inſtabilis eſt, & volubili orbe Regnorum ſtatus circumagitur. Quapropter rectè quidam mihi videtur dixiſſe:

Tert. li. adu. Iudæ.

Quàm cito diuitiæ, & Regni ſuprema poteſtas
Ac multum ſpectatus honos, vanique paratus
Præcipiti pereunt caſu?

Hoc ergo Perſarum Imperium per pectora, & brachia argentea illius ſtatuæ, quam Nabuchodonoſor in ſomnis vidit, deſignatum fuiſſe apparet ex eo primùm, quia ſicut brachia & pectora proximè collo, & capiti ſuccedunt & cohærent: ita Perſarum Regnum imperio Aſſyriorum, nullo alio interiecto, ſucceſſit: deinde, quia à Dario Medo Cyri auunculo, & ab ipſo Cyro, tanquam à duobus fortiſſimis brachijs Monarchia Chaldæorum euerſa fuit. His etiam adiũge Cyrum Imperij Perſici inſtitutorem per pectus & brachia ſignificatum fuiſſe: quia vt in pectore duo brachia iunguntur; ſic in Cyro duo Regna, Medorum ſcilicet,

licet, & Persarum, quæ ad id temporis diuisa semper fuerant feliciter cohæserunt. Comparatum est autem cum argento Imperium Persarum propter rerum opulentiam, atque singularem, & incredibilem vim, & copiam diuitiarum quibus Persicum Imperium abundauit, quæ aliter melius explicari nequiuerant. De quibus (vt, quæ profani scriptores tradunt, silentio obuoluam) apud Esaiam Dominus, cùm se multis modis fauturũ Cyro significauisset, inquit: *Et dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum, vt scias, quia ego Dominus, qui voco nomen tuum.* Id est, Abstrusas, & reconditas opes, quas hominum auaritia iam ab antiquis temporibus ad hanc vsque ætatem in visceribus terræ inclusit, tibi tradam, vt cognoscas me verum esse Deum, qui tanta te benignitate amplectar, vt sim tibi vbique affuturus. Quod quidem ita opere completum fuit, vt Athæneus scripserit, eo tempore, quo Darius vltimus Persarum Rex Imperio potitus est, in eas iam dilitias & luxus Persarum Reges fuisse prolapsos, vt conclaue, quod ceruical Regis appellabatur, prope regium lectum fuerit, vbi quinque millia aureorum talentorum condita manebant. E cuius regione alterum erat, quod scamnum suppedaneum dicebatur, in quo tria millia talentorum argenteorum asseruari solebant. Iam verò quod de cubiculo regio Amynctas scribit admiratione dignum multis visum est. Erat enim in illo vitis aurea multis & splendidis ornata gemmis, quæ veluti pergula regio lecto eminebat, ex qua racemi ex lapillis pretiosis compositi pendebant.

Plin. li. 33. c. 33.

Esa. c. 45.

Athæ. lib. 12.

Lib. de mansio. regijs.

Cùm tamen nihil mortale perpetuum sit, hoc etiam Imperium, quod tam multis opibus affluxit, & tanta potentia excelluit, finem suum habuit. Illi Græcorum Monarchia ab Alexandro Magno constituta successit; quippè qui Darium ter debellauit, & eius Imperium ad Macedonas Græcorum populos traduxit, multaq. alia Regna suę ditioni subiecit; sed non diu Imperio potitus est. Fuit enim morte præuentus, cùm trigesimum tertium annum ageret.

ret. Cuius Regna nonnulli amici, & familiares, quibus ille ea reliquerat, poſſederunt, Quapropter Daniel Alexandri Imperium ventri, & fœmoribus ſtatuæ aptè comparauit: quia venter etiam cibum omnem facilè ad ſe trahit, non tamen eum diu retinet, ſed ad alia membra tranſmittit: vel quia ſicut venter proximè ſuccedit pectori, per quod ſignificata eſt Perſarum Monarchia, ita Alexādri Imperium Perſarum Principatui ſucceſſit. Quod quātum fuerit, paucis licet verbis, ingenioſè tamen, & diligenter Plinius declarauit, cùm Macedoniam deſcriberet. *Hæc eſt*, inquit, *Macedonia terrarum Imperio potita quondam: hæc Aſiam, Armeniam, Iberiam, Albaniam, Cappadociam, Syriam, Aegyptum, Taurum, Caucaſſum transgreſſa. Hæc in Bactris, Medis, Perſis dominata, toto oriente poſſeſſo: hæc etiam Indiæ victrix per veſtigia Liberi patris atque Herculis vagata. Hæc eadem eſt Macedonia, cuius vno die Paulus Aemilius Imperator noſter ſeptuaginta duas vrbes vendidit. Tantam differentiam ſortis præſtitere duo homines*. Ille etiam clariſsimus ſtatuarius Lyſippus, vt huius Imperij amplitudinem exprimeret, ſtatuam æream finxit, quæ repreſentaret Alexandrum ſupina facie cælum ſuſpicientem, atque illi hos duos verſus ſubiecit.

Lib. 4. c. 10.

Aereus in cælum ſuſpectans, fare, quid ait?
Iuppiter, aſſerui terram mihi, tu aſſere cælum.

Sed non tantùm Monarchiæ huius magnitudinem, quantùm præſtitam in ea comparanda celeritatem admiror; ſolo enim tredecim annorum ſpatio Alexander Imperium conſequutus fuit. Quo factum videtur, vt Apelles eum fulmen in manibus habentem depinxerit: quia quemadmodum fulmen breui quidem ſpatio diſsita loca circuit; ita Alexander anguſto temporis interuallo multas, & varias, & inter ſe valdè diſtantes regiones obiuit, & eas in ditionem ſuam redegit. Huic autem altera huius picturæ ratio non minus apta addi poteſt. Nam, vt fulmen magnum quidem præ ſe fert ſplendorem, & efficacem vim, ſed ad breuiſsimum tempus, habet: ita Alexandri Imperij gloria, licet

licet maxima, diuturna tamen non fuit. Ex quibus satis apparet, cur Daniel Alexandrum per hircum maximo impetu currentem, & præ velocitate terram non attingentem significari voluerit. Mortuo siquidem Alexandro Græcorum Imperium extinctum est. Nam quanquam ille multos Principes & Duces peritia rei militaris insignes, & prudentia, fortitudine, authoritate, rerum gestarum gloria præstantes reliquerat, adeò certè vt singulos Reges putasses (quorum etiam nonnulli Reges fuerunt, vt Seleucus, qui in Syria regnauit, & Antigonus, qui Macedoniæ Regno potitus est, & Ptolæmeus, cui Aegyptus obuenit) & multos pro vno Alexandros in Macedonia esse, cum Iustino dixisses: tamen ex æmulatione virtutis in perniciem mutuam se se armarunt, & ita odijs, & dissidijs Imperium penitus corruit. Quod sanè non sine diuina prouidentia factum fuisse licet credere, vt cunctis notum atque exploratum sit, quàm infirmo nitantur fundamento humana imperia.

Dan.c. 8.

Iust. lib. 13.

Aduentarunt siquidem Romani, quorum Imperio longè lateque diffuso & Regna, & principatus omnes subacti fuerunt. Ob idque Daniel tibijs ferreis statuæ illius, cuius expositionem Nabuchodonosori tradebat, Romanorum Imperium significari dixit. Nam, quemadmodum Græcorum Monarchia, vt inquit Hieronymus, æri comparata est, vt denotaretur magna illius fama & gloria, quæ in omnium aures, & per omnes orbis oras peruaserat; (est enim metallum hoc valde vocale, & magnũ, ac clarum edit sonum, eumq. longe diffundit) ita Romanorum Imperium cum ferro collatum fuit, vt significari posset eos omnia alia Regna domituros, *Quomodo*, inquit Daniel, *ferrum comminuit, & domat omnia, sic comminuet, & conteret omnia hæc*. Et alibi hoc ipsum Romanum Imperium ad similitudinem cuiusdam bestiæ terribilis, & fortis nimis, & habentis dentes magnos ferreos, & vngues, quædam quidem comedentis atque comminuentis, reliqua verò pedibus suis conculcantis,

Dan.c. 2.
idem. c. 7.

tis, idem ſacer vates ad viuum expreſsit. Romani enim omnes Gentes ſubegerunt, ſiue illæ robore corporis, & viribus præſtantes fuerint, & feroces, vt Germani, Galli, Hiſpani; ſiue Imperij magnitudine eminentes, vt Carthaginenſes: ſiue maiorum gloria, ſapientia & prudentia ſplendentes, vt Græci: ſiue diuitijs & militum copijs abundantes, vt Aſiatici: ſiue longo terrarum tractu remotæ, vt Cappadoces, Pontici, Armenij, Iberi, Albani, Scythæ: ſiue interfuſo oceano à noſtro orbe disiunctæ, vt Britanni: ſiue denique patrum ſuorum ſanctitate, & legis ſuæ religione cõfiſæ fuerint, vt Iudæi, qui poſt mortem Chriſti Domini & Saluatoris noſtri à Deo derelicti ſunt, cui eorum religio ab eo tempore adeò inuiſa eſt, vt iam non religio ſed ſuperſtitio potius dicenda ſit. Ac magnum hoc & mirabile videtur, quòd cùm Romani ab ijs, quos domuerant miſerabilem cladẽ ſæpe fuerint perpeſsi, adeò vt bis in diſcrimen amittendi cùm libertate Imperium venerint: nunquam tamen alterius Imperatoris dominatui ſubiacuerint. Cur ita? Sanè quia finis Regnorum omnium Chriſti fides eſt, & Eccleſiæ ipſius Regnum. *In diebus autem*, inquit Daniel, *Regnorum illorum ſuſcitabit Deus Regnum, quod in æternum nõ diſſipabitur.* Quibus verbis apertè ſignificauit excitandum fuiſſe Regnum Chriſti, cùm Regna terræ vigerent, quod quidem alteri populo non tradetur, ſed comminuet, & conſumet vniuerſa Regna hæc, & ipſum perpetuò manebit. Atq. hoc proculdubiò iam euentu comprobatum eſt. Chriſtus enim omnia alia Regna euertit, non quòd eorum dominationem ſuſtulerit, ſed quòd idololatriam, quæ in illis regnabat, deleuerit & Imperium cacodæmonis exciderit, cui illa ſubiacebant. Non tamen hoc vno, eodemque tempore opere completum fuiſſe putandum eſt, ſed vario temporis decurſu, nunc his, nunc illis Regnis ad Chriſti fidem tranſeũtibus, & illius dominationi, poteſtatique Eccleſiæ ſe ſubmittentibus, non ſolùm in ijs, quæ ad ſpiritualem gubernationem faciebant, ſed in ijs etiam, quæ ad politicum & ci-

Dan.c.2.

uile

uile regimen (vt ſuo locò, dilucidè & planè docebimus) ſpectabant. Ex quo profectò factum eſt, vt poſt Magni illius Conſtantini ad Chriſti fidem mirabilem conuerſionem Imperatores Romani, & alij Reges ſe ſuaque Regna Chriſto vero Imperatori, & omnium verò Domino, nec non eius Eccleſiæ ſubdiderint: & ſummum Pontificem totius Eccleſiæ vniuerſalem Paſtorem & Epiſcopũ, ac Chriſti in terra Vicarium agnouerint, & illum in Principem, & Monarcham in ijs, quæ cùm ad Deum, & animorum ſalutem tum etiam ad ciuilem ſtatum pertinent, libenter ſuſceperint, &, qua debent liberi parentem, obſeruantia coluerint, ac eius ſalutaria iuſſa religiosè amplexati fuerint. *Erunt Reges nutritij tui*, inquit Eſaias. *& Reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demiſſo adorabunt te, & lingent puluerem pedum tuorum: Gens, & Regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit.* *Eſa.c. 49.*

CAP. XII.

EN ex his omnibus, quæ, breuius fortaſsè, quàm rei magnitudo poſtulare videbatur, commemorauimus, aperte conſtat, quomodò Deus poſterorum Noę diſperſionem in ciuitates, prouincias, Regna, & Monarchias ad maiorem animorum vnitatem in Chriſto conſummandam cum miſericordia reuocauit. Nam cùm Romana Monarchia, quæ, tanquam ferrum, omnia alia Regna domuit, omniũ maxima & potentiſſima fuerit, & in vrbe Roma caput habuerit; vtique totus terrarum orbis in ipſamet vrbe ad tantam animorum coniunctionem rediiſſe videtur, quanta ex rerum humanarum externa adminiſtratione, vel acquiri, vel ſperari potuit. Iam enim tunc omnium oculi, ſtudia, & officia in vnius Romæ vel obſeruantiam, vel ſocietatem vel admirationem conuertebantur. Iam ipſa Iudęa, quam Deus ex omnibus regionibus ſibi peculiariter elegerat, in prouinciæ formam redacta leges Romanas accipiebat, & à Præſide, quem ipſa vrbs conſtituerat, ſe regi patiebatur. Et vt nihil, quòd ei felicitatem dare poſſet, huic Imperio deeſſe videretur, præfectus fuit huic maximæ vrbi vnus Monarcha Cæſar Octauius, & huic vni Monarchæ nouum

Augusti nomen impositum, & huic primo Augusto Cæsari datus fuit diuturnus quinquaginta sex annorum principatus, & huic diuturno principatui summa pax & tranquillitas obuenit. Ne autem verus finis, ad quem hæc omnia spectabant, diutius lateret, sub hoc optimo Imperij Romani statu Christus verus cæli, ac terræ dominus non solum in Iudæa homo nasci nō dedignatus est, verùm etiam ante quàm in lucem emissus esset, cùm Augustus Cæsar edixisset vt describeretur vniuersus orbis: in cēsum eius vrbis, quæ vniuersis regionibus dominabatur, aut vna cum parentibus suis, aut saltem ipse per illos velut ciuis Romanus referri voluit. Vnde ipsemet Christus, cùm pro tribunali sederet Pilatus, *non haberes*, inquit, *in me potestatem nisi tibi datum esset desuper.* Sic ergo liceat colligere. Quemadmodum modicum fermenti, quod mulier intra farinam abscōdit, totam massam fermentat; & quemadmodū exiguus ignis magnam syluam incendit, propter eà quòd res, quæ fortis est, si imbecilliori admiscetur, eam ad se trahit, & sibi similem reddit: Sic Redemptor noster Christus, cùm sit Dei virtus & potentia, in Romano Imperio semel absconditus totum illud ad se traxit, & in odorem & saporem suum conuertit.

Ioan. c. 19. & Matt. c. 13.

Nec verò sine magna diuini numinis prouidentia factum est, vt hæc tam celebris vrbs Roma fuerit commune idolorum receptaculum, & communis omnium Gentium patria; arcano enim Dei consilio sic dispositum fuisse mihi videtur, vt omnis superstitio in vnum locum congregata facilè ibidem vno velut ictu amputari, & extingui posset: & vt, cùm fides Christiana Romæ semel inducta esset, non post annos septingentos, (quot ferè vrbs peregit, antequam ad Imperij sui culmen peruenisset) sed statim eadem voce omnibus Gentibus promulgaretur. Constituit quoque illam Dominus altissimam totius orbis terrarum speculam, vt simul ac fides Christi & Euangelium eam cepisset, mons domus Dei sciretur in vertice montium præ-

paratus,

paratus, & eleuatus super colles, quò Gentes omnes, vt Esaias prædixit, confluerent. Quemadmodum enim per domum Domini Ecclesia intelligitur; sic per colles intelliguntur minores principatus, per montes maiores dominationes significantur; & per verticem montium Imperium Romanum designatur propter sublimitatem, qua omnibus humanis Imperijs longè antecelluit. Quò fit, vt (cùm quicquid Romano Imperio accessit, id, iuxta priscorum Patrum doctrinam, præparatum Christi aduentui, & diffundendæ Christianæ fidei, & religioni prouisum sit) Dei opus fuerit singulare, & mirabile circa Romanæ Ecclesiæ primatum, vt huic soli Ecclesiæ tam insignem, tam excelsum, tam fortem locum præparauerit, cuius nomen Roma, vt author est Hieronymus, sublimitatem significat apud Hebræos, & apud Græcos fortitùdinem sonat. Si ergo sola vera Christi Ecclesia in vertice huius Monarchiæ omnium maximæ collocata est; proculdubiò Ecclesia Romana omnium prima & potissima existit, cui eximium aliquem primatum à Deo concessum fuisse, nemo sanæ mentis vnquam negabit, Nam nisi vnus summus Pontifex in Ecclesia Christi esset, certè, cùm vinculum vnius rectoris potentissimum habeatur ad externam coniunctionem coarctandam, non optimus huius Reipub. status esset, minor enim in ea vnitas foret, quàm in Romano Imperio fuit: quò nihil aut absurdius, vel magis impium dici potest.

Esa.c.2. *Ps.71.* *Euse. Aug. Euch. Leo. Procop.* *Lib. 2. con. Ioui.*

Quare cùm Saluator noster Christus duodecim Apostolos, & septuaginta duos haberet discipulos, non aliquē ex discipulis, neque ex minimis Apostolis quenquam elegit, vt Romanam Ecclesiam constitueret: sed Petrum, vt cum Eusebio loquamur, fortem, & præpotentem Apostolum, qui propter eximiam virtutis amplitudinē reliquorum omnium Princeps erat. Quod sanè promissio illa à Christo Petro facta, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues Regni cælorum*; satis apertè indicare mihi videtur:

Euseb. li. 2. hist. c.13. *Matt. c.16.*

tur:

tur: cùm ex hac oratione appareat Petrum, quem Christus Ecclesiæ suæ conspicuum fundamẽtum futurum promittebat, summam potestatem, summumq. in ea Imperiũ accepturũ fuisse. Nam hoc clauium nomen, quas ei Christus daturus erat, apertè significat, & demonstrat. Et, ne longius diuagemur, apud Esaiam Dominum loquentem
Esa. c. 22. audiamus. *Et dabo*, inquit, *clauem domus Dauid super humerum eius: & aperiet, & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat*. Quid enim aliud nobis hæc innuunt, quàm Dominum indignatione commotum aduersus Sobnam templi præpositum dixisse, ab eo se ablaturum omnem potestatẽ, & Imperium; & illud in Eliacim filium Helciæ se translaturum fore? Tradam, inquit, illi summam in Dauidis domo & familia potestatem: tota regia illius humeris nixa sustinebitur, nec erit qui authoritatem, quam ille à me accipiet, comminuat. Is, cui ille aditum patefacerit, admittetur; cui verò obcluserit, excludetur: quicquid ille statuerit, atque decreuerit ratum & fixum permanebit. Esse autem hunc verum & genuinum huius loci sensum, ex ijs, quæ paulò ante præcesserant, facilè apparet.

וְהָיָה בַּיּוֹם הַהוּא וְקָרָאתִי לְעַבְדִּי לְאֶלְיָקִים בֶּן־חִלְקִיָּהוּ׃
וְהִלְבַּשְׁתִּיו כֻּתָּנְתֶּךָ וְאַבְנֵטְךָ אֲחַזְּקֶנּוּ וּמֶמְשַׁלְתְּךָ אֶתֵּן בְּיָדוֹ וְהָיָה
לְאָב לְיוֹשֵׁב יְרוּשָׁלַם וּלְבֵית יְהוּדָה׃

vehaià baiom hahu vecarathi leghaudi le Eliachim ben chilkiahu: vehilbasctiu cutõtecha veabnetecha achazechemu vmemscialtecha ettẽ beiado vehaia leab leiosceb Ieruscialaim vlbet Iehuda. *Vocabo*, inquit idem Dominus, *Eliacim filium Helciæ, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum, & potestatem tuam dabo in manu eius, & erit quasi pater habitantibus Hierusalẽ, & domui Iuda.* Hoc est, deijciam te de statu tuo, & de honoris gradu deturbabo: accersam autem seruum meum Eliacim filium Helciæ, quem honoris tui insignibus, tibi detractis, exornem. Induam enim eum veste tua, baltheoq. tuo præcingam, munusq. & Imperium, quo fungeris ad eum transferam.

ram, quod quidem ille longè aliter ac tu administrabit. Omnium enim vtilitati consulet; nec solum Hierosolymam, verùm etiam reliquam Iudæam paterno tuebitur affectu.

Quod si mauis, relicta Hieronymi, Cyrilli, Procopij, Theodoli, & aliorum priscorum Patrum sententia, cum Eusebio, & alijs veteribus non infimæ authoritatis totum hoc vaticinium ad Christum referri, cui, vt inquiũt Theodolus & Procopius, Pontificia dignitas, simul cum Regia potestate collata est, libenter ego annuam: ita vt sensus sit, reiecto sacerdotio Iudæorũ, quod per Sobnam intelligitur, vocandum fuisse ad sacerdotium sempiternum Eliacim filium Helciæ, ideſt Christum ex semine Dauidis ortum: Eliacim enim Deum resurgentem significat apud Hebræos, & Helcia Dei hæreditatem sonat, quæ erat Iudæa. Quamobrem, quod sacer vates dixit, *Et erit quasi pater habitantibus Ierusalem, & domui Iuda*, non sic intelligendum est, vt illud, quasi, aduerbium sit similitudinis; à Hieronymo enim, & septuaginta viris, ad veritatem ipsam efficaciter exprimendam hoc in loco positum est: quemadmodum vbi Ioannes de eodẽ Domino & Saluatore nostro, inquit:
Καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρός, Ioan.c.1.
Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre. Idq. sanè ex ipsa Hebraica veritate liquidò constat, quæ sic habet: *Et erit in Patrem (vel* וְהָיָה לְאָב לְיוֹשֵׁב יְרוּשָׁלַםִ וּלְבֵית יְהוּדָה : *erit pater) habitanti Hierusalem, & domui Iuda*. Christus enim, & caput & pater est Ecclesiæ suæ: populus verò Christianus ex Iudæis & Ethnicis collectus, quem illa gremio suo continet & fouet, verè Deum confitetur, Iudæus autem (à verbo יָדָה, deductum, quod est confiteri) Hebraicè Gen.c.9.
confitentem, scilicet Deum, sonat, vnde & Iuda, confessio, dicitur. Iam verò inquit Paulus, *Non qui filij carnis hi filij* Rom.c.9.
Dei, sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine. Pro Pontifice ergo ministro Regis, quem Imperator Romanus sub aduentum Domini præficiebat Iudæis, datur summus

mus Sacerdos, & Rex Christus Dominus, qui *aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat*. Vbi septuaginta viri, veluti commentariolum, ex suo addidere: *Et dabo gloriam Dauid ei, & principabitur, & non erit, qui contradicat.* Christo, inquit Procopius, Regi & Pontifici non fuit contradi-
Ps. 88. cens, *nihil* enim *proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei*, dixit Regius Psaltes. Quod si Israelitæ obstinatis animis ei sese opposuerunt; Gentes profectò libenter ei obtemperarunt, & ipsius mandata diligenter persequuti sunt. Vnde ipse inquit: *Eripies me à contradictionibus populi, &*
Ps. 17. *constitues me in caput Gentium*: Et, *populus, quem non cognoui, obediuit mibi*: Et illud, *sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum*
Ps. 109. *pedum tuorum.* Præclare verò Paulus inquit: *Deinde finis: cum*
1. Cor. 15. *tradiderit Regnum Deo & Patri, cùm euacuauerit omnem principatũ & potestatem & virtutem. Oportet autem illum regnare: donec ponat omnes inimicos sub pedibus suis.* Perfectio, ait, & consumatio rerum omnium à Christo gerendarum erit, cùm tradiderit Regnum Deo, qui idem pater eius est: hoc est, cùm erepti, & liberati fuerint ij, quos ipse Regnum Deo & Patri suo in proprio sanguine fecit. Quod tunc quidem fiet, cùm aboleuerit omnem Principatum, & potestatem, atque vim sibi, & suis infensam, & aduersam, ita vt nihil iuris sit inimicis omnibus, quod aduersus filios Regni vllo modo exerceri possit. Namque à Rege Dauide scriptum est, oportere illum regnare, Regnumque conseruare, tueri, atque defendere, donec ponat omnes hostes suos sub pedibus suis, eosque subijciat, & conterat.

Siue igitur cum Hieronymo, & alijs ad Sobnam, & Eliacim filium Helciæ secundùm historiam; siue cùm Eusebio iuxta Propheticam allegoriam, totum illud Esaiæ vaticinium ad Christum referas, apparet profectò, per clauem, nihil aliud, quàm summam potestatem à sacro vate intelligi potuisse: cùm nullibi in sacris literis scriptum reperias, clauem Dauidis dari, nisi Regi & Domino, cui Regni possessio traditur. Eas ergo claues Christus Petro promisit,

quas

quas ipſe à ſempiterno ſuo Parēte prius acceperat. Etenim ſic ille inquit: *Ego ſum primus,& nouiſſimus, & viuus,& fui mortuus; & ecce ſum viuus in ſæcula ſæculorum,& habeo claues mortis & inferni*. Ex quo colligere potes, ſedem illam Dauidis ſempiternam non tam ipſi Dauidi,& filio eius Salomoni, qui quadraginta tātùm annos Regno potitus eſt,quàm Chriſto Domino,qui ſecundum humanitatem ab ipſo ortus eſt, in perpetuum fuiſſe promiſſam. Quem locum præclarè Epiphanius ante mille annos interpretatus eſt. *Thronus,* inquit, *Dauid,& Regia ſedes, eſt ſacerdotium in ſancta Eccleſia, quam dignitatem Regiam, ſimulque Pontificam coniunctim largitus eſt Dominus ſanctæ Eccleſiæ ſuæ translato in ipſam throno Dauid non deficiente in æternum,Et,* paucis interiectis, *à domo quidem carnali Iuda, & Iſrael Regia dignitas translata eſt; firmiter autem ſedet thronus in ſancta Dei Eccleſia in æternum,ex duplici origine dignitatem habens,Regia, ac Sacerdotali*. Eſt enim Chriſtus Saluator noſter Pontificum princeps & præfectus,& Rex Regum, ac dominus dominantium. Irenæus etiam, qui Epiphanium præceſſit, ita inquit, *Ad hanc Eccleſiam propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam,hoc eſt, eos, qui ſunt vndique fideles,in qua ſemper ab his,qui ſunt vndique,conſeruata eſt ea,quæ eſt ab Apoſtolis traditio*. Hùc accedit illud Cypriani: *Deus vnus eſt,& Chriſtus vnus,& vna Eccleſia,& Cathedra vna ſuper Petrum Domini voce fundata,* quæ nō alibi,quàm Romæ ſtabilienda,& eius primaria poteſtas conſeruanda fuit. Idcircò enim Deus aptè quidem & decorè ad tantam Reipub. ſuæ dignitatem & amplitudinem Petrum Apoſtolorum Principem tanquam lucernam fidei accenſam non ſub modio poſuit; ſed in maximo illo & eminentiſſimo vrbis candelabro erexit, vt inde illucere melius poſſet omnibus, qui in domo Chriſti ſunt. Et quia, quandiu Chriſti ouium cætus manet in hoc ſæculo,ei opus eſt optimus cuſtos, & paſtor vnus, qui ex muneris ſui ratione plus alijs oues diligat (talem enim ab initio Chriſtus Petrum inſtituit gregis ſui cuſtodem) Petro quidem neceſſariò aliquis ſucceſſurus fuit,qui tāquam

Apoc. c. 1.

Lib. 1. to. 2. hæ. 29.

Lib. 3. adu. hæ. c. 3.

Cyp. ep. 40. ſecund. Pamel.

Nn prima

prima inter Apostolorum successores lucerna, primum Ecclesiæ Christi candelabrum hoc est, Romanam sedem obtineret, quæ in terris maneret, vt ouibus Christi, ad exẽplum prædecessoris sui, clarissimam lucem ederet, & qui primariam illius successionem in eadem Ecclesia Romana, quam Petrus stabiliuit, illæsam conseruaret.

CA. XIII. HOc autem post admirabilem Pauli conuersionẽ Christum significare voluisse facilè nobiscum agnoscet, qui, ea quæ Lucas in actis Apostolorum scribit, animo à secularibus curis semoto considerabit. Ita enim inquit ille.

Act. c. 22. & 23. *Factum est autem reuertenti mihi in Hierusalem, & oranti in templo fieri me in stupore mentis, & videre illum* (scilicet Christum) *dicentem mihi festina, & exi velociter ex Hierusalem, quia non recipient testimonium tuum de me.* Postea quibusdam interiectis Lucas inquit: *Sequenti autem nocte assistens ei Dominus ait: Constans esto: sicut enim testificatus es de me in Hierusalem, sic te oportet & Romæ testificari.*

Gal. c. 1. 2. Cor. c. 11. Paulus certè multis in locis Christum esse verum Dei filium annunciarat: nec aliter, quàm suscepto in nomine eius Baptismo, quempiam posse sempiternam salutem consequi, non semel tradiderat: vt in Arabia, non multo postquam baptizatus fuit, & in Damasco, vbi manus hostiles euasit in sporta ex mænibus demissus, & in clarissima Ioniæ vrbe, nomine Epheso, quandò cum bestijs pugnauit. Post hoc etiam mandatum, quod diuinitus accepit, insigne de magistro suo Christo Saluatore nostro perhibiturus erat testimonium coram Felice Iudææ Præside, & Agrippa, qui Herodi in Regno successit. Quid est ergo quòd alijs locis omnibus omissis hic solùm Hierosolymæ, & Romę fit mentio? Sanè vt, quemadmodum à Iudæis ad ethnicos fides Christi transibat, sic etiam summa annunciandæ fidei authoritas cum cathedra transferri à Iudæorum metropoli ad vrbem Romam omnium Gentium caput significaretur. Quis enim est adeò veterum monimentorum, & sacrorum oraculorum ignarus, qui nesciat Deum Hierosolymam quidem elegisse, vt in ea templum & no-

men

men ſuum eſſent, poſteà verò Iudæos abieciſſe, quoniam obſtinatis animis à lege defecerant, & fœdus, quod ſecum inierant turpiter violarāt. Propterea igitur Chriſtus Paulo imperauit, vt, relicta Hieroſolyma, Romam ſe conferret; vbi Petrus Apoſtolorum Princeps nouam metropolim Chriſto fabricabat, quæ veterem illam Iudæorum longo poſt ſe interuallo relinquebat.

Nec verò Chriſtus prius Paulo iniunxit, vt Romam peteret, quàm Petrus ibi nouæ Metropolis fundamenta iecisſet. Cur ita? Certè quia, vt inquit idē Paulus, primitiæ ſempiternæ ſalutis, quam Chriſtus hominibus attulit, in Iudæorum gente fuerunt conſecratæ. Primi enim Apoſtoli, ac diſcipuli multi ex Iſraelitis huius ſalutis participes facti ſunt. *Quòd ſi delibatio ſancta eſt, & maſſa: & ſi radix ſancta, & rami.* Rom. c. 11. Iam verò haud obſcurè cōſtat radicem fuiſſe ſanctam: quia Patres, ex quibus hi procreati ſunt, Deo placuerunt, adeò vt in peculiarem populum fuerint adoptati. Rami ergo, qui ſecundum carnem prognati fuerint, non erunt, natura ſua profani, & à ſanctitate, atque religione alieni; ſed apti ad ſuſcipiendam & manifeſtandam Dei benignitatem. Atque hæc quidem radix adhuc manet, & ramos adhuc profert, in quibus ſingularis ſanctimonia ſpectatur, & maximè commendatur. Quòd enim alij rami ſunt defracti, non idcircò eſt arbor funditus auulſa: imò in locum ramorum, qui abrupti ſunt, ethnicorum populus, cū adhuc oleaſter eſſet, inſitus eſt, & promiſſæ illius ſalutis communicatione, & iuſtitiæ munerè donatus fuit. Cùm igitur Petrus ſacerdotalis ſocietatis aſpectabile principiū, & radix eſſet, non ſolùm quia primus Apoſtolorū à Chriſto fuit, ac fratrum confirmator vocatus, & ouium paſtor conſtitutus eſt, ipſumq. Chriſtum præ alijs dilexit; verùm etiam quia Iudæorum præcipuus extitit Doctor & Apoſtolus: profectò quanquam Paulus non minus quàm Petrus ex genere Abrahæ originem ducebat, tamen, quia extra numerum duodecim Apoſtolorum qui ad duodecim

Iſraelis tribus miſſi ſunt, Apoſtolus fuit creatus, & non Iudæorum, ſed Gentium Apoſtolus dicebatur; nè Chriſti Eccleſiæ aſpectabile fundamentum ab ethnicis potius, quàm à Iudæis exortum fuiſſe videretur, non Paulus, ſed Petrus in noua metropoli præcipuam Eccleſiam fundauit. Quoniam verò Petrus pinguem illam, fœcundam, atque vberem oliuam iam quondam in Patriarchis & Prophetis à Domino Ieſu, qui etiam miniſter circuncıſionis fuit, ſatam excellenti quodam modo referebat ob digniorem circuncıſionis Apoſtolatum; Paulus verò, quòd Gentium Apoſtolatum obtinuerit, oleaſtri potius typum gerebat, vtique ad Eccleſiam Romanam à Petro iam prius fundatam Paulus miſſus eſt, tum vt ibi Chriſti nomen annunciaret, eumque Dei filium eſſe teſtaretur, atque ita ſuper fundamentum ab alio iactum (quod alibi minimè fecerat) ædificaret; tum etiam vt Gentium à ſe conuerſarum ſurculos, tanquam oleaſtrum, in opimam Petri circuncıſionis miniſtri oliuam inſereret; ſicque ex vtroque Iudæorum, & Gentium populo vna Eccleſia, & ea Romana coaleſceret, & ab vtroque Iudæorum & Gentium Apoſtolo vna Cathedra, & ea Romana ſtabiliretur.

Gal. c. 2. *Rom. c. 11.* *Rom. c. 15.*

Quoniam autem ſi Petrus alibi, quàm Romæ, extremum vitæ ſpiritum ederet, & merito, & iure timenda eſſet, maxima aliqua rerum perturbatio, qualis equidem fieret, ſi vel ſaltem tres Eccleſiæ de primatu contenderent, (Romana ſcilicet, quæ caput erat Gentium, ad quas iam Chriſtus, non modò fidem & religionem, ſed etiam Regni ſui ſedem à Iudæis tranſtulerat, & illa vbi Petrus quieſceret, qui Apoſtolorum Princeps fuerat, & ea vbi Paulus Gentium Doctor vitam dimitteret) ita Chriſtus Saluator noſter ſuæ Eccleſiæ ſaluti, paci, ac rationibus proſpexit, & conſuluit, vt ſimul manifeſtè oſtenderit, diuino conſilio factum fuiſſe, vt Regni ſui ſedes Romæ, Petri verò ſucceſſores Romani Pontifices Vicarij ſui conſtituerentur. Quapropter cùm Petrus nonnullorum precibus adductus, qui

eius vitam adhuc ſibi neceſſariam iudicabāt, ex vrbe egredi cæpiſſet, quòd in ſe Neronis iram concitauerat, ob inſignem illum præſtigiatorem Simonē aere detruſum, Chriſtus ipſi ad portam occurrit, voluntatemq. ſuam eſſe aper tè ſignificauit, vt pro nomine ſuo in vrbe mortem ſubiret. Quod quidem non ſolum Ambroſius, & Hegeſippus commemorant; verùm etiam peruetuſta Romanæ Eccleſiæ traditio, quæ in huiuſce rei perpetuam memoriam ſacellum quoddam in via publica erexit, & Chriſto religiosè dicauit, conſtanter atteſtatur. Ecce Petrus Apoſtolorum caput, & populi circuncisi Apoſtolus in vrbem terrarum orbis caput ex Antiochia commigrauit: Romam quoque Apoſtolus Paulus Gentium caput à Domino miſſus eſt: Inde abſcedere, & aliò migrare Petrus ab eodem Domino prohibitus fuit; & vt ibi maximum & vltimum fidei & charitatis in Chriſtum teſtimonium daret, & præfecturæ paſtoralis ſucceſſorem relinqueret, diuinitus admonitus fuit. Petrus denique & Paulus in vrbe Roma vita iuſſu tyranni priuati ſunt, vt omnes Eccleſiaſtici primatus cauſæ in vnum, eundemque locum concurrerent: nec poſteà vllus, non modo altercandi, ſed nè dubitandi quidem locus relinqui poſſet.

Amb. to. 5. in concio. de baſil. non trad. hær. Hegeſip. de excid. Hieroſol. lib. 3. cap. 2. Hiero. in pſ. 4. pænit. & alij.

Huius autem principatus, quem Petrus veluti per manus ſucceſſoribus ſuis tradidit, ſplendor, & amplitudo mihi profectò ab Auguſtino diſertiſſimè inſinuata fuiſſe, ſemper viſa eſt. Cùm enim de ſancto Ioanne Baptiſta ſermonem inſtitueret, & eiuſdem verba de Chriſto prolata explicaret, *illum*, ſcilicet, *oportet creſcere, me autem minui*; figuram quandam, & imaginem rerum futurarum mirabilem hac oratione contineri exiſtimans, inquit, Ioannem quidem minutum fuiſſe, cùm capite truncatus eſt; Chriſtum autē, typo quodam ſignificante, creuiſſe, dum in cruce extendebatur. Quod myſteriū ita appoſitè ad Petri, & Pauli mortem adaptari poteſt, vt antiquiſſimus Tertullianus ſcripſerit, Petrum ob ſupplicium crucis, quod ſubiuit, Chriſti paſſioni

Ser. 1. de S. Ioan.

Ioan. c. 3.

Tertulli. de præſ. aduer. hær. & li. 4. adu. Marci.

passioni adæquatum fuisse; Paulum verò, quia gladio percussus vitā finiuit, Ioanni Baptistæ similem extitisse, quippe cuius exitu coronatus fuit. At quid opus est Tertulliani hac de re sententiam tanto studio ex ipsius monumentis educere? Præstat quidem arcanum istud sacramentum è proprio fonte haurire, quàm riuulum sectari. Cùm ergo Christus Saluator noster hoc Petro multò antè prædixerit, ipsum audiamus. *Amen*, inquit ille, *dico tibi, cùm esses iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet quò tu non vis. Hoc autem*, ait Ioannes Euangelicæ historiæ scriptor, *dixit significans, qua morte clarificaturus esset Deum*. Eleganter Tertullianus aduersus Marcionem, *Vitas*, inquit, *Cæsarum legimus, orientem fidem Romæ primus Nero cruentauit. Tunc Petrus ab altero cingitur, cùm cruci astringitur. Tuuc Paulus Romanæ ciuitatis consequitur facultatem, cùm illic martyrij renascitur generositate*. Sed quorsum hæc? Sanè eò tendunt, vt quemadmodum Ioannis Baptistæ gloria cùm è viuis excessit, diminuta est, quia capite truncatus, qui prius orbis redemptor à nonnullis credebatur, purus homo apparuit: Christi verò gloria in morte aucta fuit, quoniam tunc Deus & homo cognitus est: & idcircò Ioanni caput abscinditur, Christus verò in cruce extenditur; sic proculdubiò Petri & Pauli gloriæ euenisse demonstretur. Paulus enim, quoad vixit, insignem quendam principatum gessit, quem non ab hominibus, vt ipse testatur, aut per hominem, sed ab ipso Deo accepit, à quo electus fuit, vt doctrinam Euangelicam populis Ethnicorum longè, latèq. diffusis annunciaret. Cui rei ita egregiā nauauit operam, vt idem se plus omnibus laborauisse cōstanter, & liberè asseruerit. Aduenit tandem & Petro, & Paulo moriendi necessitas: Paulus quidem primatus sui splendorem & gloriam ad posteros suos, quos propriè posteritatem suam potuisset appellare, non transmisit: Petrus autem & in vita Apostolorū maximus fuit, & in morte amplioris cuiusdam gloriæ magnitudinem præ se tulit.

Ioan.c.21. *Lib.4.* *Gal.c.1.*

Tunc

Tunc ergo Paulus extenuatur & minuitur, cùm capite trũcatur; Petrus verò, ne quid de dignitate sua minui videretur, in cruce extenditur, & hoc etiam crucifixi honore augetur, vt, manibus ab oriente in occidentem porrectis, clauium suarum, hoc est, omnem ligandi, & soluendi plenissimam, ac planè Regiam potestatem à Christo sibi diuinitus delatam ad posteros & successores suos simul cum Romana Cathedra transmiserit. Quapropter & ab oriente, & occidente, & reliquis orbis partibus non solùm priuati homines, verùm etiam Episcopi, quibus Ecclesiarum cura demandata erat, ad Romanam sedem non rarò venerunt, vt Romanum Pontificem de rebus Ecclesiasticis consulerẽt, & eius sententiam sequerentur, quippe qui, quanta esset huius Monarchiæ authoritas, optimè norant. Vnde, non casu aliquo, sed diuino potius, & arcano Dei consilio factũ fuisse, existimandum est, vt Paulus, abscisso capite, & Petrus, corpori cruci affixo, ad sempiternam beatitudinem euolauerint. *Ioan.c.11. Matth.c.16*

CAP. XIV.

NON est autem cur nobis Apostolicæ sedis teterrimi hostes obijciant, Paulum Petro prælatum, & Apostolorum omniũ Principem habitum fuisse, ob idq. iam olim quod ad hunc vsque diem in more positum est, per antonomasiam Apostolum eum appellare omnes consueuisse. Iam enim Augustinum hunc nodum dissoluisse apparet, sic enim scriptum reliquit: *Apostolus cùm dicitur, si non exprimatur quis Apostolus, non intelligitur nisi Paulus, quia pluribus est epistolis notior, & plus omnibus illis laborauit.* Non ergo Paulus per antonomasiam Apostolus nũcupatur, quòd maiorem potestatem, vel authoritatẽ, quàm Petrus habuerit: sed quod sapientia, & doctrina cæteris Apostolis præstiterit, & plura literis mandauerit, & pluribus in locis (quod quidem proprium Apostolatus munus est) fidem Christi, & verum religionis cultum diligenti studio seuerit. Non enim (vt testatur Hieronymus) solummodo ab Hierosolymis ad Illyricum, quanquam hæc magna est locorum distantia, *Cont. epist. Pela.l.3.c.3*

sed

ſed etiam à mari rubro vſque ad Oceanum in vniuerſum ferè orbem Chriſti nomen religioſè detulit, adeò, vt prius terra quàm annunciandæ magiſtri ſui doctrinæ ſtudium ſibi defuerit. In hoc ergo Apoſtoli proprio munere Paulus excelluit: quo fit, vt, ſicut Petrus dicitur Princeps Apoſtolorum, quia inſtitutus eſt caput totius Eccleſiæ, & vniuerſalis Dominici gregis Paſtor, ita Paulus rectè appellari poſſit Apoſtolorum Princeps; quia Apoſtolico munere præ cæteris functus eſt. Quod proculdubiò nec Petri primatui, nec Pontificum Romanorum ſucceſſorum eius authoritati vllo modo derogat.

Addo etiam, quòd licet conſtaret Paulum omnibus nominibus Petro anteponi debuiſſe, nihil id vel Petri pontificatui, vel ſummis Pontificibus obeſſe poterat. Nam Romani Pontifices non ſolùm Petrum, verùm etiam Paulũ prædeceſſorem, & parentem agnoſcunt: propterea quòd vterque (vt Irenæus præter multos alios conſtãter aſſerit) Romanam Eccleſiam fundauit. Sed Petrus prima fundamenta iecit, fuitque petra illa immobilis, in qua vniuerſa ſtructura firmiter innixa conſiſtit: Paulus verò ſuper iactum à Petro fundamentum conſtruxit, ac veluti ſurculos quoſdam oleaſtri (vt iam ſuperius diximus) in pinguiſſimam oliuam inſeuit. Vterque etiam Romæ martyrij palmam adeptus eſt, & effuſo pro Chriſto ſanguine ſibi inſignem gloriam comparauit, quæ ad Romanorum Pontificum ſplendorẽ potius amplificandum, quàm minuendum facit. Quibus accedit, hanc Pauli gloriam, & authoritatis amplitudinem, quanta quanta illa tandem fuerit, extraordinariam extitiſſe, ac propterea Petri primatui obeſſe minimè potuiſſe. Nam quemadmodum olim in Iudæorum populo maior extitit Moſes, quàm Aaron, qui tamen verè ac propriè ſummus Pontifex erat; & non Moſis, ſed Aaronis poſteri in ſumma illa dignitate & Pontificatu patri ſucceſſerunt, quoniam illius quidem poteſtas extraordinaria, huius verò ordinaria fuit: ita etiam ſi admitteremus

Ire. lib. 3. c. 3.

mus

mus priuilegio quodam Paulum ſuperiorem Petro fuiſſe; non propterea dubium foret, quin Petrus verus, & ordinarius Eccleſiæ eſſet Pontifex maximus, & eius ſucceſsores vices Chriſti gererent. Quæ Sanctus Maximus æquiſſimè perpendens, cùm, ſe nolle difinire, an hi Apoſtoli inter ſe pares fuerint, vel vter vtri præſtiterit, apertè ſignificauerit: quamuis tamen Paulum in ſapientia præter cæteros omnes Apoſtolos excelluiſſe cognouit; Petrum profectò Paulo, & cunctis alijs maiorem fuiſſe poteſtatis amplitudine affirmauit. Adeò vt Petro clauem potentiæ, Paulo verò ſapientiæ clauem datam fuiſſe dixerit. Fuerunt quidem, fateor, hi duo Apoſtoli virtute, & meritis æquales (hoc enim Sanctiſſimus Leo inquit, *Hos gratia Dei in tantum apicem inter omnia Eccleſiæ membra prouexit, vt eos in corpore, cui caput eſt Chriſtus, quaſi geminum conſtituerit lumen oculorum, de quorum meritis, atque virtutibus nihil diuerſum, nihil debemus ſentire diſcretum; quia illos, & electio pares, & labor ſimiles, & finis fecit æquales. Ergo,* inquit Maximus: *beati Petrus, & Paulus eminent inter vniuerſos, & peculiari quadam prærogatiua præcellunt, verùm inter ipſos, quis cui præponatur, incertum eſt, puto enim illos æquales eſſe meritis, quia æquales ſunt paſſione*) Sed tamen Petrus (quod veteres orthodoxi Patres exploratum habuerunt) maiorem poteſtatem habuit, quam Paulus, & dignitate omnibus Apoſtolis antecelluit. Hinc illud, quod ſilentio prætereundum minimè duxi, ortum mihi videtur; vt Petrus, cui Chriſtus Redemptor noſter dixit, *Tu me ſequere*, hoc eſt, ego volo vt tu idem mortis genus, quod ipſemet ſubiturus ſum, patiaris, ad ſuppliciū ductus precibus obtinuerit ne ſicut Chriſtus capite in cælum eleuato, & pedibus in terram verſis, ſed potius pedibus in cælum ſublatis, & capite in terrā demiſſo in crucem ageretur. Cur ita? Sanè vt ſignificaret, ac veluti ante oculos omnium proponeret, ſe non Eccleſiæ in cælo triumphantis Principem, ſicut Chriſtum, ſed illius partis, quæ adhuc in terris militat, Vicarium caput fuiſſe conſtitutum. Cuius primatus finis eſt iter Eccleſiæ in cælum

Ser. vlt. de Petro, & Paulo.

Serm. 1. de nat. Pet. & Paul.

Ioan. c. 21.

lum dirigere. Cùm etiam Petrus comparatus sit oliuæ pingui & opimæ iuxta decursus aquarum optimè plantatæ, cuius folia nec etiam æstiuo tempore defluunt, & talis mẽbrorum dispositio arboris figuram, & imaginem quandam præ se ferat; profectò haud obscurè ex hac in terram capitis conuersione, & pedum in cælum eleuatione deduci potest, Petri fidem, pro cuius firmitudine Christus sempiternum suum Parentem enixè precatus est, nunquam defecturam, & vberrimos fructus, & ad confirmandos fratres aptissimos, opportunè producturam.

CAP. XV.

IAm equidem huic disputationi iure optimo finem imponere poteramus: sed cùm eam esse aduersariorum conditionem, illum genium, & ingenium illud hominum istorum optimè nouerimus, vt fugiẽdo nonnunquam, Tartarorum more, soleant improuisis incursionibus victores, à tergo insectari, & strepitu potius, quàm armorum vi tyrones perterrefacere, operæ pretium erit non prius à certamine discedere, quàm illorum nefarij impetus repressi, & ipsi omninò prostrati & contriti videantur. Cùm ergo pergrauiter ferant Petrum Apostolum à Christo supremum Ecclesiæ prędidem institutum fuisse, & illius iussu ex Antiochia Romam commigrasse, ibique sedem suam fixisse; sacra oracula nouis, peregrinis, & fallacibus interpretationibus adulterarunt; quàm multas veterum scriptorum sententias lacerarunt, & turpiter corruperunt, quas nobis temerè obijcientes, ita omnia commiscuerunt, vt imperitorum animos facilè perturbauerint, & Petri primatum, vel nullum aliquando fuisse, vel post ipsius obitum maiori ex parte euanuisse; Romanæ verò Ecclesiæ, & Apostolicæ sedis, quam augustè sanctèque Romæ collocatam veneramur, authoritatem nullam vnquam extitisse, ignaræ plebi impij homines persuaserint: quamobrem, quamuis quæ ordine, & ratione vacant, cuiusmodi sunt isthæc omnia, ea mentita & falsa, plenaque erroris benè veritatem intuentibus appareant; tamen nè ex nostro silentio

illorum

illorum figmenta vires capiant, tantæ impietatis potissima fundamenta confutare nobis opus esse duximus. Non tamen singula percurremus, cùm id à viris doctissimis, qui hac nostra ætate huic rei maximam operam nauarunt, summa cum laude præstitum fuerit; sed ea breuirer attingemus, ex quibus haud difficile erit omnibus obiectionibus respondere.

Age ergo, vt certaminis initium à diuinorum oraculorum interpretatione ducatur, discutiamus primo loco quę Christum Redemptorem nostrum Petro dixisse, apud Matthæum legimus. *Tu*, inquit Dominus, *es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo claues Regni cælorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Equidem cùm hæc verba diligenti studio sæpè, & sæpius perpendissem, & intellectu facillima, & nullas omninò continere ambages mihi visa sunt. Erasmus tamen, quo fuit ingenio, valdè miratus est extitisse aliquos, qui hunc locum ad Romanam Ecclesiam detorserint: & quasi Cyprianus, & Hieronymus, qui non aliter hæc Christi verba, quàm de Ecclesia super Petrum construenda exponunt, inauditum paradoxum probandum assumpsissent, eos excusare tentauit. Qui miser quoniam inciderat in quandam allegoricam expositionem ab Origene excogitatam, quam sibi fauere arbitratus est, eò amentiæ deuenit, vt asseruerit eo loci sub nomine petræ intelligi omnes Christianos. Qui sensus vt ab homine perfida mente cogitationeque fictus ab ipsa verborum serie, & Christi sermone omninò remotus est & alienus. Ad nullum enim alium hæc Redemptoris nostri verba rectè referri possunt, (*Beatus es Simon Bar-Iona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*) quàm ad Simonem Ionæ, siue Ioannis filium, cum quo sermonem instituerat, cuiq. nouum nomen Petrum indidit, nè quis suspicari posset, se de Simone fratre

Matt. c. 16.

Orig. tra. 1. in Matth.

Thadæi loquutum fuiſſe. Quid? quòd etiam pronominibus certam perſonam deſignantibus vſus eſt, *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meã, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Quòd ſi aliquis adhuc exiſtimet nihil peculiare in Petrum fuiſſe collatum, is profectò haud difficile putabit omnia ſacræ ſcripturæ teſtimonia deprauare, ſibique licere ad ſuos ſenſus ea detorquere, & nouam condere ſcripturam, quod hæreticis valdè familiare eſt, quam pro Dei oraculis fallaciſſimè venditare poſſint ignaris populis. Cùm enim Paulus Eccleſiæ membra ita inter ſe diſtincta eſſe tradat, vt ſingula peculiares habeãt functiones: *Si totũ corpus*, inquit ille, *oculus, vbi auditus? ſi totum auditus, vbi odoratus? Quod ſi eſſent omnia vnum membrum vbi corpus?* Profectò, ſi nihil peculiare Petro à Chriſto conceſſum fuiſſe ex illa oratione deducitur, ſed per petram omnes Reipub. ſuæ ciues intellexit, cùm ſuper eam ſe conſtructurum Eccleſiam ſuam promiſerit, hi omnes tam ſublimis ædificij fundamentũ erunt. Si autem ſic ſeſe res habet, Pauli argumẽtatione vrgebo interrogando: ſi omnes, qui Chriſto nomen dederunt, Eccleſiæ ſunt fundamentũ, at vbi parietes? Vbi cæteræ ſtructuræ partes? An totum ædificium fundamẽtum erit? Iam verò hoc quàm incredibile, quàm abſurdum? Adeò ſanè vt id omnium mentes aſpernẽtur, ac reſpuant. Quomodo ergo, inquies, Origines dixit: *Petra eſt omnis Chriſti imitator, & ſuper omni eiuſmodi petra ædificatur Eccleſia Dei. In ſingulis enim quibuſque perfectis, qui habent in ſe congregationem verborum, & operum, & ſenſuum omnium conſiſtit Eccleſia, cui portæ non præualent inferorum?* Sanè vt per allegoriam quandam ſignificaret ex huiuſmodi Chriſti imitatoribus Eccleſiam, tanquam corpus quoddam ex ſuis membris, compingi. Nam alibi de Petro idemmet Origenes inquit: *Vide magno illi Eccleſiæ fundamento, & petræ ſolidiſsimæ, ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam, quid dicatur à Domino: modicæ fidei quare dubitaſti?* Alibi quoque ait: *Petrus per promiſſionem meruit fieri Eccleſiæ fundamentum.* Cùm etiam adduxiſſet illa Saluatoris noſtri verba:

Marginalia: 1. Cor. c. 12. — Tractat. in Matth. — Hom. 5. in Exo. — In Matth. tract. 3.

verba: *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam*, continuò subiecit; *Neque aduersus hanc petram, neque aduersus Ecclesiam, quæ super hanc petram ædificabitur portæ inferi præualebunt*. Ex quibus omnibus liquet, nihil magis alienum à mente Origenis fuisse, quàm quod ex illius oratione Erasmus colligere molitus est. *In Matth. tract. 1.*

Nec verò Caluinus æquiori lance rem perpendisse mihi videtur, cùm in eundem, in quem Erasmus turpiter delapsus sit errorem. Nam ex ea Christi promissione Petro facta deducere conatur, Petrum quidem ad Ecclesiæ constructionem facere, vt ipse præter cæteros in ea ædificetur; non autem vt ipse præter cæteros ex pacto & promisso Christi Ecclesiam ædificet: vt sit idem quod Christus Saluator noster Petro dixit, cum eo, quod de omnibus Christianis posteà Paulus ad Ephesios scripsit. *Iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino.* Hoc est, iam non estis hospites, & aduenæ, sed conciues sanctorum Abrahæ, Mosis, & Heliæ, cũ quibus in eandem ciuitatem, (sic enim Chrysostomus ait) descripti sumus: super Apostolorum, & Prophetarum structi fundamentum: id est, super fundamen cui innituntur prophetiæ omnes, & Euangelium, & vniuersa doctrina humano generi salutaris. Namque hæc omnia demonstrant Christum positum esse in structura domus Dei angularem, & fundamentalem lapidem, quod ipsemet Apostolorum Princeps Petrus dixit: *Ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum: & ipsi tanquam lapides viui superædificamini domus spiritualis in sacerdotium sanctum*. In hoc ergo ædificationis genere vult Caluinus Petrum quoad fidei ardorem, & doctrinam, & animi magnitudinem primum locum habere, cæterisque antecellere; quia excellẽtius à Christo ædificatus est. *Eph. c. 2.* *1. Pet. c. 2.*

Non

Non tamen fraudulentus iste cacodæmonis minister, aut sectatores eius, hac cauillatione decipiet aliquem, qui diligenter considerabit Christum eo loci locutum fuisse de actiua Ecclesiæ suæ constructione super ipsum Petrum, tanquam qui futurus erat principale instrumentum in ratione ædificandi alios; non autem de passiua, qua Petrus ædificatus ipsi Deo fuit in templum viuum. Quamobrem non possum non vehementer mirari stolidissimam hominis istius cauillationem, qui, vt Pauli mentem se præ omnibus alijs assequutum fuisse, audacter prædicaret, & ingenij sui acumen venditaret, ab orco reuocauit damnatam iam anteà interpretationem, quam nefarius Ioannes Vuicleffus in illa Christi verba commentus fuerat. O cæcam hominis mentem? An absurdius aliquid excogitari potuit, quàm dicere Christum Redemptorem nostrum significare voluisse à se Petrum in se ædificatum iri supra cæteros propter fidei ardorem, & aliarum virtutum præstantiam? Certè si ita esset, non Christus Ecclesiam suam, sed Petrum ædificare diceretur. Quo fieret, vt firmitudo illa, quàm ne inferorum quidem potestas labefactare vnquam poterit ob Christi promissionem, & singulare Spiritus sancti præsidium, non Ecclesiæ, sed Petro concessa crederetur, ita, vt portæ inferorum non contra Ecclesiam, sed cōtra Petrum non præualituræ dicerentur, Quod aduersarij, & maximè Caluinus ipse, & Magdeburgenses ita execrantur, vt inaudita quadam temeritate sanctissimum Petrum cælestis Regni ianitorem maximis conuitijs impetant, obijciantque ei quindecim lapsus (sic enim illi) vt persuadeant ignaræ plebeculæ nè aliquid honoris præstantissimo Apostolorum Principi deferat. Præterea, ipsi totis velis & remis (vt dicitur) probare nituntur Christi promissionem de Ecclesia super petram construenda non ad Petri personā, sed ad illius fidem & confessionem esse referendā. Si ergo non Ecclesiam suam Christus, sed Petrum à se ædificandum esse promisit; proculdubiò cùm isti velint petram illam,

Vuald. libr. 2. doctr. fid. cap. 5.

Belarmi. lib. 1. de Rom. Pont. c. 28.

lam, ſuper quam Dei filius ædificauit, eſſe Petri fidem, & confeſſionem, qua ipſe diuinitatem Chriſti diuino afflatus numine faſſus eſt. Petrus ſuper ſe ipſum, aut ſuper exteriorem confeſſionis ſuæ actum ædificatus eſſet. Sed hoc quidem ſibilis potius proſequendum, quàm rationibus confutandum eſt. Nemo denique erit, dummodo compos mentis ſit, qui neget Ioannem, & Paulum, & alios, ſi ad virginitatem reſpiciamus, Petro matrimonij vinculo copulato *1. Cor. c. 7.*
quoad hanc ſaltem virtutem antecelluiſſe: cùm matrimonium cælibatus ſplendore & dignitate multo ſit inferius: vt patet ex eo, quod Paulus, qui matrimonium illis permittit, qui cælibem vitam agere nollent, exoptat vehementer omnes ſibi fieri ſimiles. Quo, vt author eſt Auguſtinus, *De grat. & lib. arb. c. 7.*
ſanctiſſimus Apoſtolus ſignificauit ſe ab omni veneris macula liberum eſſe: nam alij quoque ſancti Patres, præter Auguſtinum, qui maxima ſemper valuit authoritate, aſſeruerunt Paulum ab omni coniugij vſu abſtinuiſſe. Conſtat etiam cælibatum à Paulo matrimonio præferri, ex eo, quod idemmet Apoſtolus conſulit coniugibus, vt mutuo conſenſu ad tempus omnibus voluptatibus abſtineant, quò diuinis laudibus, & precibus vacare melius poſſint: tanta eſt enim humanæ carnis imbecillitas, vt vix aliquis ſine voluptate carnis vxore ſua vti queat: atque adeò dubium non eſt, quin inde aliquid torporis animus ſibi contrahat; quod eius vires aliquantulum eneruet, & charitatis ardorem diminuat. *Cum non amor procreandæ ſobolis*, inquit *Gre. in reſp. 10. ad inter. Auguſt. habetur 33. q. 3. can. vir.*
Gregorius, *ſed voluptas dominatur in opere commixtionis; habent coniuges etiam de ſua commixtione quod defleant.* Quapropter olim in more poſitum erat, *poſt admixtionem propriæ coniugis, & lauacri purificationem quærere, & ab ingreſſu Eccleſiæ paululum reuerenter abſtinere.* Quam conſuetudinem, vtpote pietatis pleniſſimam Sanctus Gregorius inſtaurauit; non quod exiſtimauerit aliquam ineſſe aquæ diuinam virtutem (vt Petrus *Viretus de adult. ſacra. c. 15.*
Viretus turpiſſimè calumniatur) ad maculam in coniugum admixtione ſuſceptam eluendam; ſed quòd illa cære-

monia

monia homines admonitos voluerit esse aliquid, quod coniuges ob commixtionem dolere debeant, cùm non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur. Quæ omnia euidenter quidem demonstrant virginitatem longè, multumq. præstare matrimonio. Quòd si cælibes excellentioris cuiusdam status, quàm ij, qui coniugio copulantur, cultores sunt; apparet profectò Paulum, & Ioannem, quia virgines erant, hac saltem virtute Petro præstantiores fuisse. Quid? quòd Paulus in propria Apostolatus functione, studio, & labore Petrum superauit: quippe qui, vt diximus, se maiorem operam doctrinæ Christi annunciandæ nauasse testatus est. *Existimo*, inquit Corinthijs scribens, *nihil me minus fecisse à magnis Apostolis*. Hoc est, si officij, & muneris mihi à Deo assignati rationem spectetis, haud quidem cæteris, quanuis & ipsi magnum & excellens nomen, ac eximiam quandam obtinuerint dignitatem, Apostolis cedam, & fasces submittam. Vnde Sanctus Hieronymus affirmare minimè dubitauit, si merita eius spectemus, Paulum inter omnes Apostolos primũ locum obtinere. *Paulus Apostolus*, inquit ille, *& vas electionis de persequutore mutatus, nouissimus in ordine, meritis primus est, quia extremus licet plus omnibus laborauit*. Quod si nec nominũ mutationes, de quibus in sacris litteris mẽtio facta est, mysterio vacant, perpende, obsecro, Paulo, antequam Christo fidem dedisset, Saulum nomen fuisse. Quemadmodum autem Saul Rex Iudææ Dauidem persequebatur; cui semel, atque iterum fassus est, se vitam acceptam referre debere: sic & Saulus (nisi mauis non Latinè Saul dicere) qui ex eadem tribu ortum duxerat, cũ verum Dauidem Christum Saluatorem nostrum, hoc est, Christi militiæ adscriptos acriter insectaretur, ab eodẽ prostratus protinus manus dedit. *Domine*, ait, *quid me vis facere? Et Dominus ad eum, surge, & ingredere ciuitatem, & dicetur tibi quid te oporteat facere*. Nec amplius Saul, sed Paulus cognominatur ab omnibus. Cur ita? An vt mirabilis illius ad Christi religionem con-

1. Cor. c. 15. & 2. Cor. c. 11.

Epistol. ad Pauli.

Rom. c. 11.

uersio,

uersio, & singularis eius ad concionatoris munus assumptio significaretur? Rectè hoc quidem suspicabimur: Paulus enim, vt inquit Hieronymus, apud Hebræos admirabilem, & mirificum, siue electum sonat. Refert autem Lucas Christum Ananiæ, quem Pauli preceptorem & doctorem instituerat, dixisse: *Vade quoniam vas electionis est mihi iste; vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filijs Israel*. Hoc est, Ille quem omnes nominis mei hostem audistis esse, est iam instrumentum electum mihi ad nominis mei famam propagandam: namque illos spiritus, quos aduersum me feruidus ostendebat, egi iam vt in mei nominis gloriam prōptissimos & expeditissimos validè exerceat: ita vt qui contra nomen meum multa moliebatur, edocendus sit à me quanta pro nomine meo laborum, curarum, ac tandem mortis pericula, & exempla sit subiturus. Et posteà dixit Spiritus Sanctus ijs qui erant in Ecclesia Antiochensi: *segregate mihi Barnabam, & Saulum in opus ad quod assumpsi eos*. Erat quidem Ecclesia Antiochensis instructa ministris plenis Spiritu Sancto, ex quibus oportebat aliquos segregari ad Euangelij annunciandi munus in alijs regionibus obeundum; & quamuis multi & idonei essent, tamen Paulus precipuè segregatus est, qui ad peregrinationis, & legationis officium fuerat vocatus Apostolus, vt portaret nomen Iesu coram gentibus, & Regibus, & Principibus Israel. Et ipsemet Paulus ad Romanos scribens de grauissimis rebus, & arcanis religionis nostræ mysterijs, se electum fuisse dicit, vt perferret bonum Dei nuntium, non obscurum quidem, aut inauditum vnquam, sed promissum antè multorum vatum oraculis, quorum exempla certissima literarum monumentis descripta constabant: *Paulus* (sic enim inquit ille) *seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei, quod antè ptomiserat per prophetas suos in scripturis sanctis, de filio suo, qui factus est ex semine Dauid secundum carnem, qui prædestinatus est filius Dei in virtute*. Quibus verbis ad dictionis Hebraicæ etymologiā, sonat enim mirabilē, electum, & se-

Hier. in epl. ad Philem.

Act. cap. 9.

Act. c. 13.

Rom. cap. 1.

gregatum, Paulus, qui Hebræus erat mihi videtur aduertisse. Nam & apud Esaiam, vbi nostra vulgata editio habet de Christi nomine, *& vocabitur admirabilis* Hebraicè est, פֶּלֶא Vnde etiā Dionysius Areopagita Paulū appellare consueuit Sāctum & mirabilē, ad nominis Hebraici notationem fortasse alludēs. Adeò certè vt probabiliter suspicari possimus, Paulo diuinitus nomen immutatum fuisse cùm ei primùm Christus apparuit in via, vel etiam cùm Spiritus Sanctus Ananiæ dixit, *segregate mihi Saulum*: nam, paucis interiectis, inquit Lucas: *Saulus autem, qui & Paulus, plenus Spiritu sancto &c.*) vt innueret ei nomen suum quod est, mirabilis, Christum communicare voluisse, quemadmodum Principi Apostolorum indidit nomen Cepha, id est petra; *petra autem erat Christus*, ne Paulus hac in parte esset Petro inferior. Et quid mirum si is, qui se à Christo vinci passus est, qui seruum, & vinctum Iesu Christi se esse prædicauit, & notas seruitutis quæ se declararent Christo addictum seruum præ se ferebat (*De cætero*, inquit, *nemo mihi molestus sit, ego enim stigmata Domini Iesu Christi in corpore meo porto.*) Christi Domini sui nomine cohonestatus fuit? Aequum sanè, & rationi maximè consonum erat, vt illi, quem Christi amor totum absorbuit, Christi nomen, פֶּלֶא, quòd est, Mirabilis, imponeretur; quemadmodum & Petro כֵּיפָא, id est petra, quòd eundem Christum Dominum, qui & petra dicitur, præ cæteris suis collegis amaret, inditum est. Si, itaque, Ioānes cælibatus præstantissima virtute, Paulus non virginitate solùm, sed doctrina etiam, & sapientia, atque potissima ratione obeundi Apostolici muneris, vel Petro excelluit, vel certè cum eo æquari debuit; si Ioannes & Iacobus ob singularem pietatem, & fidei feruorem filij tonitrui sunt appellati, quomodo igitur constare poterit, quod temerarij Christianæ Reipub. hostes dicere audent, Christo Saluatori nostro eam fuisse mentem, vt significare voluerit à se Petrum in se præter cæteros ædificatum iri propter singularem fidei ardorem, & aliarum virtutum excellentiam?

Esa. cap. 8.
Dio. epist. 5. ad Dorothe. & alibi.
Act. cap. 13
1. Cor. 10.
Ad Philip. c. 2.
Eph. 3. & 4.
Colos. c. 4.
Gal. c. 6.

lentiam? Profectò, si vel ad nomen ipsum à Christo Simoni inditum respiciamus, nullus nostrum non videre poterit, eo loci Christum non de merito, sed de ministerio, ac potestate, quam Petro daturus erat, loquutum fuisse. Nam Cephas apud Chaldæos, & Syros, quorum lingua Redēptor noster vsus est, idem sonat quod apud Latinos rupes, siue lapis, & petra. Quapropter D. Hieronymus non virtutis, sed potestatis nomen esse tradit: & Chrisostomus ad authoritatē, quę maxima in Petro fuit, aptissimè refert. *Hiero. in epistol. ad Gal. cap. 2. Chryf. hom. 18. in Ioan.*

Ne igitur curiositati aliquid desit, verba ipsa Syriaca, quæ ex codice vetustissimo, quo vtuntur ipsi Maronitæ Collegij Romani alumni fideliter transcripsi, subnectam.

Matth. c. 16

ܥܢܐ ܫܡܥܘܢ ܟܐܦܐ ܘܐܡܪ ܐܢܬܘܗܝ ܡܫܝܚܐ ܒܪܗ
ܕܐܠܗܐ ܚܝܐ : ܥܢܐ ܝܫܘܥ ܘܐܡܪ ܠܗ ܛܘܒܝܟ
ܫܡܥܘܢ ܒܪܗ ܕܝܘܢܐ ܕܒܣܪܐ ܘܕܡܐ ܠܐ ܓܠܐ ܠܟ :
ܐܠܐ ܐܒܝ ܕܒܫܡܝܐ . ܐܦ ܐܢܐ ܐܡܪ ܐܢܐ ܠܟ ܕܐܢܬܘܗܝ
ܟܐܦܐ ܘܥܠ ܗܕܐ ܟܐܦܐ ܐܒܢܝܗ ܠܥܕܬܝ ܘܬܪܥܐ
ܕܫܝܘܠ ܠܐ ܢܚܣܢܘܢܗ : ܠܟ ܐܬܠ ܩܠܝܕܐ ܕܡܠܟܘܬܐ
ܕܫܡܝܐ ܘܟܠ ܡܕܡ ܕܬܐܣܘܪ ܒܐܪܥܐ ܢܗܘܐ ܐܣܝܪ
ܒܫܡܝܐ . ܘܡܕܡ ܕܬܫܪܐ ܒܐܪܥܐ ܢܗܘܐ ܫܪܐ ܒܫܡܝܐ .

Hno scemhū kifo vemar atu Mscihho breh daloho hhaio: hno Iesciuh vemar leh ttubaic scemhū breh dIona dbesro vadmo lo glo loch: elo ob dbascimaio. of eno omar-no loch datu kifo, vhal hode kifo ebneh lhidath vtarhe dasciul lo nehhsnunoh, loch etel klide dmalcutho dascimaio,

 vculme-

vculmedem dteſur barho, nehue aſir baſcimaio. vmedem dteſcire barho, nehue ſcire baſcimaio.

Reſpondit Simon Petrus, & dixit: Tu es Chriſtus filius ipſius Dei viui. Reſpondit Ieſus, & dixit illi: Beatus es Simon filius ipſius Ionæ, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui eſt in cælo, & ego dico tibi quòd tu es Kiſo (petrà) & ſuper hanc petram ædificabo ipſam Eccleſiam meam, & portæ inferi non vincent eam, tibi dabo claues Regni cælorum, & omne quod ligabis ſuper terram, erit ligatùm in cælo, & quod ſolues ſuper terram, erit ſolutum in cælo. Quamuis autem ad ſignificandum tam Petrum, quàm petram Syri eadem dictione ܟܐܦܐ, chiſo vtantur, tamen hoc loco petram, eamq. duriſſimam ſignificari planè aſſerunt. Nam vbicunque verſio Arabica, qua illi vtũtur, habet صخرة ſacrah, vel الصخور elſchur, ܟܐܦܐ kiſo, petram duriſſimam interpretari ſolẽt.

Matth.c.27. Vnde quod legunt apud Matthæum ܘܟܐܦܐ ܐܨܛܪܝܘ vchiſe eſttariu, ipſi vertunt, *Et petræ ſciſſæ ſunt.* Adeò quidẽ, vt non de quibuſuis, ſed de duriſſimis, quales ſilex, & cautes, ſermonem ibi haberi putent; quoniam in Arabica verſione legitur, وتشققت الصخور vtſciacchet elſchur, quæ dictio duriſſimam proculdubiò petram ſignificat.

1.Cor.ca.10. Et quod Paulus in prima, quam ad Corinthios ſcripſit, epiſtola, ait: *Bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra; petra autem erat Chriſtus:* Syri ſic legunt: ܫܬܝܢ ܗܘܘ ܓܝܪ ܡܢ ܟܐܦܐ ܕܪܘܚܐ ܕܐܬܝܐ ܗܘܬ ܥܡܗܘܢ ܟܐܦܐ ܕܝܢ ܗܝ ܗܘ ܗܘܐ ܡܫܝܚܐ Sciothen vau gher men kiſo druhho dothio voth hamhun kiſo den hoi hu huo Mſcihho. ideſt,

Bibebāt enim de petra spiritus, quæ cum ipsis veniebat: Petra autem illa erat ipse Mescicho. Vbi hac dictione ܟܐܦܐ non qualemcunque, sed durissimam & sempiternam petram significari textus Arabicus manifestè confirmat: in quo sic legitur.

انهم كانوا يشربون من صخرة الروح التي كانت تسير معهم وتلك الصخرة هي المسيح ❀

Ennahom kanu iascrobuna mē sachrati-rruhhi ellati canat tasiro maahom vatilk-assachrato hi-almesihho. *Bibebant enim de petra spiritus, quæ cum ipsis veniebat: Petra autem illa erat ipse Christus*. Similiter etiam illud epist. primæ Apostoli Petri, *Ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum*; quod Syriacè scriptum est. 1.Petri c.2.

ܗܘ ܕܠܗ ܡܬܩܪܒܝܬܘܢ

ܕܐܝܬܘܗܝ ܟܐܦܐ ܚܝܐ ܕܐܣܠܝܘܗܝ ܒܢܝ̈ ܐܢܫܐ

Hau dleh methkarbitū ܘܓܒܐ ܘܡܝܩܪ ܠܘܬ ܐܠܗܐ

dithau kifo hhaio dasliu bnainoscio vaghbe vamiacar luoth aloho. id est, *Ille ad quem acceditis, qui est petra viua, quam reprobauerunt filij hominum, sed electus, & preciosus est apud Deum*; Non aliter Syri quàm de durissima petra interpretantur. Supersedebo autem quàm multis alijs testimonijs, quæ & ex nouo testamento depromere, & in huius rei confirmationem aptissimè poteram addùcere, quòd ea, quæ pro ingenij mei tenuitate breuiter attigi, æquè tamen perpensa esse videntur, eiusmodi sint, vt qui ea negare audebit, Solē quoque lucere inficias ire non dubitabit. Verùm, quoniā hunc lapidem mouere cæpimus, haud operam lusurum, quin potius lectori pergratum, perq. iucūdum me facturū arbitror, si Arabum quoque & Persarum editiones ex vetustissimis exemplaribus adamusim transcriptas in medium proferam. Tanta enim illorum est consentiens, conspirās,

conti-

continuata cognatio in retinendo germano huius senten-tiæ sensu, vt Dei prouidentiæ, qua Ecclesiæ suæ rationibus prospicit & consulit mirabilis iste diuersorum idiomatum concẽtus adscribi debeat: cùm firmissimum inde eruamus argumentum, quo, Petrum esse durissimam illam petram, & constantissimam rupem, super quam Christus Ecclesiã suam construxit, ij, qui illius inuident primatui, conuicti tandem fateri cogantur. Sic igitur in codice Arabico iux-ta vetustissima exemplaria, studio & opera Domini Ioan-nis Baptistæ Raimondi, viri de literis & optimarum artiũ studijs optimè meriti, Romæ excusso scriptum legimus.

Matth.c.16 اجاب يسوع وقال له طوباك يا سمعان
بن يونا ليس جسد ولادم اظهر لك هذا
لكن ابي الذي في السموات وانا اقول لك
انك انت الصخرة وعلى هذه الصخرة ابني
بيعتي وابواب الجحيم لا تقوي عليها واعطيك
مفاتيح ملكوت السموات وما ربطته على
الارض يكن مربوطا في السموات وما
حللته على الارض يكن محلولا في السموات ❁

Agiaba Iasuo ua qala laho tubaka ia Semhano-bno Iuna laisa giasadon vala dãmon adhhara leka hadha laken abil-ladi fi-ssamauati, va ana aqulo leka ennaka anta ssachra-

to, va

to, va ala hadhi-ſſachrati abni bailiti vabuabol-giahhimi la taqua halaiha vahtika mafatihha malakut-iſſamauati, va ma rabattaho hala-lardhi iakon marbutā fi-ſſamauati, va ma hhalaltaho hala-lardhi iakō mahhlulan fi-ſſamauati. *Reſpondit Ieſus, & dixit ei, beatus es Symon fili Ionæ, non caro, neque ſanguis reuelauit tibi hoc, ſed Pater meus qui eſt in cælis. Et ego dico tibi, quia tu es* صخرة *(petra) & ſuper hāc petram ædificabo Eccleſiam meā, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues Regni cælorum. Et quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum in cælis: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum in cælis.*

Dictio autem صخرة ſachrato, apud Arabes certiſſimum eſt non qualemcunque petram, ſed duriſſimum ſaxum, vel etiam firmiſſimā rupem ſignificare, vt iam inſinuauimus. Vnde vbi apud eundem Matthæum legunt, ان كنت انت ابن الله فقل ان تصير هذه الحجارة خبزا En konta anta benol-lahi faqol en taſiro hadi-lhhagirato chobzā. *Si tu es filius Dei, dic vt fiant iſti lapides panes*, nō صخرة ſachra, ſed حجار hhagiar, ſcriptum eſt, quod vocabulum propriè quamcumque petram ſignificat. Similiter apud Marcum legunt, انه لا يترك هاهنا حجره علي حجره Ennaho la iatrako hahona hhagratō ala hhagratin. Ideſt, *Quòd nō relinquetur hic petra ſupra petram.* Et apud Ioannē. فاخذوا الحجارة Facdu elhhagira, ideſt, *Tulerunt lapides.* Vnde conſtat hac dictione صخرة ſachra, non pro vulgari, ſed duriſſima petra Arabes vti. Quinimo vbicumque in Euangelio legitur, Simon Petrus, in textu Arabico reperies, Simon petra. vtq; vnus locus ſit nobis inſtar multorum, inſpiciatur caput ſextū Ioannis, vbi enim Græcè habetur, λέγει αὐτῷ, εἷς ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, Ανδρέας ὁ ἀδελφὸς Σίμωνος Πέτρου. *Dicit ei vnus ex diſcipulis eius, Andreas frater Simonis Petri.* Arabs vertit: قال له واحد من تلاميذه وهو اندراوس اخو سمعان الصفا Kal lhu vahed men tlamidhu vhu Andraos acu Semhan Elſafa. Ideſt, *Dixit ei vnus ex diſcipulis ſuis Andreas frater Simonis petræ*

Matth. ca. 4.

Marc. c. 13.

Ioan. cap. 8.

petræ. Dictio autem الصفا Eſafa, duriſſimam petram ſignificat, ſicut etiam dictio صخره ſachra. Nec aliter Syri legunt, ſic enim illi

ܐܡܪ ܠܗ ܚܕ ܡܢ ܬܠܡܝܕܘܗܝ ܐܢܕܪܐܘܣ ܐܚܘܗܝ ܕܫܡܥܘܢ ܟܐܦܐ .

Omar leh hhad men talmidau Andraos ahhui dſcemhun kifo. Ideſt, *Dicit ei vnus ex diſcipulis ſuis Andreas frater ipſius Simonis petræ*. Hunc autem eſſe illius Domini ſentētiæ, de qua nobis ſermo incidit, germanum ſenſum argumento etiam eſſe poterit, ſic iam olim illā Perſas quoque fuiſſe interpretatos. Nam in Vaticana bibliotheca codex extat Perſicus, quem ipſa vetuſtas maximè cōmendat, in quo ſic habetur.

جواب داد عیسی و گفت خنک ترا یا شمعون پسر یونا که
خون و گوست ترا اشکارا نکرد بلی پدر من که در آسمانست
من نیز می گویم که تو یی سنگ محکم و برین سنگ ابادان کنم
کلیسیاء مرا و در ها بلا اورا گزند نرساند

Giauob dad Iſa v guft chunuc tura ia ſcimaun piſer Iuna che chun v guſet tura aſccara nekerd beli Peder men che der oſmaneſt men niz mi guiem che tuij ſengh muhkem v ber in ſengh obodan cunem cheliſiai mara vderho belo vra guzend ne reſoned. Quod Latinè ſic verbum è verbo vertimus,

vertimus: *Reſponſum dedit Ieſus, & dixit; Beatus tu o Simon fili Iunæ, quia ſanguis & caro tibi palàm non hoc fecit, ſed Pater meus qui in cælo eſt: Ego etiam dico, quòd tu es petra ſtabilis, & ſuper hanc petrã ædificabo Eccleſiam meam, & portæ mali ad illam nocumentum non facient peruenire.* Itaque, vt Perſarum teſtimonium firmiſſimũ & locupletiſſimum eſſe appareat, ſubiungam verſionem aliam, quam & nõ minorem apud illos nactam fuiſſe authoritatem ipſorum monumentis teſtatum eſt: &, prę cæteris Syriaca, Arabica, & Perſica, quas in medium protulimus, verſionibus, hanc ipſam quam demonſtrandam ſuſcepimus veritatem ita dilucidare, vt eam mirificè amplificet, re ipſa comprobatur. Sic itaque alij verterunt:

Matth. c. 16.

یسوع جواب داد و گفت خنک ترا ای شمعون پسر یونا که
این راز گوشتمندی بتو ننمود لیکن پدر من اسمانی و من بتو
میگویم که تویی ان سنگ جاوید و برین سنگ بنیاد کلیسیای خود
می نهم و دستهای بلا ورا گزند نکنند ⁘

Ieſciua giauob dad v guſt chunuc tura ai Scimaun piſer Iuna che in roz guſctmendi betu nenemud leichen peder men oſmani v mẽ betu mi guièm che tuij on ſengh giauid v ber in ſengh buniad cheliſiai chud mi nehem u deſth hoi belo vra guzend ne cuned. Hoc eſt: *Ieſus reſponſum dedit, & dixit: Beatus tu ò Simon fili Ionæ; quia hoc myſterium perſona humana tibi non oſtendit, ſed Pater meus cæleſtis. Et ego dico, quod tu es illa petra æterna, & ſuper hanc petram ponam fundamenta meæ Eccleſiæ: & manus mali illi nocumentum non inferent.*

Hanc autem verſionẽ ex vetuſtiſſimo exemplari, quod

Romę in Typographia externarum linguarum nobis videre licuit, transcriptam ſcias: vbi quàm multi manuſcripti, potiſſimùm tamen ſacri libri Syriaci, Perſici, Arabici, Aegyptiaci, & aliarum Gētium, quæ Orientis Solis partes remotiſſimas incolūt, proprijs idiomatibus, proprijſq. characteribus ſcripti, tanquam ingentes quidam theſauri, ſtudio, & diligentia Domini Ioannis Baptiſtæ Raymondi, coaceruati & repoſiti, incliti alicuius Principis, qui de Repub. Chriſtiana optimè mereri velit, fauorem & auxiliū requirūt, implorant, efflagitant, vt eius beneficio ad cōmunem vtilitatem in lucem feliciter aliquandò prodire poſſint. Sed nos interim inſtitutum noſtrum proſequamur. Superioribus igitur adde, Hebraicè etiam legi apud Matthæū in codice manuſcripto, in Bibl. Vatic. diligenter aſſeruato.

וַאֲנִי אוֹמֵר לָךְ שְׁאַתָּה אֶבֶן וְעַל זֹאת הָאֶבֶן אֶבְנֶה בֵּית תְּפִלָּתִי
וְשַׁעֲרֵי גֵּהִינָּם לֹא יוּכְלוּ נֶגְדָּךְ ׃ Veani homer lach ſceatta heben veghal zot haeben ebne beth tephilathi veſcaghare ghehinam lo iuchelu negdach. Ideſt, *Et ego tibi dico, quod tu es petra, & ſuper hanc petram ædificabo domum orationis meam, & portæ inferorum non præualebunt aduerſum te*. Quin etiam vocabulum Hebraicum כֵּיפָא Chepha, ſeu Cepha petrā ſignificat. Quamuis enim in ſacris biblijs nomen hoc ita ſcriptum non reperiatur in numero ſingulari: paſſim tamen apud Hebræos authores legitur, ſub hac eadē petræ ſignificatione. Nā in cantico, quod illi in diebus סֻכּוֹת ſuccoth, id eſt, tabernaculorum menſe Decembri in laudem Moſis canere iam olim conſueuerunt, ſic habetur, אָזְלַת יוֹכֶבֶת וְחָמִית לְכֵיפָא ׃ Azlath iocheued vehamith lechefa: Hoc eſt, *Iuit Iocheued*, (ſic enim illius matrem ij cognominant) *& interrogauit petram*. Ecquid mirum? Nonnè in ſacra pagina hæc vox in plurali, quæ proculdubiò petras ſignificat, reperitur? Sanè. Nam, quod Iob inquit, *In deſertis habitabunt* Iob.cap.30. *torrentium, & in cauernis terræ, vel ſuper glaream*; Hebraicè ſic

habe-

habetur: בְּעֲרוּץ נְחָלִים לִשְׁכֹּן חוֹרֵי עָפָר וְכֵפִים : bangaruz nekalim lifckon chore ngafar vechefim : quod Vatablus verbum ex verbo fic vertit : *vt degerent in horridis locis torrentium, & in speluncis terræ ac petrarum.* כֵּפִים enim quod nofter interpres tranftulit glaream, id eft, terrā lapidofam, qualis in fluuiorum ripis, vel maris litoribus effe folet, ille fimpliciter, fecundum propriam Hebraici fermonis fignificationem, petras interpretatus eft. Similiter & Pagninus vertit: nec diffentiunt feptuaginta viri, qui breui commētariolo totam fententiam fic explicarunt : *Infurrexerunt in me fures, quorum domus erant cauernæ petrarum.* Haud diffimilis locus eft apud Hieremiam : בָּאוּ בֶּעָבִים וּבַכֵּפִים עָלוּ : Bau beghauim vbachefim ghalu : quod Pagninus tranftulit, *Ingreffi funt fyluas denfas, & ad rupes afcenderunt.* Vatablus quoque inquit : *Ingreffi funt nubes, & ad petras, fiue rupes, afcendunt.* Et feptuaginta viri vertunt : *Ingreffi funt fpeluncas, & in nemora fe abfconderunt, & fuper petras afcenderunt.* Nec verò hac in re à noftro interprete difcrepant, quum & is כֵּפִים petras, fiue rupes, interpretatus fuerit. *Ingreffi*, ait, *funt ardua, & afcenderunt rupes.* Cùm igitur in facris biblijs in plurali, & apud Hebræos in fingulari etiam כֵּיפָא, petram, fiue rupē fignificet, & tam Perfæ, quàm Arabes, & Syri, feu Chaldæi atque Latini legant, Petro à Chrifto Saluatore noftro dictum, *Tu vocaberis Cephas*, dubitandum profectò non eft, ei & petræ nomen inditum fuiffe, & fuper ipfum, Ecclefiam fuam Chriftum fe ædificaturum promififfe, tanquam fuper firmiffimam quādam rupem, cùm ei dixit, vt legimus apud Matthæum: *Tu es Petrus* (petra) *& fuper hanc petram ædificabo Ecclefiam meam* : idq. poftea iam iam ad cælos afcenfurum, reipfa præftitiffe vbi eidem dixit : *Pafce oues meas.* Nec aliter profectò ipfi Rabini cenfuerunt. Nam Rabbi Elias fic de Petro fcribit: שִׁמְעוֹן בֶּן כֵּיפָא הָיָה אֶחָד מִתַּלְמִידָיו שֶׁל יֵשׁוּ הַנָּצְרִי וְאוֹמְרִים בְּאַוֶונְגֶּלְיאוֹ שֶׁלָּהֶם כִּי בָרִאשׁוֹנָה הָיָה שְׁמוֹ

Hiere.c.4.

אליה בספר תשבי

שִׁמְעוֹן בַּר יוֹנָה וְיֵשׁוּ קָרָא שְׁמוֹ כֵּיפָא לְשׁוֹן חוֹזֶק וּמִבְצָר׳ וְתַרְגּוּם שֶׁל סֶלַע כֵּיפָא : Scimnghon ben Chefa haia echad mitalmidau ſciel Ieſciu hanozri veomerim beauanggelio ſcelahem chi bariſciona haia ſcemo ſcimghon bar Iona veieſciu cara ſciemo chefa leſcion chozec vmibzar. vetargum ſciel ſelagh chefa: Quæ latinè ſic vertuntur. *Simeon filius Cepha fuit vnus ex diſcipulis Ieſu Nazareni: de quo illi dicunt in Euangelio ſuo eius nomen ab initio fuiſſe Simeon Bar-Iona. Ieſus autem vocauit nomen eius Cepha, quod in lingua ſancta ſignificat fortitudinem, & munitionem* (ſeu, vt expreſſius dicamus, petram, ſiue rupem ſuper quàm arx ædificatur) *Denique quod eſt apud Hebræos* סֶלַע *ſelangh*, id eſt, petra, ſeu rupis, *apud Targum eſt Cepha.*

Elias in ſuo dictionari. Tisbi. & Ari. Mont. in dictio. Syri.

Veriſſima igitur ſententia, ac germanus ſenſus huius loci ex ipſo contextu orationis deductus hic eſt, vt cùm Chriſtus Syriacè Simonem prius Petrum, ſeu petram, hoc enim Cephas ſignificat, appellauerit; deinde ſtatim adiecerit. *Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, ipſe petræ nomine Petrum ipſum intellexerit. Nec verò mirum alicui videri debet ſi Latinus interpres vertat: *Tu es Petrus*, nec petram, ſed Petrum interpretetur: Tranſtulit enim hanc Euāgelicam hiſtoriam ex codice Græco in quo ſic legitur:

Matt. c. 16.

Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς, εἶπεν αὐτῷ. Μακάριος εἶ Σίμων Βαρ Ἰωνᾶ, ὅτι σὰρξ, καὶ αἷμα οὐκ ἀπεκάλυψέ σοι, ἀλλ᾽ ὁ πατήρ μου, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Κἀγὼ δέ σοι λέγω, ὅτι σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. Καὶ δώσω σοι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν. καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελιμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς. *Reſpondens autem Ieſus dixit ei: Beatus es Simon Bar-Iona: quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cælis eſt. Et ego dico tibi quia tu es Petrus: & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebūt aduerſus eam. Et tibi dabo claues Regni cælorum. & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque ſolueris ſuper terrā, erit ſolutum & in cælis.* & quia apud Græcos idem Πέτρος

quod

quod πέτρα significat, tribuendũ potius viro nomen masculinum, quam fœmininum duxit. Accedit ad confirmationem huius nostræ sententię authoritas omnium priscorum Patrum tũ Græcorum, tum Latinorum. Nam in Concilio Chalcedonensi DCXXX. Heroes ex orientis, & obeũtis Solis partibus congregati vna mente & voce Petrũ Apostolorum Principem, crepidinem, & petram Ecclesiæ Catholicæ appellarunt. Vnde est illud, quod Athanasius tam suo, quàm Aegyptiorum Antistitum nomine ad Felicem scripsit: *Si quis Episcoporum, aut Metropolitanorum aut comprouinciales, vel iudices suspectos habuerit, vestram sanctam interpellet sedem ipsa enim firmamentum à Deo fixum & immobile percepit. Ipsa est enim sacer vertex, in quo omnes Ecclesiæ vertuntur, sustentantur, releuãtur. Et sicut in Christo Christiani, ita & in Petra, id est, petro renouantur Ecclesiæ.* Ita in correctioribus libris scriptum extat. Quibus verbis Athanasius proculdubiò significauit Romanæ Ecclesiæ Pontificem, si quid in alijs Ecclesijs deprauatum inueniatur, id sua authoritate & posse, & debere corrigere. Subiunxit enim statim idem sanctissimus Heros: *Tu es enim: vt diuinum veraciter testatur eloquium, Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ, id est, Episcopi, qui Ecclesiam sustinere, & proprijs humeris portare debent, tibi sunt confirmatæ, tibique claues Regni cælorum commisit, atque ligare, & soluere potestatiuè, quæ in terra, & quæ in cælis sunt, promulgauit. Tu prophanarum hæreseom, & impetitorum, atq. omnium infestantium depositor, vt Princeps, & Doctor, & Caput omnium orthodoxæ doctrinæ, & immaculatæ fidei existis.* Plura quidem Athanasius in hanc sententiam prosequitur, quibus supersedemus, vt quid Basilius, & alij Patres hac de re senserint & cẽsuerint protinus videamus. *Petrus*, inquit ille, *propter fidei excellentiam Ecclesiæ exædificationem in se ipsum suscepit.* Basilio adiungamus Gregorium Nazianzenum, qui, in ea oratione, quam habuit de moderatione in disputationibus seruanda, disertè dixit *Petrus petra vocatur, atque Ecclesiæ fundamenta fidei suæ credita habet.* Gregorij sententiæ Epiphanius assentitur, *Dominus*, ait ille, *constituit Petrum Apostolorum primum,*

Conc. Chal. act. 3. Atha. ep. ad Feli. 2. habetur in 1. to. Conci. inter decreta Feli. Papæ secundi.

Basi. lib 2. in Eunon.

Nazianze.

Epiphan. in Ancorato.

petram

Chry. hom. 55. in Matt. Cyril. lib. 2. c. 2. in Ioan. Psel. in c. 5. canti. apud Theodore. Theophy. in c. 22. Luc. Euthy. in c. 16. Matth. Tertul. li. de præscript. Cypri. epist. ad Quiri. Hila. in cap. 16. Matth. Hiero. in c. 16. Matth. Aug. in Ps. con. part. Dona. Maxim. sermo. 1. de sancto Petro. Pauli epistol. 4. ad Seuer. Leo serm. 2. de anniuer. assumpt. Gregor. lib. 6. epis. 37.

petram firmam, super quam Ecclesia Dei ædificata est. Similiter Chrysostomus inquit: *Dominus ait, tu es Petrus, & ego super te ædificabo Ecclesiam meam.* Qui alibi Petrum amplissimis laudibus efferens sic ait: *Quid autem Petrus, basis Ecclesiæ, ille vehemens amator Christi, ille sermone indoctus, & rhetorum victor, ille imperitus, qui tamen philosophis obturauit os, ille, qui Græcanicam sapientiam, non aliter quàm aranearum telam dissoluit, ille, qui sagenam misit in mare, & piscatus est orbem?* Non aliter Cyrillus sensit: *Nec Simon,* inquit, *fore iam nomen illi, sed Petrus prædicit: vocabulo ipso commodè significans, quòd in eo, tanquam in petra, lapideque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam* Psellus quoque explanans illud Canticorũ, *Crura eius sicut columnæ marmoreæ,* ait: *Per crura intellige Apostolorum Principem super quem Dominus in Euangelio se Ecclesiam ædificaturum promisit.* Quid Theophylactum: Quid Euthymium referam? Quid Tertullianum, Cyprianum, Hilarium, Hieronymum, Augustinum, Maximum, Paulinum, Leonem Magnum, Gregorium item Magnum in medium adducã? Qui sanè omnes hac de re idem sentiunt, idem prædicant, idem constanter affirmant. Adeò est hæc sententia cum veritate ipsa coniuncta, & tum à Græcis, tum à Latinis Patribus approbata. Quare miror Caluini impudentiam & temeritatem, quæ tanta fuit, vt dixerit se posse Heroum sententias in confirmationem suæ expositionis adducere; nolle tamen hoc facere ne lectorem tædio afficeret.

CA XVI.

Aug. tract. vlt. in Ioan.

At inquies; cur ergo Augustinus, explicans verba illa *super hãc petram,* ait: *super me ipsum filium Dei ædificabo eum?* Haud equidem ignoro hanc Augustini sententiam ab aduersarijs maximè amplificari, quippe qua putant non solùm premi & vrgeri Catholicos verùm etiam prosterni omninò, ita vt nihil aliud eis superesse possit, quàm vt manus dent, & fasces submittant. Si tamen, paulisper saltem deposito odio, quod in Petri primatum susceperunt, velint Patrum volumina attentis animis perlegere & peruolutare, quàm longè ipsi ab scopo veritatis errauerint, facilè cognoscent. Non enim quæ semel ab aliquo Doctore ex occasione circa ali-

ca alicuius sacræ sententiæ expositionem dicta sunt, statim ea pro genuino sensu licet adducere: quin potius quæ ab eodem authore circa eandem sententiam multis alijs in locis pertractantur, & discutiuntur, diligenter perpendenda sunt, & ijs penitus acquiescendum est. Solent enim aliquãdo sanctissimi Patres declinare in aliquam scripturæ sanctæ explanationem, non tam vt germanum illius sensum assignent, quàm vt ex verbis diuinis mysticè intellectis errorem aliquem impugnẽt; quod Augustino, vt sæpè aliàs, ita in præsentiarum, nec iniuria quidem, accidisse considero. Cùm enim, propter Donatistarum insaniam, qui in hominis sanctitate eximiam sacramentorum vim collocabant, subtimeret nè si Petrus Ecclesiæ fundamentum haberetur, super hominem ædificarent homines, & alius Pauli, alius verò Cephæ nomen humana quadam ambitione iactaret, verba illa, *Super hanc petram*, maluit mystice de Christo Dei filio exponere, quàm vel minimam errandi occasionem alicui præbere. Quod quidem ipsemèt Augustinus alibi ita manifestè ostendit, vt de eius mente minime dubitandum sit. Nam cùm dixisset, explanans Domini sententiam; *Tu es Petrus: & super hanc petram, quam confessus es, super hanc petram quàm cognouisti dicens; Tu es Christus filius Dei viui ædificabo Ecclesiam meam: id est, super me ipsum filium Dei viui, ædificabo Ecclesiam meam. Super me ædificabo te, non me super te:* protinus addidit: *Nam volentes homines ædificari super homines, dicebant: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ: ipse est Petrus.* Vnde paulò post, ad Donatistarum diliria confutanda propiùs accedens, ostendit in Ecclesia firmos, & infirmos esse, ipsumque Petrum, qui Christum filium Dei viui ingenuè fassus fuerat, eò deuenisse, vt timeret nè ipse Christus omninò moreretur, quasi verò qui vitæ fons est, à morte absorbi posset. *Idem ergo Petrus* inquit ille, *à petra, cognominatus beatus, Ecclesiæ figuram portans Apostolatus principatum tenens, continuò post paululum iam audito, quòd beatus esset, iam audito quòd Petrus esset, iam audito quòd supra petram ædificandus esset, posteaquam audiuit,*

Ser. 13. de ver. Dom.

diuit futuram Domini paſſionem, quia prædixerat eam cito futuram diſcipulis ſuis, diſplicuit ei. Timuit ne perderet morientem, quem confeſſus fuerat vitæ fontem. Tandem, ne quis vnquam ſuſpicari poſſet ſe eo fuiſſe ingenio vt inficiatus ſit Apoſtolum Petrum eſſe petram illam, ſuper quam ædificata eſt Eccleſia, ſic colligit: *In illo ergo vno Apoſtolo, id eſt, Petro, in ordine Apoſtolorum primo & præcipuo, in quo figurabatur Eccleſia, vtrunque genus ſignificandum fuit, id eſt, firmi, & infirmi.* Voluit igitur eo loci Auguſtinus omnem inanis alicuius opinionis occaſionẽ auferre, ne quis putaret Chriſtum ſuper Petrum, vt hominem nullis vnquam vitijs obnoxium, ædificaſſe Eccleſiam ſuã. Quamobrem mirandum profectò non eſt ſi, officio interpretis interim depoſito, à germano ac genuino ſenſu deflexit, &, non obſeruata Græcæ, ac Latinæ linguæ varietate, diſcrimen conſtituit in eo, quod Chriſtus dixit, Tu es Petrus, non autem tu es petra: Cùm tamen in Hebraico, vel potius Syriaco codice, quo idiomate Chriſtus vſus eſt, Cephas ſcriptum ſit, quod nomen, vt refert Hieronymus, tam Hebræis, quàm Syris petram, ſignificat. Sic autem ille inquit: *Quibus primum reſpondendum, alterius neſcio cuius Cephæ neſcire nos nomen: niſi eius, qui & in Euangelio, & in Pauli epiſtolis modò Cephas modò Petrus ſcribitur. Non quòd aliud ſignificet Petrus, aliud Cephas, ſed quòd quam nos Latinè & Græcè petram vocemus, hanc Hebræi & Syri, propter linguæ inter ſe viciniam, Cepham nuncupent.*

Hie. in cap. 2. ep. ad Galat.
Ioan. c. 1.
1. Cor. c. 9. & c. 15.
Ad Gal. c.

Quapropter idem Auguſtinus poſteà rem accuratè perpẽdens, cùm animaduerteret diuerſo modo in libris ſuis de Petro loquutum fuiſſe, ne lectoris animus in deliberando anceps diſtraheretur, ſic inquit: *Dixi in quodam loco de Apoſtolo Petro, quòd in illo tanquam in petra fundata ſit Eccleſia: qui ſenſus etiam cantatur ore multorum in verſibus beatiſſimi Ambroſii, vbi de gallo gallinaceo ait: hoc ipſa petra Eccleſiæ canente culpam diluit. Sed ſcio me poſteà ſic expoſuiſſe quod à Domino dictum eſt: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: vt ſuper hunc intelligeretur quem confeſſus eſt Petrus dicens, Tu es Chriſtus filius Dei viui; ac ſi Petrus ab hac petra appellatus perſonam Eccleſiæ figuraret, quæ ſuper hanc*

Lib. 1. retract. c. 21.

hanc petram ædificatur, & accepit claues Regni cælorum. Harum autem duarum sententiarum quæ sit probabilior eligat lector. Sed tamen in sacra quadã concione, quam de Petri Cathedra habuit idem Augustinus apertè testatur Petrum ipsum petram dictum esse. *Fidelior*, inquit, *factus est posteaquam fidem se perdidisse defleuit atque ideò maiorem fidem reperit, quàm amisit. Tanquã bonus enim pastor tuendum gregem accepit, vt, qui sibi antea infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum. Et quia ipse interrogationis tentatione negauerat, cæteros fidei stabilitate fundaret. Deniq. pro soliditate deuotionis Ecclesiarum petra dicitur, sicut ait Dominus; Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Petra enim dicitur, eo quòd primus nationibus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem, molemque contineat*. Et paucis interiectis, *Rectè*, ait, *consortium meretur nominis, qui consortium meretur & operis. In eadem domo enim Petrus fundamentum ponit, Petrus plantat, Dominus incrementat, Dominus irriguum subministrat*. Alibi etiam eadem Christi verba exponens ait: *Hic est quoque beatus Petrus in illa cælestium discipulorum scola præcipuus, ac primus idoneus, qui verba vitæ ex Christi ore suscipiens, per Euangelij potestatem Iudæorum gentem perditam quæreret, & abdicatos ad hæreditatem vocaret, interpres legis, assertor gratiæ, destructor Synagogæ, Ecclesiæ reparator; & ideò solus inter Apostolos meruit audire, Amen dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: dignus certè, qui ædificandis in domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna, ad sustentaculum, clauis ad Regnum.*

Serm. 2. de Cath. Petr.

Ser. de sanctis 29.

Accedit etiam ad reprimendos hostium impetus in Petri primatum (ne sola sanctorum Patrum authoritate, sed multò magis vi & ratione prædictionis Christi eos vrgeamus) quòd quemadmodum verbum illud Domini Abrahamo dictum, *Sara vxor tua pariet tibi filium*, Isaacũ, vt Chrysostomus inquit, genuit, & effinxit: sic cùm Christus Simoni dixit, *Tu vocaberis Cephas*, eo ipso verbo ac promissione illum adoptauit, vt Petrus, & saxum immobile suo tempore fieret. Licet enim Abrahamus ad vxorem suam posteà accesserit, causa tamen generandi filium, non tam langui-

Gen. c. 17. Chr. ho. 16. in epist. ad Rom.

dis hominis ſenio confecti viribus, quàm Dei verbo attribuitur: ſimiliter etiam, licet Petrus poſt acceptam noui nominis, & muneris promiſſionem Chriſto dixerit, *Tu es Christus filius Dei viui*, non tamen ob hoc primùm ac præcipuè factus eſt Petrus, quoniam confeſſus fuit veram fidem in veram petram Chriſtum Ieſum: ſed potiùs hanc proferendi veritatem gratiam aſſequutus ex eo eſt, quòd Chriſtus ei dixit: *Tu vocaberis Cephas*. Chriſti ergo promiſsio tantam vim habet, vt nomen in rem ipſam conuertat. *Vocat enim ea quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt*. Id eſt, non minus facilè Dei filio eſt, ea in lucem euocare, quæ nunquam ſunt, quàm ea, quæ iam ſunt illuſtrare. Si ergo ſolo verbo Dei filius efficit vt res ab eo, quod ſunt in aliud ad ipſius nutum mutentur, efficaciter profectò colligimus Simonem filium Ioannis aliquo modo fuiſſe Petrum, tum propter certitudinem diuinæ promiſſionis, tum propter nominis impoſitionem antequam, externa ſaltem voce, confeſſus eſt Chriſtum eſſe filium Dei viui: iam enim, vt conſtanti animo Chriſti diuinitatem profiteretur, aliqua ratione Petrus factus fuerat. Nam ſubſequens confeſſio magnas vires accepit, ex noui nominis pacto & promiſſo præcedenti. Narrat enim Ioannes tunc à Chriſto Petro dictum fuiſſe, *Tu vocaberis Cephas*, cùm primùm eum Andreas ad illum duxit: deindè verò collectis duodecim diſcipulis, inquit Marcus, *dedit illis potestatem curandi infirmitates, & eijciendi dæmonia. Et impoſuit Simoni nomen Petrus*, quod poſſedit tunc Simon cùm diuino afflatu teſtatus eſt Ieſum eſſe Chriſtum. Adeò vt, ſecundum Eutymij, Hilarij, & Hieronymi ſententiam, promiſſio, & impoſitio noui nominis aliquo modo præceſſerit ſempiternam illam, & nullo vnquam ſæculo interituram teſtificationem, quam Petrus de Chriſti diuiuitate dedit, & ſingulare aliquid Petri perſonæ tūc attributum fuerit. Eſt enim, vt diſputat Chryſoſtomus, quoddam hic Filij donum proprium Petro datum, ſicut Patris quoddam donum erat eidem conceſſum. Nam Pater afflauit Petro Chriſtum filium

Matt. c. 16. — *Ioan. cap. 1.* — *Rom. c. 4.* — *Ioan. c. 1.* — *Marc. 3.* — *In commen. ad hunc locum.* — *Hom. 55. in Matth.*

lium Dei viui esse: Filius tribuit Petro vt esset Ecclesiæ petra. *Quæ Deus*, inquit Chrysostomus, *concedere solus potest, peccatorum scilicet remissionem, & vt futura Ecclesia tot tantisq. fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat, cuius pastor, & caput piscator homo atque ignobilis terrarum orbe reluctante adamantis naturam firmitate superet, hæc inquam omnia, quæ solius Dei sunt, se pollicetur daturum. Ita & Pater ad Hieremiam dicebat: Sicut columnam ferream, & sicut murum æneum posui te. Sed ipsum quidem genti vni Pater; hunc autem vniuerso terrarum orbi Christus præposuit.* Præposuit sanè, quia super eum tanquam firmissimam petram Christus ædificauit Ecclesiam suam, vt sanctorum Patrum consensu, & ipsius Ecclesiæ authoritate testatum, atque Euangelij veritate firmatum relinquimus.

Ingenuè tamen fatemur Ecclesiam sanctam super Christum primò & principaliter esse fabricatam: sed cùm ipse in sui corporis ædificatione sua quoque fundamenta, licet dignitate inferiora, habeat, inter ea Petrum ex singulari quodam in se collato munere proculdubiò primas obtinuisse affirmamus. Quare cùm Esaias dixisset: *Erit præparatus mons domus Domini in vertice montium*, non dubitauit dicere Hieronymus: *Super vnum montium Christus fundat Ecclesiam, & loquitur ad eum, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et Basilius Magnus, *Aedificata*, inquit, *est Ecclesia in Apostolis, & Prophetis, quorum vnus erat Petrus, super quam petram pollicitus fuerat Christus se ædificaturum Ecclesiam*. Rectè autem Simon, quem loco fundamenti summus ille architectus Christus Saluator noster ponere decreuerat, Petrus, & petra nominatus est: æquum enim erat, vt, quem Christus potestatis suæ participem erat facturus, cum eo nomen suum cōmunicaret, & propter similitudinem, & rationem fundamenti petræ, non cuiuslibet quidē petræ, sed durissimę cuiusdā petræ nomine cohonestaret. Cephas enim, (vt diximus) si vocabuli Syriaci proprietatem spectes, non quanlibet petrā, sed cautem, quæ omniū durissima est significat. Vnde Tertullianus præclatè ait: *Mutat & Petro nomē de simo-*

Esa.c.2.
Hierony. in commentarijs.
Basilius in comment.
Cont. Marcio. lib. 4.c. 13.

ne; quia & creator Abrahæ, & Saræ, & Auseæ nomina reformauit, hūc vocando Iesum, illis Syllabas adijciendo. Sed & cur Petrum? Si ob vigorem fidei, multæ materiæ solidæque nomen de suo accommodarent. An quia & petra, & lapis Christus? Si quidem & legimus positum eum in lapidem offendiculi, & in petram scandali. Omitto cætera. Itaque affectauit charissimo discipulorum, de figuris suis peculiariter nomen communicare, puto proprius quàm de non suis. Tertulliano hac in re assentitur Leo, qui Christum ita loquentem introducit: *Cùm ego sim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum, ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere: tamen tu petra quoque es, quia mea virtute solidaris, vt quæ mihi potestate sunt propria, tua sint mecum participatione communia, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, super hanc, inquit, fortitudinem æternum extruam templum.* Atq. hæc quidem satis, ne reliqua, quæ ille in hanc sententiam disertissimè prosequitur, commemorando lectoris mentem longissima oratione obtūdam.

Ser. 3. in anniuers. assumpt. suæ.

CA. XVII.

EX quibus facilis est, & prompta responsio ad id, quod nobis ab aduersarijs, non modò in criminis, sed etiā maledicti loco obiectum est. Verissimum est enim quod Paulus tradit: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus.* Non enim Petrus est aliud fundamentum, hoc est alterius generis: sed Christo subalternum, (vt ita loquar) & subordinatum, licet dignitate & perfectione multum ab eo differat. Quod Paulus haud obscurè insinuasse visus est; cùm ἄλλο, idest aliud, nō ἕτερον, quod est, alterum, dixerit. Non est quidem Petrus aliud specie diuersum, sed idem fundamentum ab ipso Christo institutum, & vndiq. stabilitum, adeò vt nullis machinis, non dicam euerti, sed nè moueri quidem posſit. Illi autem homines pestes Reipub. illi pacis Christianæ perturbatores, illi sanctorum templorum incendiarij, illi sanè sunt aliud fundamentum longè diuersum ab illo, quod Christus Iesus posuit: quippe qui non misſi ab eo docendi munus vsurpant, & aliam doctrinam, quæ omninò differt ab ea, quam post Christum Apostoli nobis tradiderunt, igna-

1. Cor. c. 3.

ræ plebeculæ obtrudunt, neque ſuper Chriſtum, ſed ſuper ſe ædificant: neque in eius ouile diſperſas oues colligunt, quinimo eas, quæ intus ſunt, abducere nituntur. Illi ſunt aliud fundamentum, qui non ex muneris ratione, ſed ex mera ambitione alijs anteponi volunt, & neglecto Chriſto à ſubditis coluntur. De quibus profectò Paulus inquit: *Ego ſcio quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipſis exurgent viri loquentes peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe.* qui ergo ſic ædificare moliuntur, vt in ratione fundamenti Chriſtum excludant, cur in nos inuehuntur, qui quanquam Eccleſiæ fundamentum Petrum conſtituimus, non aliud tamen eſſe ab eo, quod Deus locauit, vnquam prædicauimus? Audiāt, quæſo, quid Paulus clamet: *Dei*, inquit, *ſumus adiutores; Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis. Secundùm gratiam Dei, quæ data eſt mihi, vt ſapiens architectus fundamentum poſui: alius autem ſuperædificat. Vnuſquiſque autem videat quomodò ſuperædificet. Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt: quod eſt Chriſtus Ieſus.* Poſſunt ergo ex authoritate, & voluntate Domini quamplurimi adhiberi miniſtri, non ſolùm ad agricolationem, verùm etiam ad ædificij ſtructuram, qui in Chriſti corporis ædificatione rationem fundamenti licet dignitate inferioris ſuſtineant. Certè Auguſtinus, cùm ſecundùm Pauli mentem docuiſſet Chriſtum fundamentum eſſe & primum & maximum, inquit: *Quomodò ergo fundamenta Prophetæ, & Apoſtoli? Et quomodò fundamentum Chriſtus Ieſus quo vlterius nihil eſt? Quomodò putamus, niſi quemadmodum apertè dicitur, ſanctus ſanctorum; ſic figuratè fundamentum fundamentorum? Si ergo ſacramenta cogites, Chriſtus ſanctus ſanctorum: ſi gregem ſubditum cogites, Chriſtus paſtor paſtorum: ſi fabricam cogites, Chriſtus fundamentum fundamentorum.* Ex quibus licet colligere, quemadmodum principaliter vnicus eſt bonus paſtor, vnicus magiſter, & vnica lux, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, ita vnicum fundamentum eſſe Chriſtum, qui tamen propter miniſterium paſtores & magiſtros conſtituit in Eccleſia,

Act. c. 20.

1. Cor. c. 3.

Enar. in pſ. 86.

Ioan. c. 1.
Matt. c. 23.

qui

1.Cor.c.3. qui eius adiutores à Paulo appellantur, & ab eodem Chri-
Ephe.c.4. sto lux mundi dicuntur. Agnoscit etiam idem Apostolus
Matth.c. 5. fundamenta Apostolorum & Prophetarũ: & Regius Psal-
Ps. 86. tes canit, *fundamenta eius*, scilicet domus Dei, *in montibus sanctis*. Quòd si omnes qui Christo nomen, fidemque dederunt, sunt tanquam viui lapides, qui ædificantur super Christum maximum & angularem lapidem: si solus Petrus firmum & constans promissum consequutus est, de nouo nomine sibi imponendo, & solus reipsa cognominatus est Cephas & petra; efficitur profectò, vt & ipse lapis sit super Christum ædificatus, non quidem sicut alij duntaxat, sed tantò maior & præstantior, quantò differentius præ illis nomen accepit. Illi enim sunt lapides vulgares: hic verò est lapis magnus, rupes firma, & dura cautes. Illi dicuntur lapides, quia super Christum lapidem angularem ædificantur; Petrus verò & hoc cum illis habet commune, & prætereà Christo proximior est, & propriè cognominatur Cephas: quia sicut ipse peculiari quadam ratione ab ipso Christo sustentatur; ita etiam alios peculiariter sustentat. Vnde fit neminem iure aliquo inficiari posse, in Petro aliquid veri lapidis proprium inesse, quo nõ solùm communem fidelium cœtum, sed etiam ipsos selectissimos Apostolos collegas suos longè superat. Itaque quemadmodum Hebræorum populus in illa vasta solitu-
1.Cor.c.10. dine de petra quondam bibit, *petra autem erat Christus*: sic nos in deserto huius mundi nunc haurimus aquam viuam, id est, sanam doctrinam è petra, qui est Christus: quia tamen id fit per ministerium aliorum pastorum, quorũ Princeps est Petrus, consequenter è Petro haurimus aquam illam sanæ, ac syncerræ doctrinæ, quia & inter alios primaria petra est, & ipsum Christum propter communicatam secum
Ar.in psal. 106. potestatem præ alijs repræsentat: quia, vt Arnobius antiquissimus author tradit, omnia flumina ad hoc usque tempus benedicit, & est scaturigo aquarum, quibus sitis interna sedatur, adeò vt omnes, qui ab eo recesserint, siti

maxima

maxima perire oporteat. In huius autem rei explanatione nos nec transuersum quidem vnguem à veritate discedere iudicabit, qui diligenter perpenderit Abrahamũ, qui pater Gentium appellatus fuit propter fidem, quam habuit de aduentu Christi Saluatoris nostri, petram fuisse tum veteri populo, qui ab eo genus duxit secundùm carnalem propagationem, tum filijs omnibus noui testamenti, qui filij promissionis secundùm fidem sunt. Sic enim sacer Vates Esaias inquit: *Audite me, qui sequimini, quod iustum est, & quæritis Dominum: attendite ad petram vnde excisi estis, & ad cauernam laci de qua præcisi estis. Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos: quia vnum vocaui eum, & benedixi ei, & multiplicaui eum.* Hoc est, vos, qui verę iustitiæ studio flagratis, domesticum virtutis exemplum, quod vobis ad imitãdum est propositum, assiduè intuemini, & in generis vestri Principem inspicite, si in sancta posteritate censeri cupitis. Illam animi constantiam, atque munitissimam sanctimoniæ rupem vnde, tanquam lapides, excisi fuistis ad meæ domus structuram, inspicite: matrisq. vestræ, quæ vos enixa est, prestãtissimum in fide robur, atque virtutis egregiæ firmitatem mente recolite. Ego enim illum generis vestri Principem vnum vocaui; illum diuinis muneribus affeci, illum innumerabili prole ditaui. Fuit autem hic typus Ecclesiæ à Christo exædificandæ: vt quemadmodum ex vno Abrahamo sene, & ex vxore eius Sara sterili & senio confecta orta proles Dei beneficio vsque adeò est propagata, vt in multitudinem innumerabilem creuerit: ita etiam ex paruis initijs, hoc est, ex paucissimis Apostolis Christi virtute fuerit propaganda Ecclesia, & in omnes orientis, & obeuntis Solis partes longè lateq. diffundenda. Quòd si Abrahamus, qui pater Gentium erat, propter fidẽ de futuro Messia, petra dictus est: quis iure mirabitur Petrum, qui pater fuit Christianorum, propter fidem de eodem, sed iam præsenti, Messia, quem primus mortalium filium Dei viui fassus est diuino numine afflatus, pe-

Esa. c. 51.

tram constitutum esse nouo populo, & ab eo totam Christianorum Ecclesiam spiritualiter deriuari?

Quid ergo sibi volunt aduersarij? Cur in hanc petram, super quam Ecclesia constructa fuit ab illo omnium peritissimo architecto Christo Dei filio, ita audacter insurgũt? Quod illorum est iudicium, qui hanc durissimam petram frangere, & huius Principis Apostolorum primatum tanta firmitudine corroboratum se labefactare posse existimant? Da Christe vt aliquandò tandem ad sanitatem reducantur. Quoniam verò & ipsi sanctorum Patrum testimonia proferunt nonnulla, quibus se iacentes & spoliatos defendere & protegere nituntur: hoc vnum nos ab illis petimus, & summè contendimus, vt acquiescant sanctorum Patrum sententijs, quorum certè nullus est, qui Petrum Ecclesiæ fundamentum esse à Christo sapienter electum, vnquam negauerit. Nam Chrysostomus, cuius explanationem isti miris laudibus efferunt, ita petram hanc, super quam constructa est Ecclesia, fidem esse interpretatur; vt *Hom. 85. in Matth.* Simonem petram firmissimam totius ædificij, & Ecclesiæ Pastorem fateatur. Cùm enim verba Christi exponens dixisset, *super hanc petram, id est, fidem & confessionem*, protinus subiecit. *Hic apertè prædixit magnam eorum, qui credituri & erant, & sunt multitudinem fore, & sublimiora sapere ipsum facit, & Ecclesiæ futuræ pastorem constituit.* Alibi quoque non minus *Ex varijs in Matt. hom. 37.* aperte ait: *Princeps Apostolorum Petrus, super quem Christus fundauit Ecclesiam, verè immobilis petra, & firma confessio.* Vocatur autem à Chrysostomo Petrus firma confessio, quia & secundùm hanc, & in hac diuinitatis Christi confessione firmus & constans fuit.

Zach. c. 3. Petra igitur, (ingenuè fatemur) est Christus, de quo Zacharias, quæ diuinitus acceperat enarrans, inquit: *Ecce ego adducam seruum meum Orientem. Quia, ecce lapis quem dedi coram Iesu.* Vbi diuinus vates apertissimè de Christo verba facit, ad cuius spectaculum sacerdotis mentem excitat, qui & Christi similitudinem referebat: & simul illius proximos:

atque

atque sodales, ad eandem speciem cōtemplandam adhortatur, *Ecce*, inquit, *adduco seruum meum*. Quanuis enim multi, Dei serui appellari potuissent, non tamen semper hunc honoris titulum potuerunt obtinere. Quandiu enim libidini, & flagitio, & ambitioni seruiebant, serui Dei appellandi non erant. Ille igitur hoc nomine præcipuè insignitus est, qui nunquam in re aliqua Dei Imperium recusauit. Et quis tandem ille fuit? Is nempe, qui germen Domini à sacris vatibus appellatur. *Erit*, inquit Esaias, *germen Domini in magnificentiam, & gloriam*. Et apud Hieremiam inquit Deus: *In tempore illo germinare faciam Dauid, germen iustitiæ, & faciet iustitiam, & iudicium in terra*. Ne autem dubitare quispiam posset: quis esset ille, qui germen appellatur, ibidem inquit: *Et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster*, siue iustitia nostra. Germen, inquit, hoc est, Dei filius in terris ad salutem generis humani exortus aliud etiam nomē obtinebit: Domini namque nomen in illum, vt in verum Deum, optimè quadrabit. Iustitia verò nostra appellatur; quòd causam iustitiæ veræ, quæ gratia illius continetur, attulerit. Et Zacharias, *Audi*, inquit, *Iesu Sacerdos magne, tu & amici tui, qui habitant corā te, quia viri portendētes sunt. Ecce enim ego adducam seruum meum Orientem*. siue germen: צֶמַח enim Hieronymus apud Esaiam & sæpe aliàs, vertit germen, quod nomen est etiam apud Zachariam hoc in loco: vt minimè dubitandum sit Hieronymum idem intelligi voluisse in Germine, & in oriente. Sic enim inquit ille: *Ecce vir, cuius nomen est Oriēs, quod Hebraicè dicitur* צֶמַח, *non per* שׁ, *sed per* צ *literam scriptum. Qui idcircò Oriens, id est, ἀνατολή, vel ἀναφυή, siue βλάστημα, nuncupatur, id est germen, quia ex se repente succrescet, & ex radice sua in similitudinem germinis pullulabit*. Vocatur igitur Christus Deus noster germen, quòd ex radice Iessæ, siue Dauidis, quæ videbatur exaruisse, nullo iam Rege ex ea prodeunte, iterum germinauerit, & pullulauerit ad regnādum. Hinc cùm dixisset Regius Psaltes, *Illuc producam cornu Dauid*, id est, germinare faciam Regē Dauid; mox addidit, *paraui lucernam Chri-*

Esa.c. 4.
Hier.c.23.
Zach.c.3.
Similiter vertit Paginus. Idē etiam tradit Arias Mōt. in com.
Hiero. in c. 6. Zacha.
Psal.1 37.
Esa. c. 28.

sto meo, id est Dauidi, quem ego vnxi & Regem cõstitui, parai in sæculo futuro lucernam ne gloria Regni, & generis eius, quæ iam obscurata & tenebris obuoluta videbatur, penitus extinguatur. Nam & Regnum eius diuinis opibus instaurabo, & amplificabo; Christique mei splendorem, à me iam pridem excitatum, latissimè diffundam; eritque illius corona, insigne Regiæ dignitatis ornamentum, in omni seculorum æternitate, florentissima. Vnde non solùm germen à Zacharia, sed etiam lapis appellatur, (*Quia ecce lapis, quem dedi coram Iesu*) quia non solùm germen est, vt eos, qui fide, & amore, ac pietatis fœdere sibi coniuncti sunt, vbertate diuini fructus expleat; verùm & lapis, vt omnes hostium conatus frangat, & gladios, atque tela retundat. Quippe qui lapis est angularis connectens duos Ecclesiæ parietes: & fundamentum, quod totam Ecclesiæ molem
Esa.c.28. sustinet, & fulcit. *Ecce ego*, inquit Dominus apud Esaiam, *mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum.* Petra igitur & lapis est Christus, in quo domus Dei innititur: petra est fides de Christo, quam confessus est Petrus: Est petra Petrus ipse confitens Christum. Adeò autem sibi inuicem hæc cohærent, vt nisi credas Ecclesiam supra Petrum confitentem Christũ ædificatam esse, nihil credas. Hinc fit, vt B.P. Augustinus ver-
Augustin. ba Domini. *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, modò de fide, modò de Christo, modò de Petro ipso, modò de Ecclesia in persona Petri intelligat. Nec mirum, cùm vsque adeò hæc connexa sint, & inter se copulata, vt reuera vnum sine altero esse non possit. Quapropter delirant maximè hæretici, cùm dicunt Ecclesiam super fidem solam Petri seiunctam ab homine fundatam esse. Ponunt enim accidentia sine subiecto, nec vident fidem ab homine separatam ne minimo quidem temporis momento posse consistere. Quocirca si fundamentum aliquod habere debet fides, in homine habere necesse est. Quid est namque fides ipsa per se, nisi qualitas quædam, nisi accidens quod-

dam

dam in mente hominis? Qui fidem igitur solam sine homine multitudini credentium pro fundamento subijcit, putat fidem per se subsistere, & ponit accidens sine subiecto; imo ponit accidens subiectum, & fundamentum substantiæ. Quamobrem Beatus Cyrillus ne videretur personam Petri exclusisse, propterea quòd tradiderat Christum per petram eo loci nihil aliud intellexisse, quàm inconcussam discipuli fidem, paulo post subinfert: *Iam si Beatus Petrus tam nobiles honores consequutus est.* & cæt. Super Petrum igitur fidelem, super Petrum veram fidem fratrum nomine confitentem Christi Ecclesia ædificanda promittitur. Hoc sacra Euangelij historia, hoc Ecclesia Catholica, hoc sanctorum Patrum monumenta ostendunt. Cyrill. dialo. de Trinit. li. 4.

Denique, vt vnum instar multorum nobis sit huius veritatis argumētum, super eum, cui claues Regni cælorum à Christo promissæ sunt, Ecclesia ædificanda promittitur. Nam eidem, cui dicitur, *tibi dabo claues Regni cælorum*, dictum prius fuerat, *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Cùm ergo manifestè appareat ex ipsamèt Christi oratione Petro dictum fuisse. *Tibi dabo cleues Regni cælorum*, proculdubiò idem Petrus appellatur petra, super quam Christus promisit se ædificaturum Ecclesiam suam. Hanc quidem esse Hilarij sententiam agnoscet, qui eius de Trinitate libros diligenter euoluerit. Nam cùm in disputatione, quam aduersus Arrianos instituit, mirum in modum amplificasset testimonium illud Petri de Christi diuinitate, & in hæc verba prorupisset, *Super hanc confessionis petram Ecclesiæ ædificatio est; hæc fides Ecclesiæ fundamentum est*, continuò adiecit; *hæc fides Regni cælestis habet claues:* nè cui visus esset totum illud, quod dixerat, tribuisse fidei à Petro separatæ. Petrus ergo Regni cælorum claues accepit, & fide corroboratus factus est Ecclesiæ fundamētum: cùm non minus sit huiusmodi claues accipere, quàm fieri petram, super quam ædificetur Ecclesia. Si enim Apostolus Lib. 6. de Trin.

1.Cor.c.13. Paulus dixit, *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est: quod est Christus Iesus*: certè etiam Ioannes Apostolus, & Euangelij, ac futurorum sacramentorum scriptor sacer de eodem Christo Redemptore nostro ait; *Qui habet clauem Dauid: qui aperit, & nemo claudit: & claudit, & nemo aperit.* Quemadmodum igitur Christus claues Regni cælorũ, quas solus iure suo habet, Petro concessit ad vtilitatem Ecclesiæ militãtis: sic proculdubiò idẽ Saluator noster, qui solus natura Ecclesiæ vniuersalis fundamentum est, Petro hoc honoris insigne concessit, vt eũ eiusdẽ Ecclesiæ fundamentum posuerit. Nec verò desunt priscorum Patrum sententiæ ad hanc orthodoxam, & planè Euangelicam doctrinam confirmandam aptissimæ, sed sola Clementis Romani Pontificis authoritate modò contenti erimus, qui in prima epistola ad Iacobum fratrem Domini ita scribit.

Apoc.c.3.

Epist.1. *Notum tibi facio, Domine, quia Simon Petrus, qui veræ fidei merito, & integræ prædicationis obtentu fundamentum esse Ecclesiæ definitus est, qua de causa etiam Domini ore diuino cognominatus est Petrus, qui fuit primitiæ electionis Domini, Apostolorum primus, cui & primo Deus Pater Filium reuelauit, cui & Christus competenter beatitudinem contulit, qui obscuriorem mundi plagam occidentis (velut omnium potentior) illuminare præceptus est, quique integrè potuit implere præceptum. Hic denique ipse Petrus, qui pro immensa charitate, quam erga omnes homines gerebat, palam cum omni fiducia (aduersante etiam tyranno totius mundi) bonum prædicare non destitit, & Regem omnium sæculorum per orbem terræ, & vsque ad ipsius Romanæ vrbis huius notitiam, vt etiam ipsa sanaretur, inuexit. Hic, inquam, pro pietate pati volens, præsentem vitam finiuit* Et Epistola secunda ait idem Clemens: *Quoniam sicut de beato Petro Apostolo accepimus omnium Apostolorum patre, qui claues Regni cælestis accepit*. Ex quibus profectò apertissimè constat, qualis fuerit Clementis mens & sententia de primatu Petri, & vt, eum fundamentum Ecclesiæ definitum esse, non modò non dubitauerit, verùm etiam statim in principio narrationis suæ constanter asseruerit. Oblatrent igitur quantum volent aduersarij, & ad rauim vsque

clami-

clamitent, certè Christi Ecclesiam super Petrum ædificatam esse, quem Christus ipse totius structuræ primum iecit fundamentum cuiq. Regni cęlestis claues tradidit, Sanctorum Patrum sententijs, totius antiquitatis authoritate, & eiusdem Saluatoris nostri testimonio comprobatum relinquimus. Quò fit, vt non possim non vehementer mirari impudentiam Lutheri, & Caluini assectarum, qui nūc in Gallia, & superiori, ac inferiori Germania, & in Anglia vitam degunt; quotidie enim nouos ignaræ plebi proponunt libellos, in quibus hæc eadem, quæ huc vsque ex veterum monumentis deducta inculcauimus, & improbata, & omninò improbabilia esse, dicere non erubescunt, quorum omnium solidam aliquam confirmationem se maximè desiderare affirmant. Adeò sunt in Petrum odio inflāmati, molestèque ferunt eum in Principem Apostolorum electum, ac ei præter cæteros Ecclesiam Catholicam commendatam, & eius administrationi commissam fuisse. Volunt enim id ipsum, quod Petro, reliquis Apostolis à Christo iniunctum esse. O maleuolum hominum ingenium. O naturam peruersam! O caninam inuidiam. Nunquam nè Petro oblatrare desinent? Nunquam odium susceptum deponent? Nunquam nè virus, quòd hauserunt, supprimerit? Postulant confirmationem eorum, quæ iam olim satis cōfirmata sunt: &, quæ miseri & infelices parentes sui turpiter commenti sunt, nobis denuò obijciunt. Et non vident excæcati odio, quàm illa sint infirma, & quantum ab omni veritate abhorreant, nec se nouam aliquam excogitare posse rationem, qua ea confirment, ęquè perpendunt. Nec mirum, cùm iam illi pseudoprophetæ, qui hęc tam impia dogmata istis tradiderunt, non potuerint vllo modo sophismata sua probare, neque efficere, vt suæ nudæ opiniones aliqua saltem veritatis vmbra tegerentur. Quoniam ergo eò prolapsi sunt, vt pudorem & verecundiam deposuerint: atque primatum Petri nullis vel sacris oraculis, vel heroum nostrorum, qui propiùs ab aureo illo sæculo abfuerunt,

fuerunt, teſtimonijs comprobari, inſulſiſſimè prędicant, liceat fallaces illorum concluſiunculas paucis perſtringere. Vt, cùm videant Catholicam veritatem iam aliàs piorum, & doctiſſimorum hominum elegantiſſimis elucubrationibus demonſtratã, nunc rurſus (quod ipſi à nobis ſe ſummoperè deſiderare mendaciſſimè fingũt) diuinorũ oraculorũ præſidijs, & priſcorum Patrum adminiculis munitã & corroboratã ſpectantibus contuẽdam proponi, vel à ſuo Beza, cæteriſq. ſuis anteſignanis aliam elabendi viam & rationem percuntentur, vel tandem (quo nec nobis iucundius, nec ſibi vtilius aliquid in vita poterit euenire) victi cedant veritati, & Chriſto Domino manus dent, à quo ſi ſe vinci patiantur, gloriam maximam conſequentur.

CA. XIIX.

AGe verò, quoniam quicquid Petro à Chriſto demãdatum eſt, id commune illi cum cæteris Apoſtolis peſſimi iſti rerum æſtimatores exiſtimant, Cyprianum conſulamus, qui hoc vnum ad euacuandam omnem difficultatem non parum conducens nos optimè edocebit, Chriſtũ ſcilicet, ita egregiè diſtinxiſſe ea, quæ cõmunia eſſe voluit omnibus Apoſtolis cum Petro, ab ijs quæ ſoli Petro contulit, vt nemo iure mirari poſſit, ſi apud veteres ſcriptores, & Patres, quorum apud nos maxima eſt authoritas, reperiat, omnes Apoſtolos pari fuiſſe præditos poteſtate; aliquãdo verò legat Petrum cæterorum caput & principem extitiſſe. Audiamus itaque Cyprianum, qui cùm pluribus verbis fraudem cacodæmonis, qua ille hæreſes ſeminando multos homines deprauat, quos ad idolorum cultum reuocare minimè poſſet, ſapiẽter deſcripſiſſet, cauſam & remedium pariter huius calamitatis aſsignat; illam quidem ex defectione à ſupremo fidei Paſtore ortam, hoc verò omnium præſtãtiſsimum in eo poſitum eſſe tradit, ſi Chriſtiani populi non ſolum obtemperent, obediantq. eidem ſummo Paſtori, ſed etiam eum colant, & diligant. Cùm enim dixiſſet, *Hoc eo fit fratres dilectiſſimi dum ad veritatis originem non redditur, nec caput quæritur, nec magiſtri cæleſtis doctrina ſeruatur,* adiecit

Cypr. de vnitat. Eccl.

adiecit continuò, vt quod caput, & quam veritatis originē intelligeret, omnibus notum esset, *Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claues Regni cælorum, & quæ ligaueris super terram erunt ligata & in cælis, & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cælis. Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit: Pasce oues meas. Super vnum illū ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oues suas. Et quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: sicut misit me viuens Pater, & ego mitto vos: Accipite Spiritū sanctum, si cui remiseritis peccata, remittuntur illi, si cui retinueritis, retinebuntur: tamen vt vnitatem manifestaret, vnam cathedram cōstituit, & vnitatis eiusdem originem, ab vno incipientem, sua authoritate disposuit.* Hæc ille; quæ quoniam poterant nonnihil difficultatis in animo lectoris insitum relinquere, huic malo prouidè occurrit dicens. *Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris, & potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur. Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia, & Cathedra vna monstretur.* Multa alia in eandem sententiam, vt, quàm contra omnem iuris & veritatis æquitatem ab aduersarijs sedis Apostolicæ appelletur, manifestè appareat, tum ibi, tum alibi Cyprianus scribit: qui non aliundè exortas hæreses, & schismata excitata affirmat, quàm ex eo, quòd malè sani homines non agnouerint vnum summum in Ecclesia Dei Sacerdotem, Christi Vicarium, Petri successorem, eumq. Romanum Pontificem.

Cypr. ad Cornel. epi. 55. ad Rog. episto. 65. Ad Flor. Pap. epi. 69.

Audiuimus iam Cyprianum, auscultemus etiam Hieronymum, qui licet nonnunquam dixerit Apostolos omnes parem à Domino accepisse potestatem; tamen Petrum multis in locis Apostolorum caput & Principem appellauit: & ad Marcellum ita scribit. *At dicis super Petrum fundatur Ecclesia. Licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claues Regni cælorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur: tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt, capite constituto, schismatis tollatur occasio.* Apostoli ergo omnes,

Hier. aduer. Ioui. li. 1. ep. 54. ad Mar. 57. ad Dama. li. 1. con. Pel. in Matth. ca. 16. in epi. ad Gala. c. 5. in epist. ad Eph. c. 1.

(nec enim Hieronymi ſententia aliter eſt accipienda) cla-
Eſa.c.22.& Apoc.c.3. uiũ Regni cęleſtis vſum, perindè ac Petrus, habuerũt: quippe qui legitimam dimittendi peccata poteſtatem ab ipſo Chriſto acceperunt: ſupremum tamen dominium, quod per clauium traditionem ſignificari ex claue Dauidis maniſeſtè oſtendimus, conſtat ex Euangelica hiſtoria, ſoli Petro fuiſſe promiſſum, & traditũ: nam & ante alios ei Chriſtus dixit, *Tibi dabo claues Regni cælorum.* & poſteà ad Patrem, iam iam redditurus gregem ſuum commiſit, dicens, *Paſce oues meas*. Quapropter Optatus Mileuitanus inquit: *Bono*
cont. Parm. lib.7. *vnitatis beatus Petrus (cui ſatis erat ſi poſtquam negauit ſolam veniam conſequeretur) & præferri omnibus Apoſtolis meruit, & claues Regni cælorum communicandas cæteris ſolus accepit.* Et poſt nonnulla alia ait idem: *Stant tot innocentes, & peccator accipit claues: vt vnitatis negotium formaretur, prouiſum eſt, vt peccator aperiret innocentibus, nè innocentes clauderent contra peccatores, &, quæ neceſſaria eſt,*
Cont. Parm. lib.1.& 2. *vnitas eſſe non poſſet*. Nec Optato ſatis fuit hæc de Petro protuliſſe, verùm etiam multis in locis teſtatur, vniuerſam totius Eccleſiæ præfecturam, quam ipſe Petrus ſibi à Chriſto delatam geſſit, in Romanis Pontificibus cõtinuatam eminere. Sic enim in Parmenianum agens aliquandò dixit: *Cathedra vna eſt, & negare nõ audes, ſcire te Petro primùm in vrbe Roma Cathedram eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, vnde & Cephas eſt appellatus: in quo vno Cathedræ vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent, vt iam ſchiſmaticus, atque peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram, alteram collocaret. Ergo Cathedra vna, quæ eſt prima de dotibus, ſedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus.* Plura ille quidem in hanc ſententiam piorum, atque ſapiẽtum hominum auribus digna edidit, quibus modo ſuperſedendum duxi, vt, quid Auguſtinus ſenſeat, in medium proferam. Qui cùm incidiſſet in ea Petri verba, quibus ille Chriſtum, cum quo non dudũ ſe mori paratum dixerat, turpiter abnegauit, ita ſcripſit:
Aug. in cap. 26. Matth. *Ecce fundamentum Eccleſiæ ruit: ecce columna firmiſſima ad vnius auræ impulſum tota contremuit. Vbi eſt illa promittentis audacia, & de ſe pluri-*

plurimum præsumentis? Vbi sunt verba illa, Quare non possum modo te sequi? Animam meam pro te pono. Hoccinè est sequi magistrum, se negare discipulum? Siccinè anima pro Domino ponitur, vt hoc ne fiat, vox ancillæ formidetur? Disertè profectò Augustino videtur respondisse Gregorius Magnus: *Qua in re considerandum nobis est, cur omnipotens Deus eum, quē cunctæ Ecclesiæ præferre disposuerat, ancillæ vocē pertimescere, & se ipsum negare permisit. Quod nimirū magnæ actū esse pietatis dispēsatione cognoscimus, vt is qui futurus erat Pastor Ecclesiæ in sua culpa disceret qualiter alijs misereri debuisset. Prius itaq; eum ostendit sibi, & tum præposuit cæteris, vt ex sua infirmitate cognosceret, quā misericorditer aliena infirma toleraret.* Atque, vt Euthymius ait, permissu diuino cecidit, qui Pastor constituēdus erat, vt crimina condonare disceret eis qui laberētur, eorū imbecillitatem ex sua cognoscens; & vt multo esset modestior, cùm magna ederet miracula, remq. omnē sui casus recordatus Deo adscriberet. Quod quidē Petrus exactissimè præstitit; ostenditq. se non frustra ad tantā dignitatem erectum fuisse. Apparet ergo veteres heroes nostros rectissimè de Petri primatu censuisse: quippe qui omnes vno ore, vna & mente testantur Petrum cæterorum omnium Apostolorum caput, & principem extitisse. Fatentur hoc Cyprianus, Hilarius, Hieronymus, Augustinus, quanuis aliquandò dicant, omnes Apostolos eandem in Christianos habuisse potestatem. Affirmat hoc Leo, qui ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem ita scribit: *Inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis: & cùm omnium par esset electio, vni tantum datum est, vt cæteris præemineret.* Hoc ipsum Cyprianus tum eo loci à nobis citati, tum sæpe alias constanter docuit. Quid enim ille significare voluit, cùm dixit: *exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia vna monstretur?* Numquid his verbis demonstrare studuit, prius vni Petro quoad temporis ordinem datam fuisse potestatem, quàm cæteris, vt per illam significaretur vnitas Ecclesiæ? Nihil minus. Sed Ecclesiam in vno Petro, tanquam in fundamento, & capite, cæpisse, vt ex eo, quod

Gregor. in Euāg. hō. 21.

Hila. l. 6. de Trinit.
Hiero. l. 1. in Iouin.
Aug. tract. 50. in Ioan.
Leo ad Anast.

illa vnum habuit fundamentum, vna tantum esse demonstretur: cùm & ab vno fundamento domus vna dicatur: & ab vno capite corpus vnum appelletur. Quomodo enim ille aliter sensisset, cùm appareat vno eodemq. tempore delatam fuisse Petro, & cæteris Apostolis ligandi & soluendi potestatem. Quam certè (vt est apud Ioannem capite vigesimo) primùm à Christo omnibus Apostolis, cũ quibus erat & Petrus collatam fuisse: postmodum verò soli Petro Christum dixisse (quod legimus apud eundem Ioãnem capite vigesimo primo) *pasce oues meas*, haudquaquam Cyprianum latere potuit. Exordium igitur ab vno cæpisse, non sic Cyprianus intellexit, quòd vni prius datæ fuerint claues; sed quòd eas vni soli, vt legitimo, & primo Pastori, ac cæterorum omnium Principi Saluator noster cõtulerit. Vnde idem Cyprianus in eodem libro explicans, quemadmodum exordium ab vno Petro proficiscatur, ait Ecclesiam esse vnam eo modo, quo cuncti Solis radij dicũtur vnum lumen; quia ab vno Sole effunduntur: & multi riui vna aqua; propterea quòd ab vno fonte manant: & multi rami vna arbor; quoniam ab vna radice pullulant. Hanc verò radicem, & hunc fontem, ex quo Ecclesię vnitas desumitùr, Petri sedem esse multis in locis tradit: idq. apertè ostendit in epistola, quam ad Cornelium scripsit. *Nauigare*, inquit, *audent ad Petri cathedram, & Ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est*. Quæ sanè sententia tantum pondus habet, vt ea sola instar multarum esse videatur: sed quoniam noui aduersarios eo ingenio esse, vt non vno tantum testimonio se conuictos velint agnoscere, sed plura semper deposcant, adnectam id, quod ad Iubaianum idem Cyprianus scribit. *Nos*, ait ille, *Ecclesiæ vnius caput, & radicem tenemus*. Et ne quis dubitet, de qua radice, & capite loquatur, adiungit: *Nam Petro primùm Dominus, super quem ædificauit Ecclesiam, & vnde vnitatem originis instituit, & ostendit, potestatem istam dedit*. Et post quædam alia, *Ecclesia*, inquit, *quæ vna est, super vnum, qui claues eius accepit, voce Domini fundata est*.

De vnit. Eccles.

Cypr. ep. 55.

Cypr. ep. 73.

Cõnstat

Constat ergo idcircò à Cypriano Ecclesiam vnã dici, quia super vnum Petrum constructa est. Super vnum, inquam, Petrum, qui Princeps Apostolorum prędicatur; qui claues Regni cælorum cum cæteris communicandas solus accepit: quamuis hæretici reclamare non desinant. Quorum error nõ aliundè originem traxit, quàm ex eo, quòd tetra superbiæ & inuidiæ caligine excæcati distinguere nesciuerũt tempora, quibus diuersa cum discipulis suis colloquia Christus habuit. Quis enim est, pro Deum immortalem! adeò sacrarum litterarum ignarus, qui nesciat Apostolos non nisi in vltima cęna fuisse dignitate sacerdotali insignitos, nec nisi post Christi resurrectionẽ Episcopos creatos? Quando igitur Christus (quod scribit Matthęus cap. decimo octauo) sedauit contẽtionem, quæ exorta fuerat inter Apostolos de primatu Regni cælestis; & sermonem cum discipulis in longum protraxit, in quo nonnulla de correctione fraterna meminit, & præcepit, vt si quis admonitus ad meliorem frugem se recipere noluisset, ad Ecclesiã deferretur, cui si obedire recusaret, esset tanquam ethnicus, & publicanus: (*Amen enim,* inquit, *dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.*) nondum Apostoli, vel Episcopi, vel Sacerdotes erant: sed priuati tantũ homines, nec eo tempore illam Ecclesiasticam potestatem acceperunt: sed quam essent posteà, non solùm ipsi, sed etiam sui successores habituri, Christus eis prædixit, explicauit, promisit, ne fortè aliquis existimaret, posse se vlla iuris specie, & simulatione Ecclesiæ Pastorum iussa contemnere. At quãdò Christus post suam resurrectionem sese obtulit videndum discipulis suis, qui clausi erãt intra cuiusdam domus parietes propter metum Iudæorum, & dixit illis, *Pax vobis, sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hoc cùm dixisset, insufflauit, & dixit eis: accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt;* tunc profectò eis potestatem anteà promissam concessit: & quos in vltima

Matth.c.18 *Ioan.ca.20.*

tima cæna ſacerdotio initiauerat, eos, quaſi legatos ſuos, creauit, & Eccleſię gubernatores inſtituit. Hoc enim ſignificant verba illa, *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos*: poteſtatē verò ordinis ad remittēda peccata eis conferri oſtendunt, quæ ſequunrur, *Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata &c.* Ne quis autem deciperetur exiſtimans cum hæreticis noſtri temporis, neminem eſſe, cui obtemperare cæteros oporteret, idem Chriſtus poſtquam Petrum interrogauit, an ſe plus quàm alij diligeret, & ille reſpondit, *Etiam Domine, tu ſcis quia amo te*: ei ſoli dixit: *Paſce agnos meos, paſce oues meas*: quemadmodum etiam ſoli dixerat: *& tibi dabo claues Regni cælorum*. Qui reuera ſolus, vt principalis & ordinarius præfectus Regni claues accepit. Illud verò hoc in loco minimè prætereūdum cenſeo, quòd quemadmodum Petrus, cùm claues ſibi promiſſæ ſunt, Simon Bar-Iona à Domino appellatus eſt: ſic etiam cùm eas re ipſa accepit Simon Ioannis (ſiue, vt in codice Græco legitur, Simon Iona) dictus eſt, ne quis errare poſſet, de quo Simone mentio facta eſset. Et ſicut non, niſi præmiſsa de ſingulari fide ſua in Chriſtū atteſtatione, claues ei promittuntur: ita non prius ei exhibitæ ſunt, quàm eximij amoris ſui erga Chriſtum pręſtantiſſimum, firmum, & graue teſtimonium dedit: vt ex eo liquidò conſtaret, Petrum præ alijs ſingulari quodam beneficio fuiſse affectum, cùm talem ſe in magiſtrum ſuum præſtiterit, vt dignus fuerit, cui ſoli diceretur: *Tibi dabo claues Regni cælorum*: &, *Paſce agnos meos, paſce oues meas. Præ cæteris certè*, inquit Leo Summus pontifex: *ſoluendi, ac ligandi poteſtaem Petro Dominus tradidit*. Et tamen ſunt, qui dubitent de primatu Petri? Dubitant ſanè ij, qui à Luthero, Caluino, Beza, & alijs id genus magiſtris doctrinam à veritate omni alienā didicerunt: dubitant ij, qui omnia, quę luce meridiana clariora ſunt, in quæſtionem trahunt: dubitant ij, qui dum ſapientes videri ſtudent, inſipientiam ſuam oſtendunt. Quapropter lubet pauliſper immorari verbis Chriſti.

Leo epi. 89. ad Epi. Vië.

CAP. XIX

Itaque, ſi tam promiſſionem, quàm exhibitionem cla-

clauium attentis animis considerabimus, tria profectò in verbis Christi reperiemus, quæ mentem eiusdem Domini peculiariter erga Petrum affecti dilucidè ostendunt. Primum est, nouum illud nomen Simoni inditum, quod petram significat: alterum est; pronomen demonstratiuum, quo Christus usus est, ut quam petram intelligeret, manifestaret: quasi diceret; super hanc petram, cum qua loquor, id est, super te ipsum, ò Simon, quem petræ nomine cohonestaui ad soliditatem, & firmitudinem tuam ostendendam, ædificabo Ecclesiam meam. Tertium est verbum, ædificabo, quod & metaphoricum est, & Christi consilium, atque animum oculis nostris uidendum proponit. Iam uerò quæ sequuntur, rei ipsius ueritatem illustriorem reddunt. *Et tibi dabo*, inquit, *claues Regni cœlorum*. Deplorate igitur miseri, qui à veritate defecistis (vos, vos appello quotquot estis, qui aduersus Petri sedem, & principatum bellum mouistis) deplorate, inquam, miseri, deplorate cæcitatem uestram; lugete surditatem mentium uestrarum, qui Solis lucem non videtis, qui huius vocis Christi sonum tam grandem, tam plenum, tam clarum non auditis. Promisit quidem Saluator noster, & suo tempore tradidit Petro claues Regni cælestis: tradidit ille, & hic accepit, & illis, uelitis nolitis, usus est, atque eas successoribus suis reliquit, qui idem munus, quod prædecessor, fideliter obeunt. Nec sola ligandi & soluendi potestas per clauium traditionem Petro data est, (hanc enim ille cum cæteris Apostolis communem habuit) sed altius quiddam tributum fuit. Quod ex eo colligi facilè potest, quòd nulla mentio clauium facta legatur, cùm reliqui Apostoli remittendi, & retinendi peccata potestatem acceperunt. Claues igitur Petro attulerunt, vt & de moribus, quod æquum esset, statuere, & de fide decernere, atque vniuersæ Ecclesiæ præscribere iure suo posset. Hæ claues totam Ecclesiam administrant, & singulas eius partes ordinant, & temperant: præcepta fidei, Spei, & chari-

charitatis tradunt: illis, qui legem Domini obseruant, iter ad cælum pandunt: illis uerò, quos uitæ turpiter exactæ non pænitet, ianuam cælestem claudunt. Hæ claues non solùm infimis, & medijs, sed etiam summis Ecclesiæ membris, hoc est, Dynastis, Principibus, Tetrarchis, Regibus, Cæsaribus, omnibus denique Gentibus, & nationibus præscribunt, quæ ad Regnum cælorum adipiscendum utilia, & necessaria sunt. Hæ claues, quatenus de religione agitur, ciuitatibus, prouincijs, regionibus, ac denique uniuerso terrarum orbi leges imponunt. Hæc omnia sunt, quæ Petro peculiariter data fuerunt: hæc Petrum reliquis Saluatoris nostri ministris prætulerunt: in his Summi Pontifices omnibus Sacerdotibus, & Episcopis longè antecellunt. Soluendi autem, atque ligandi potestas ea est, quæ cùm omnibus Apostolis communiter & promiscuè à Christo data sit, ad omnes, qui Sacerdotio insigniti sunt, haud dubiè pertinet, quippe quæ in omnes Sacerdotes ab Apostolis est propagata. Quam tamen ligandi & soluendi potestatem Christus ita omnibus Apostolis communem esse statuit, ut in ea quoque principatum esse penes Petrum uoluerit, qui ipsam ad salutarem Ecclesiæ gubernationē aliis impartiret, summamq; diligentiam adhiberet, ut qui hanc prouinciam à se acciperent, purè, & castè, & diuini potius, quàm humani spiritus consilio administrarent. Præterea in eam curam incumberet, ut si quid corruptum esset in Ecclesia vel temporis iniuria, vel hominum negligentia, quàm primùm sanaret: si quid deprauata consuetudine foret introductum, omninò abrogaret: si quid corrigi oporteret, summa cum prudentia corrigeret: si quid iudicandum denique esset, id præ cæteris iudicaret. Quod iam tum ab exordio nascentis Ecclesiæ Petrum re ipsa præstitisse legimus. Postquam enim Apostoli à monte olueti Hierosolymam redierunt, cū iam Christus ad cælos ascendisset, introierunt in cænaculum, vbi manebant Petrus, & *Act. cap. 1.*

Ioannes,

Ioannes,& cæteri,quos nominatim Lucas commemorat. Tunc Petrus,qui omnium primus annumeratur, ſolus cōgregatis omnibus pronunciauit Iudam ex Epiſcopatu ſuo excidiſſe, & ſolus propoſuit noui Apoſtoli electionē. Vnde Chryſoſtomus, *Vide*, inquit, *feruorem. Quàm agnoſcit ſibi creditum à Chriſto gregem. Quàm in hoc choro princeps eſt, & vbique primus omnium incipit loqui*: Et deinde, *Quid? an nō licebat ipſi Petro eligere? licebat,& quidem maximè. Verùm id non fecit,ne cui videretur gratificari.* Ac tandem, *Conſidera*, inquit, *quo pacto concedūt ei ſolium: nec amplius ambigunt diſceptātes inter ſe ſe, quis futurus eſſet eorum maior*. Idem alibi inquit; *Diſcipuli cùm nondum Spiritus Sancti gratia corroborati eſſent,facilè commoti ſunt circa prælationem cōdiſcipulorum: gratia verò accepta tales non fuerunt,ſed vbique primatū Petro præbent.* Itaque ait, *Meritò primus omnium authoritatem vſurpat in negotio, vt qui omnes habeat in manu. Ad hunc enim dixit Chriſtus. & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*. Obediuit quidem Petrus magiſtro præcipienti,& omnium Apoſtolorum primus Euangelicam doctrinam Iudæis annuntiauit,à quibus interrogatus,quid ſibi faciendum foret,vt ſceleris patrati, & perfidiæ ſuæ veniam conſequerentur, eis ſolus reſpondit: nec alij collegæ, qui tunc aderant, illum interpellarunt: quippe qui eum totius collegij principem agnoſcebant. Primus etiam inter Apoſtolos miracula edidit. *Et primum ſignum*, inquit Ambroſius, *mirabilium ſuorum Petrus fecit,claudo pedum reſtituendo veſtigia.* Idem paucis quibuſdam alijs interiectis, huius iterum prodigij meminit, dicēs: *Si Petrus petra eſt,ſuper quam ædificatur Eccleſia,rectè prius pedes ſanat, vt ſicut in Eccleſia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet*. Magna quidem hæc eſt Petri cōmendatio,ſed non minor ad hanc gloria illa accedit: quod primus apud Phariſæorum tribunal Chriſtum intrepidè confeſſus eſt. Nam Annæ,& Caiphæ interrogātibus Apoſtolos in cuius virtute tam mira ederent opera, *repletus Spiritu ſancto Petrus dixit: In nomine Ieſu Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis*. Idem animi ſui feruorem, & ſimul authoritatis ſuæ

Hom. 3. in Act. Apoſt.

Hom. 51. in Matth.

Hom. 3. in Act. Apoſt.

Act. c. 2.

Amb. ſerm. 68.

Act. c. 4.

Act. c. 5. suæ amplitudinem mirificè ostēdit, cùm Ananiam, & eius vxorem Saphiram verbo interemit; propterea quòd pretium agri defraudantes Spiritui Sancto mentiri non erubuerant. *Tunc*, inquit Saluianus Massiliensis presbyter, *Princeps Apostolorum Petrus Ananiam, & Saphiram, quia mentiti essent, morte mulctauit*. Et Gregorius Magnus, *Cùm*, inquit, *Ananiæ, & Saphiræ culpam reperit, mox quanta potentia super cæteros excreuisset, ostendit*. Nec solùm in hoc, uerùm etiam in eo potentiam suam manifestauit, quòd Simonis Magi pessimi hæresiarchæ simulationem, & per summam fraudem, & malitiam ficta opera detexit; huncq; primum Ecclesiæ Christianæ proditorem, & veræ sapientiæ desertorem, atque omnium hæreticorum principem expugnauit; quippe quem in aerem cacodæmonum uehiculo sublatum, cùm prius ad Deum, vt causam suam defenderet, preces fudisset, in terram deiecit. *Naturæ* inquit Epiphanius, *debitum Simon persoluisse reperitur, quando in media Romanorum vrbe miser ille collapsus, mortuus est*. Sanè Augustinus (ut quæ Eusebius, Philastrius, & alij veteres scriptores tradiderunt, silentio obuoluam) scribens ad Casulanum, ea occasione Romæ fuisse institutum ieiunium sabbati multorum relatione testatur; quòd Apostolus Petrus cum Simone Mago die Dominico certaturus propter ipsum magnæ tentationis periculum, pridie cum eiusdem vrbis Ecclesia ieiunauerit, & parta victoria, eundem morem retinuerit, eumq; imitatæ sint nonnullæ Occidentis Ecclesiæ. Qui tamen opera Petri Simonem extinctum, atque necatum certò confirmat, cùm ait: *In qua Vrbe beatus Apostolus Petrus eum vera omnipotentis Dei virtute extinxit*. Ac rursus contra Fulgentium Donatistam disputans inquit: *Petrus Ananiam, & Saphiram eius vxorem mendaces occidit: & Simonem Magum tandiu persequutus est, donec morte perimeret*. Quæ quidem in Ananiam, & Saphiram, atque in Simonem Magum animaduersiones, ac de tam impijs, & sceleratis hominibus poenæ iustissimè sumptæ in conspectu vniuersæ Ecclesiæ,

Salu. li. 6. de gub. Dei.
Greg. in Ezech. lib. 2. hom. 18. & li. 1. ep. 24.
Clem. Rom. const. lib. 6. cap. 9.
Arnob. aduers. gentes. lib. 2.
Cyrill. Hiero. cath. 6.
Epiph. hær. 21.
Euse. lib. 2. cap. 14.
Phil. de hære. c. 3.
Aug. ep. 86
De hær. 1. cont Fulgē. Donat. c. 23.

ſiæ, in eam profectò Petro ſummam authoritatem collatam fuiſſe manifeſtè oſtendunt. Quid plura? Primus Petrus vnà cum Ioanne per manus impoſitionem Spiritum Sanctum tradidit Samaritanis, quos Philippus ſacro baptiſmatis fonte abluerat. Prætereo iam illud, quòd ſolus ex Apoſtolis vmbra ſui corporis ſanaſſe ægrotos legatur: prætereo etiam quàm multa alia præclara illa quidem, & maxima admiratione digna. Si enim, quæ de Petro traduntur, omnia recenſere vellem, tempus prius, quàm materia me deficeret. Nonnulla tamen adhuc per quàm breuiter perſtringam, atq; attingam, quorum cōmemoratione quàm maximè oblectatur animus. Atque illud in primis occurrit, quod in opido Lydda Aeneam quendam membrorum functione omninò priuatum, ſolo verbo ſanauit. Idem à diſcipulis accerſitus, vt Tabitham à mortuis excitaret, Ioppem venit, & eam in uitam reuocauit. Nec, hercle, tam felix Petrus cēſendus eſt quòd hæc fecit, quàm quòd primus omnium talia opera edidit, & ingentia hæc prodigia hominum oculis uidenda exhibuit. Idcircò enim hanc prærogatiuam Gregorius magni faciendam eſſe duxit, quia maximam authoritatem, quam præter cæteros Apoſtolos, Petrus accepit, apertè indicat. Addo etiam, quòd primus de Gentium vocatione à Deo admonitus fuit. Primus Chriſti fidem Cornelio alienigenæ annuntiauit. Primus præſcripſit, ut tam Iudæi, quàm ethinici, qui Euangelicā diſciplinam amplecterentur, in nomine Ieſu Chriſti ſacro baptiſmate à peccatis mundarentur. Vnde ipſe ita cæteros Apoſtolos affatur. *Vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus, Deus in nobis elegit per os meum, audire Gentes verbum Euangelij & credere.* Adeò certe vt recte Hieronymus dixerit, Cornelium, qui primus inter ethnicos fuit baptizatus, ſalutem illorum dedicaſſe: & ad illius merita pertinuiſſe myſterium, quo Petrus de Iudææ anguſtijs ad latitudinem orbis terræ transferebatur. Sic enim ille ait ad Paulinam ſcribens: *Sacra narrat hi-*

Act. c. 8. *Act. c. 5.* *Act. c. 9.* *Greg. lib. 2. in Ezech. hom. 18.* *Act. c. 10.* *Act. c. 15.* *Epiſt. 9.*

storia, Cornelium centurionem cohortis Italicæ in tantum acceptum Deo, vt Angelum ad eum mitteret, & omne mysterium, quo Petrus de circumcisionis angustijs, transferebatur ad præputij latitudinem, ad illius merita pertinere doceret: qui primus ab Apostolo baptizatus, salutem Gentium dedicauit. Illud quoque non obscurè hanc singularem Petri prærogatiuam manifestat; quòd cùm exorta quæstio de circuncisionis, & legalium obseruatione fuisset, ad Petrum ex Antiochia ventum est, (quanquam Paulus, & Barnabas, Simon, qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manahen, & Prophetæ, ac Doctores illic aderant,) & post longam causæ disceptationem, ita Petrus primus omnium quid hac in re faciendum foret, statuit, vt totam litem finierit; eius verò orationi, ac definitioni à nemine reclamatum est: sed tacuit omnis multitudo. Nec silentio prætereundum censeo, quod Ambrosius scribit, enarrans illud Pauli ad Galatas, *Veni Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim. Dignum*, inquit ille, *fuit, vt cuperet videre Petrum, qui primus erat inter Apostolos, cui delegauerat Saluator curam Ecclesiarum; & vt sciret Petrus, hanc datam Paulo licentiam, quam & ipse acceperat.* Quam Hilarius Petri authoritatem admiratus, eleganter dixit: *O beatus cæli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terrestre iudicium præiudicata authoritas sit in cælo: vt quæ in terris aut ligata sunt, aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant & in cælo.* Theophilus vero Alexandrinus ad Episcopos Aegyptios scribens, cùm de morte Christi ageret, in qua simul & diuinitas in impassibilitate, & in passione humanitas apparuit; *Dominus*, inquit, *gloriæ in ipsa passione monstratus est impassibilis diuinitatis permanens in maiestate & carne passibilis iuxta beati Petri, qui Apostolici collegij caput fuit, princeps, & rector repertus, eloquium.* Idem Theophilus Alexandrinus (falsò etenim Antiocheno vulgò adscribitur illud opus) enarrans illud Matci, *Et cùm venisset Iesus in domum Petri, inuenit socrum eius febricitantem &c. Socrus Petri*, ait, *Synagoga est, filiaq; eius Ecclesia, quam regendam Petrus Apostolus accepit.* Accedit

Act. c. 15. *Gal. c. 1.* *Ambr.* *Hilar.* *Epist. 3. pascha.* *In Marc. c. 7*

dit Cyrilli Alexandrini suffragium; & quoniam in eius scriptis difficilius multo erit paginam aut lineam inuenire, quæ Petri primatum non proclamet, quàm quæ illum non testetur dilucidè, paucissimis testimoniis hinc delibatis ad alia transibimus. Cyrillus igitur in explicatione illorum verborum Christi Domini, *Vos autem, quem me esse dicitis, Petrus*, inquit, *vt caput, & Princeps cæterorum, primus exclamat, tu es Christus filius Dei viui*. Et post alia, quæ prosequitur in eiusdem enarrationem, sic ait: *Respondit Petrus pro omnibus, quia omnes præibat dignitate & honore*. Idem denique Cyrillus (vt adnotat D. Thomas Aquinas) Petro sceptrum totius orbis commissum esse profitetur. Quòd si, vti recensiores, hi Patres aduersarijs fidem non faciunt, recipiant saltem Petri Alexandrini item Episcopi testimonium: est enim Cyrillo, & Theophilo antiquior. Ille igitur cùm Christianos ad patienter, & æquo animo tolerandos pro Christo dolores Stephani, & Iacobi exemplo, exhortaretur, Petrum quoque in exemplum, eiusdem rei demonstrandæ causa, adducens, eum omnium Apostolorum Principem appellat. *Petrus*, ait ille, *Apostolorum primus sæpe comprehensus, & custodiæ traditus, ignominiaque affectus, postremo Romæ crucifixus est*. Alibi etiam, *Petrus quoque*, inquit, *Apostolorrm Princeps eis in mentem reuocetur, qui iam in custodiam erat coniectus, & traditus quatuor quaternionibus militum ad eum seruandũ*. Ecce (licet enim cæteros omnes præterire, quorum omnium de Ecclesia super Petrum exædificata cum dignate explicatas sententias; & de clauibus, ac pascendis ouibus ei traditis firma & grauia testimonia longum esset recensere, & laboris potius, quàm ingenij opus videri posset) ecce, inquam, vt veteres Patres, qui à sæculo illo aureo propius abfuerunt, Petri potestatem, & excellentiam suscipiunt, & admirantur, timent, colunt, & obseruant.

Cyril. in c. 16. Matth.

Tho. in opusc cõt. Græc.

Can. 4.

Can. vlt.

CAP. XX.

ADuersarij tamen, quorum genium esse nouimus, se semper inuictos iactare, nè ab opinione, quam turpiter imbiberunt, discedere cogantur, cùm longè ante fortasse

præuiderint, nullas aduersus Sanctorum Patrum consentientem authoritatem, (vnus enim sensus fuit ueterum omnium) vires sibi posse superesse; sed, vel etiam inuitissimè sibi fore fatendum, soli Petro Regni cælestis claues fuisse collatas: vt nunquam altercandi finem faciant, & semper aliquid honori Petri detrahant, edocti à suo signifero Martino Luthero nobis opponunt, Christum quidẽ, cùm Petro dixit, *Pasce oues meas*, non Ecclesiam administrandi, sed Euangelium docendi, munus, ei, quem iam ad Apostolatus apicem euexerat, detulisse. Nolunt enim verbum, pascere, vllo modo præfecturam indicare, sed tantùm significare, cibum præbere, ac ministrare. Nec miseri considerant quàm propriè Christus gregem suum amori, fideiq; Petri commendans dixerit, *Pasce oues meas.* Nam pastoris officium ita seruitutem cum imperio commixtam habet, vt munus hoc interdum seruitus, interdũ imperium appelletur. Dicitur quidem seruitus, quia pastor, non suæ, sed ouium vtilitati inseruire debet: imperium autem, quia gregi sibi commisso limites præscribit, extra quos egredi non liceat. Rursus seruitus appellatur, propterea quòd pastori corporis voluptates pro ouibus, quarum curam suscepit, contemnendæ sunt, labores obeundi, & omnia pericula subeunda. Rursus etiam imperium dicitur; quoniam in oues, quæ obedire nolunt iure suo potest animaduertere, & in eas maximam habet potestatem: ac de omnibus, quæ ad oues spectant, cognoscere, iudicare, statuere muneris eius & officij maximè proprium, & perenne est. Decipitur ergo, qui officium pastoris in sola pabuli administratione cõstituit: cùm præcipua, & maxima eius pars circa regimen versetur. Quo fit, vt passim in diuinis scripturis pasco pro rego positum legatur. Quod enim Dauid prædixit de extremo illo iudicio, quod Christus Saluator noster faciet de orbe terrarũ, quandò de cunctorum hominum actis cognoscet, statuet, iudicabit; *Reges eos in virga ferrea*. Græcè habetur, pascet *Psal. 2.*

illos,

illos, ποιμανεῖ, erat autem ibi institutus sermo de virga pastoris. Iam verò pasco, siue rego pro dominor accipi consueuit: quoniam qui pascit, & regit, dominatur. Idcircò quod Matthæus ex Micheæ vaticinio refert, *Ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel;* apud ipsum diuinum vatem legitur, *Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel:* ita enim tàm in Hebraico codice, quàm in versione septuaginta interpretum scriptum inuenitur. Est autem desumpta similitudo aptissima à pastore, qui oues suas lasciuientes iustissima ira commotus ferrata virga percutit. Sententiam hanc nostram illud quoque Domini apud Esaiam apertè confirmat: *Qui dico Cyro: pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis:* non enim eo loci ministerium præbendi cibum, sed amplissimum Regnum Cyro prædictum fuit. Siue enim D. Hieronymi versionem, siue Hebræam lectionem inspicias, quæ nunc circunfertur, profectò sacer vates iussu Dei studuit significare Cyrum constituendum à Domino Regem, vt euerteret Babylonem, & Israelitas è captiuitate liberaret. Pastoris siquidem nomen olim Regibus impositum fuisse, apud ethnicos scriptores manifestè legimus. Nam Homerus vt ostenderet Agamemnonem, quem mirè passim collaudat, in suorum vtilitatem, & salutem omni cogitatione & cura incumbere, frequenter eum appellat ποιμένα λαῶν, id est, pastorem populorum. Similiter etiam apud Platonem Reges pastores nuncupantur. Quo fit, vt, cùm ποιμαίνω non significet pascere, administrando solùm pabulum, sed multo magis regendo, & gubernando gregē: Petro autem dictū sit à Domino ποίμαινε τὰ πρόβατα: Petrus rector, ac præses in Ecclesia fuerit à Christo constitutus. Cùm autem verbum pasco plenissimam potestatis rationem designet, & omnes alias regiminis actiones complectatur; efficitur proculdubiò, vt Petrus, cui soli dictum est, pasce oues meas, ita vniuersæ Ecclesiæ gubernationem susceperit, vt omnium aliorum Princeps, &

Matth. c. 2.
Micheæ. c. 2
Esa. c. 44.
li. 2. Iliad.
In Politio.

im-

imperator extiterit. Nam si totius Ecclesiasticæ functionis finis est gregem Christi pascere: si omnia, quæ in moderanda Ecclesia vel à rectore præstantur, vel à subditis exiguntur, ad animorum pastum dirigenda sunt; profectò siue functionem ipsam, & pascendi Dominici gregis munus spectes, siue pastores ipsos, quibus non tam dominium, quàm officium appetendum est, consideres, omnia, quæ ad supremam huius muneris functionem vel necessariò requiruntur, vel quoquo modo attinere possunt, ea oratione Christus Saluator noster complexus est, qua Petro imposuit, vt gregem suum pasceret. Requirebatur autem summum imperium, quo possent oues, quæ parère noluissent, sedulò, & prouidè coerceri: hoc igitur Christus & sub pascendi verbo complexus est, & Petro contulit. Quapropter antiqui Patres, tam Græci, quàm Latini, scribunt hoc loco tum pascendi curam, tum etiam gubernationem Petro commissam fuisse. Sed, vt cæteri nūc sileant, Chrysostomum audiamus, (cuius authoritas tanta est, vt nihil amplius ad cumulum desit) Is enim Petri præclara facta, dignissima illa quidem tali Præside, admiratus sæpe appellat Petrum os omnium, quem causam fidei egisse pro omnibus, doctrina sua instituisse omnes, & præcipuum fidei assertorem, primum verbi concionatorem extitisse; ac omnium primum Ecclesiam administrauisse, eamque non ex Hierosolymitanis, aut ex Iudæis, qui Hierosolymis circumiacerent, solùm, sed ex Parthis, Medis, Phrygis, Lybicis, Aegyptijs, Arabibus, aduenis Romanis, & alijs congregasse affirmat. Denique inquit Chrysostomus: *Quemadmodum dux in exercitu obambulans, considerabat, quæ pars sit coadunata, quæ ornata, quæ suo aduentu egeat. Vide vbique illum circuncursare, & primum inueniri. Quandò eligendus Apostolus, hic primus: quandò loquendum Iudæis, non Apostolos esse ebrios, quandò curandus claudus, quandò concionandum, hic præ alijs est, quandò agendū contra Principes, quandò contra Ananiam, quandò ab vmbra sanationes fiebant, hic erat. Et vbi quidem erat periculum,*

Chry. lib. 2. de sacer. Aug. in hūc locum. Chry. in act. Apost. homil. 4. 21. 22. & 24. et alibi.

Hom. 21. in act.

Hom. 22.

lum, hic: & vbi moderatio. Enarrans etiam eximium illud diuinæ pietatis opus, (quæ tunc haud obſcurè manifeſtata eſt, quandò placuit Deo, Cornelium Centurionem in Sanctorum numerũ aggregare) præclarè dixit Chryſoſtomus: *Dominus non Ananiam, ſed præcipuum* (id eſt Petrum) *adducit ad Cornelium.* Et iterum: *Vide etiam quanti fecerit, quòd credat Cornelius, vt & Angelus miſſus, & ſpiritus operatus, & Princeps Apoſtolorum accerſitus fuerit.* Ex quibus apertè conſtat in ea fuiſſe Chyſoſtomum ſententia, vt Chriſtus Petrum ſummum omnium paſtorem inſtituerit. Quo fit vt nonnulli ſcriptores ex numero illorum, quos antiquitas maximè commendat, inter quos eſt Optatus Miliuitanus, nomen Cephas, non à Siriaca lingua, ſed à Græco fonte deducentes ἀπὸ τῆς κεφαλῆς, caput interpretentur; vt Petrum totius Eccleſiæ caput eſſe ſignificent. Nec ob id aliqua reprehenſione digni iudicandi ſunt; cùm eiuſmodi rationem interpretandi aliena vocabula ab alijs, quorum eſt apud omnes pios & eruditos viros celebris memoria, mutuati fuerint. Nam Gregorius Nazianzenus perpendens Hebraicum nomen Phaſe apud Hebræos ſignificare tranſitum, vt aliud inde deduceret myſterium, illud in paſcha mutatum, non ſecundum Hebraici, ſed ſecundum Græci vocabuli etymologiam, & notationem, paſſionem interpretatus eſt. πάσχα enim, à πάσχω, apud Græcos idẽ eſt, quod paſſio. Vnde appoſitè, quod apud Syros petram ſolidam ſonat, nomen Cephas apud Græcos caput ſignificat, ac ſic diuina quadam diſpenſatione factum videtur, vt vna, eademq; voce in Syriaca & Græca lingua Petri primatus exprimeretur.

Hom. 24.

Optat. lib. 1. con. Parme.

Nazian. orat. 2. de paſch.

Turria. aduer. Magdebur.

Sed neque etiam temerè, aut furtuito accidiſſe putandum eſt, vt quoties Sacri Euangelij ſcriptores multos ſimul, vel omnes Apoſtolos recenſent, primus nominetur Petrus: diuinitus enim id factũ credimus, propterea quòd indignum videbatur quẽlibet alium Apoſtolorum Principi anteponi. Quare non longè ab hæreticorum leuitate

aber-

aberrare mihi videntur, qui existimant ideò à Matthæo primum inter cæteros Apostolos Petrum fuisse nominatum, quòd ille primus omnium sequutus fuerit Christum: Andreas enim prius Christo se addixit, deindè verò fratrē suum Simonem ad Redēptorem nostrum adduxit: præfert tamen Matthæus Petrum cæteris collegis, non ob aliud sanè, quàm quòd totius collegij Princeps extiterit. *Prior*, inquit Ambrosius, *sequutus est Andreas Saluatorem, quàm Petrus, & tamen primatum non accepit Andreas, sed Petrus*. Et Albertus Magnus æquissimè perpendit, nec Andream veluti secundum, nec Philippum veluti tertium post Petrum vspiam à Matthæo, vel ab aliquo Euangelistarum nominari; quia omnes Apostoli sunt secundi Petro, nec vnus aliorum alteri subiacet. Sic enim ille inquit: *Attende, quod licet Petrus vertex dicatur primus, non tamen dicitur Andreas secundus, vel Philippus tertius, & sic deinceps, sed omnes secundi sunt Petro ad iurisdictionem, quia non vnus sub alio, sed omnes, sub Petro.* Lege, amabo te, omnes Euangelistas, certè reperies, quoties ab illis multi simul Apostoli recensentur, Petrum primo loco constitutum, Iudam verò proditorem in vltimo collocatum videbis: cùm in alijs hic ordo minimè semper obseruetur, Ex quo facilè profectò colliges, vt certissimè constat Iudam in vltimum locum reijci ob indignitatem suam; ita Petrum ob dignitatem officij pastoralis, & insignem prælationem, in primo collocari. Quæ sanè prælatio ex verbis etiam Pauli apertè intelligitur; qui ad Galatas sic scribit: *Post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim. Alium autem Apostolorum vidi neminem: nisi Iacobum fratrem Domini.* Ecce vt solius Petri causa itineri se tradidit Paulus, & in eo inuisendo maximam curam posuit, quodque officium suum esse duxit, id præstitit. Et Iacobum vidit quidem, sed ita vt non magni hoc videatur æstimasse. *Honorat Patrem*, inquit Chrysostomus, *& diligit plus omnibus. Nec enim ob vllum aliorum Apostolorum narrat se ascendisse Hierosolymam, sed propter hunc solum.*

Matth.c.10.

Amb.in 2. epist.Cor.c. 12.

Alb.in cap. 10. Matth.

Gal.c. 1.

In epst. ad Gal.c1.

ſolum. Nec ſolus ille locus, ſed plures alij ſuppetunt, ex quibus oſtenditur Petrum cæteris collegis à Paulo fuiſſe prælatum. In priori enim, quam ad Corynthios ſcripſit, epiſtola adeò apertè, quid de Petri primatu ſenſerit, explicauit, vt nullus amplius de eo dubitandi locus relictus eſſe videatur. Nam cùm inanes Corinthiorũ iactationes, quas reprimere cupiebat, commemoraret, Cepham omnibus præpoſuit. *Hoc autem dico,* ait ille, *quòd vnuſquiſque veſtrum dicit. Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego autem Christi.* Deinde in eadem epiſtola, *Nemo itaque,* inquit, *glorietur in hominibus. Omnia enim veſtra ſunt: ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas. Omnia veſtra ſunt: vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.* Vtrobique Paulus Cepham prope Chriſtum nominat, tanquam omnium Apoſtolorum maximum. Ab ijs enim, quos minores haberi voluit, ad maiores gradatim aſcendit, & cùm peruenit ad Chriſtum ibi ſtitit, & ſecundum à Chriſto Petrum collocauit: vt ſicut à Chriſto ad Deum rectà itur, ſic à Cepha ad Chriſtum rectà tendi liquidò omnibus innoteſceret. Denique, quẽadmodum, ſi ex ordine temporis, quo quiſque à Domino vocatus eſt ad Apoſtolatum, adnumerandi fuiſſent Apoſtoli, Andreas primum obtinuiſſet locum; ſic etiam, ſi ea in re ætatis habenda eſſet ratio, Andreæ primus locus aſſignari debuiſſet, qui, vt Epiphanius teſtatur, Petrum ætate anteibat; cùm ergo antiquitatis in Apoſtolatu, & ætatis ratio non obſtiterit, quominus Petro primus ſemper locus ab omnibus fuerit delatus, efficitur proculdubiò illum eſſe Apoſtolorum omnium Principem & caput. Quo fit vt iam inde à primis Eccleſiæ initijs Orthodoxi ſcriptores tam Græci, quàm Latini, eum nunc os, nunc verticem, nunc caput, nunc Coryphæum, nunc Ducem, nunc Principem Apoſtolorum appellent. Atque hæc quidem pauca ex multis, quæ ſe nobis ad dicendum offerebant, in præſentiarum ſufficiant: quæ ſi ex Chriſti promiſſionibus, & ex promiſſionum præſtatione exhauſta

1.Cor. ca. 1. & 3.

ſunt, & totius antiquitatis ſententia confirmata, quæ quanto propiùs ad Eccleſiæ ortum acceſſit, tanto melius veritatem aſpexit; ſi hanc iſti ſeditioſi homines iam olim oppugnarunt quidem, ſed non euerterunt; ſi, quanuis nunquam deſinunt machinas admouere ad eam labefactandam, ſemper victi proſtratique antè omnium oculos ponuntur; ſi iſtorum dicta, factaque omnia non aliò tendunt, quàm vt eis quicquid libet liceat, nec vllus ſit, Chriſti loco, Eccleſiæ Præſes, cuius nomen, authoritatem, & iudicium reformident; ſi ex huiuſcemodi arrogantia, atque contumacia, omnes ſeditiones, & damnatæ ſectæ, atque inſtitutiones (vt Cyprianus teſtatur) ortæ ſunt in Chriſti Rep. nemo dubitet libera, & ingenti voce, quæ omnes orbis angulos peruadat, proclamare: Quicunque inficiabitur Petrum ſummam in Chriſti Eccleſiam authoritatem accepiſſe, cùm ſibi dictum fuit, *Paſce oues meas*, anathema eſto.

Cypr. epi. 3.

CA. XXI.

SCio tamen quid aduerſarij Eccleſiæ Catholicæ reſpondere ſoleant ad hæc Sacroſanctæ Scripturæ teſtimonia, quæ nemo niſi perfidus, impius, malitioſus ſit, negare audebit. Vitiata ſcilicet, & corrupta eſſe, & ob id illa minimè admittenda. Quæ eſt iſta hominum tergiuerſatio? Quæ ſunt iſta commenta? Quis eſt iſte inſaniæ prætextus? Siccine, cùm non poſſint lumen veritatis extinguere, ei tenebras offundere conantur? Lucebit ſemper veritas nec in eam peſſimi iſti uiri vllam habebunt poteſtatem; nec vnquam efficient, vt ſcripturæ, quas Eccleſia Catholica approbat, vitiatæ credantur. Maioribus enim quaſi theatris propoſitum eſt, ſacra monimenta, quibus nos Eccleſia vti iubet, omni prorſus vitio carere: nec id ignorant huiuſcemodi Reip. perturbatores: ſed quia nos odio acerrimo proſequuntur, ideo, vt nos patrocinio Sacrarum literarum, quibus ipſi tãquam fortiſſima arce munimur, priuent, illarum authoritatem eneruare moliuntur, quà fidem detrectando, quà vanis artibus certitudinem eludendo,

dendo, ne omninò degenerare ab illis videantur, quos prisca sæcula tulerunt. At non deerunt Epiphanius, & Irenæus, qui vt quondam in Saturninum, & Basilidem Sacrorum oraculorum calumniatores scripserunt, sic hos Caluini sectatores scriptis suis terreant, & exterminent. Surget alter Theodoretus, qui Cedroni veterem legem reijcienti, & mendacij Sacros Vates insimulanti adijciet hos Satanæ ministros, qui approbata monimenta, reprobāt & à nobis corrupta prædicāt. Erunt Eusebius, & Tertullianus, qui cum Apelle in eundem cum Cerdone errorē delapso coniungent hos nostri temporis impostores. Exorietur aliquis, qui Theodoro Mopsuestensi vanè iactanti nihil in veteri testamento de Christo ac religionis Christianæ mysterijs contineri, subrogabit hos impudentes viros, qui nihil de Petri primatu in Sacris literis scriptum inueniri affirmant. Mirata est antiquitas impietatem Bogomillorum, qui omnes Mosaicos libros, liceat Euthymij verbis vti, vna cum Deo, qui in ipsis memoratur, virisque iustis, qui sunt illi charissimi, reliquos item omnes, qui posteà scripti sunt, tanquam à diaboli astucia compositos reiecerunt. Mirati sunt posteri insaniam Albigensium, qui in Occidentis Solis partibus commorantes idem scelus quod Bogomilli tentarunt. Adiunge his Montanos, Priscilianistas, Psalianos, qui eodem furore perciti eò temeritatis deuenerunt, vt Sacræ Scripturæ testimonia infringere curauerint. Sed etiam mirantur hæc nostra tempora, qui in horum locum successerunt, & simile facimus aggredi ausi sunt, Lutherum & Caluinum; hi enim vniuersa ferè Sacra Biblia proscripserunt, & multos vtriusque testamenti libros relegarunt; nonnullos adulterarunt; alios malè interpretando deprauarunt. Mirantur & impudentiam Dauidicorum, Hermanæorum, Anabaptistarum, Trinitariorum, Suencfeldianorum, Libertinorum, & plurium aliorum, quos verè Atheos dixeris, qui Sacra Biblia commentum quoddam, & Euange-

lium dilirium appellant. Cùm tamen ipsi cunctorum miserorum hominum miserrimi nihil frequentius in vita commiserint, quàm vt temeraria quadam audacia, absurdissimis suis versionibus, & pestiferis cōmentarijs omnia Sacra Oracula mutilarint, adulterarint, corruperint. Lubet hic, (vt ad alia iam transeamus) quæ D.P. Augustinus aduersus Faustum Manichæum scripsit, ad istorum malitiam, & calumniam detegendam, transcribere. *Hoc est*, inquit ille, *quod paulò ante dixi, quia vbi sic manifesta veritate isti præfocantur, vt obsessi dilucidis verbis Sanctarum Scripturarum, exitum in eis fallaciæ suæ reperire non possint, id testimonium, quod prolatum est, falsum esse respondent. O vocem à veritate fugacem, in amentia pertinacem. Vsque adeò inuicta sunt, quæ aduersus vos de diuinis codicibus proferuntur, vt non sit aliud quod dicatis, nisi eos esse falsatos. Quæ iam authoritas literarum aperiri, quis sacer liber euolui, quod documentum cuiuslibet scripturæ ad conuincendos errores vestros exeri potest, si hæc vox admittitur, si alicuius ponderis æstimatur? Quid si* (ait idem) *alius simili insania, sed tamen qua tu duritia confringatur, existat, & dicat; Imo illud quod pro te sonat, falsum est: hoc autem, quod contra te est, uerum est: quid acturus es, nisi fortè alium librum prolaturus, ubi quicquid legeris, secundùm tuam sententiam possit intelligi? Hoc si feceris, non de aliqua eius particula, sed de toto audies contradicentem & clamantem, falsus est. Quid ages? Quò te conuertes? Quam libri à te prolati originem, quàm vetustatem, quam seriem successionis testem citabis? Nam si hoc facere conatus fueris, & nihil valebis: & vides in hac re quid Ecclesiæ Catholicæ valeat authoritas, quæ ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum vsque ad hodiernum diem succedentium sibimet Episcoporum serie, & tot populorum consensione firmatur.* Hæc Augustinus: quæ optimè ostendunt quæ fuerit veterum Orthodoxorum Patrum in detegendis, & euertendis fraudulentis hæreticorum artibus prudentia, atque diligentia. Nec nos tam longam sententiam in medium attulisse pænitet: quia ex illa facilè pius lector poterit colligere, quàm digni sint aduersarij, qui ab omnibus irrideantur: quòd ad subterfugiendam Sacrorum oraculorum

Cont. Faust. Manich. lib. 11. c. 2.

vim eò confugiunt, vnde iam alij summo cum dedecore deiecti, & expulsi fuerunt. Sed iam vnde digressi sumus, eodem rursus reuertamur.

QVoniam igitur petram illam, super quam Christus Dominus ciuitatem sanctam suam ædificauit, Petrum esse, illique claues Regni cælestis promissas & traditas fuisse, & Ecclesiæ regimen demandatum, ex ipsius Christi diuino oraculo satis superque à nobis demonstratum est: superest nunc, vt, quod ad rem maximè spectat, ostendamus nomine ouium, quas Christus regendas Petro tradidit, vniuersam Ecclesiam intelligi. Nam & hoc, non minus quàm superiora in controuersiam trahunt aduersarij, nè à Lutheri, Illyrici, Magdeburgensium, Caluini, & aliorum, qui posteà prodierunt, insigni perfidia deflectant. Quorum alij de Iudæis tantùm, non autem de Gētibus intelligi affirmant illud Domini *pasce oues meas:* propterea quod Christus non dixit Petro *pasce omnes oues meas*: quemadmodum alibi Apostolis dixerat, *docete omnes Gentes*: &, *euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ*. Alij alia comminiscuntur, & Petri primatui audacter opponunt Pauli celsitudinem, ex eo quòd scribens ad Galatas dixerit; *Quibus neque ad horam cessimus:* quasi tunc affirmuerit, sub Ioannis, Iacobi, aut Petri, quibus cum de Euangelij annnntiandi ratione egerat, ius, iurisdictionem, potestatem se minimè subactum agnouisse. Huc illud pertinere existimant quod idem Paulus scripsit: *Mea nihil refert, quales fuerint, qui aliquid esse videbantur*. Obijciunt & illud: *Qui aliquid esse videbantur nulla mihi mandata dederunt*. Nec non illud: *Nihil mihi contulerunt*. Ac tandem quod sequitur: *Iacobus, & Ioannes, & Cephas, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi*. Maximè verò ad causam obtinendam admodum accommodatum sibi visum est, quod ipsi confixerunt argumentum: Paulum, scilicet tradidisse iure diuino, & humano diuisam fuisse iurisdictionem inter se, & Petrum; sibique Gentium, Petro autem Iùdæorum

CA. XXII.

Ioan. c. 21.

Mar. c. vlt.

Gal. c. 2.

curam demandatam. *Cùm audiſſent* (Sic enim ille ait) *quòd creditum eſt mihi Euangelium præputij, ſicut & Petro circuncisionis: qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatu circunciſionis, operatus eſt & mihi inter Gentes; dextras dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis, vt nos in Gentes ipſi in circunciſionem.* Quæ verba ſibi cum primis ſuffragari prædicant iſti circulatores: colliguntque ex iijs ſe, cùm ex populo ethnicorum fuerint, Petri iuriſdictioni minimè ſubiacere. O dictum execrabile. O inſigne mendacium. O ſacrilegium infandum. O temeritatem inauditam. Quid, proh Dei, atque hominum fidem, quid cogitant iſti pſeudoapoſtoli, cùm veri Apoſtoli ſententiã ita perperam interpretantur, vt neſciam quis ab obiurgatione ſibi temperare poſſit? Prudentiæ, fateor equidem, & Chriſtianæ modeſtiæ eſſet, ſilere potiùs, quàm cum illis eadem de re toties diſſerere: niſi mala conſuetudine ad tantam deformitatem, improbitatemque deuenirent, vt ex ſilentio noſtro maiorem in dies ſumant occaſionem populos eludendi: ac niſi ab heri, & nudiuſtertius, qui ad pellicendam plebem tanto ſtudio incumbunt, vt noctes etiam inſomnes ducant, hæc eadem, tanquam firmiſſima ad probandam impietatem ſuam, argumenta dilatarent; nec vnquam ad ea ſatis reſponſum fuiſſe, Catholicis audacter, & temerè obijcerent. Sunt enim iſti fraudulenti, & mendaces, ac veri rerum deprauatores, adeò vt nihil non mentiantur, nihil non turpiter corrumpant. Qui humana, & diuina etiam iura euertere moliuntur, & bellum vndique veritati indicunt: pro qua nos quoque, non quidem accerrimo ingenio, forti tamen conſtantique animo arma ſumimus, ne qui pereunt, culpa & negligentia noſtra erroribus ſuis adhærentes, miſerè pereant. Age ergo, deſcendamus in certamen cum illis, & quoniam ad reſpondendum ſurreximus, ad ſingula, quæ propoſita ſunt, vt quàm iuſta ſit veritatis cauſa omnibus appareat, ordine reſpondeamus.

Illud ergo, quod primo loco nobis obijciunt, attentis

animis

animis perpendamus, & ipsa luce meridiana clarius videbimus, necessariò sub illis verbis Saluatoris nostri, *Pasce oues meas,* intelligi debere Petro totius Ecclesiæ curam demandatam fuisse, adeò certè vt, non ad Iudæorum tantum populum, sed ad Ethnicorum quoque nationes illius præfectura extendatur. Etenim hunc esse germanum eius loci sensum, si totam orationis seriem diligenter consideramus, ita manifestè apparet, vt nemo, nisi mentem amiserit, inficiari possit hac sola sententia, quanuis aliæ rationes nullæ nobis suppeterent, satis demonstrari Petro collatum fuisse vniuersæ Christi Ecclesiæ primatũ. Quid enim Ioannes eo loci? Sanè, postquam ille narrauit, quẽadmodum sibi, & fratri, & Thomæ, ac Nathanaeli, aliisque duobus, cùm simul essent omnes, Petrus dixisset, se velle piscatum ire, & cæteri illum sequuti se nauigio commisissent, nec tota nocte aliquid capere potuissent, ait sub Solis ortum Christum ad litus maris accesisse, eisque cùm respondissent interroganti Domino non aliquid se obsonij habere, imperasse, vt rete ad dexteram nauis iacerent, quod posteà præ multitudine piscium trahere non poterant. Deinde Petrum audito magistri sui nomine se in mare misisse captum vehementi quodam desiderio quàm citissimè veniendi ad Iesum: alios verò (non enim longè aberant) breui appulisse nauem ad litus. Cùm ergo descendissent de naui, ait Ioannes, *Viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem.* Dixit ergo ei Iesus. *Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc. Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piscibus, centum quinquaginta tribus. Et cùm tanti essent non est scissum rete.* Quis adeò habeti ingenio est, & à Christianis institutis alienus, qui (vt quàm multa alia, quæ in hac rerum mirabilium narratione continentur, mysteria prætereamus) perspicaci mentis oculo non conspiciat iam tunc, cùm hæc agebantur, summam Christi prouidentiam erga gregem suum enituisse? Sanè multiplex illud miraculum, hoc est, piscium copia, magnitudo

Ioan.c.21.

gnitudo omnium, præter consuetudinem piscationum retis integritas, iam Regnum cælorum maximis, plurimisq. viuentibus hominibus implendum multis populis commune propediem fore significabat. Christi verò in eos summi amoris vis iure suo postulabat, vt, antequam ad Sempiternum Parentem suum reuerteretur, eiusdē Regni saluti & incolumitati optimè consuleret, ac præsidem illi authoritate sua munitum re ipsa constitueret, á quo administraretur: cùm opulentissima etiam Regna, nisi aliquis sit, qui imperet, corruant, & funditus euertantur. Quòd si Christus verus Dei filius præ magnitudine amoris, quo flagrabat, non dubitauit pro hominum salute mortem opprobosissimā oppetere: an credi rectè poterit aliquid ab eo, illis iam in libertatem vendicatis, omissum fuisse eorum, quæ ad conseruationem & perpetuitatem Reip. suæ ex eisdem prudentissimè, ac diuinitus compositæ maximè spectarent? Hoc profectò vt omni prorsus probatione caret, ita à Christi instituto omninò alienum ingenuè fatebitur, qui ad ea, quæ Ioannes prosequitur, animum appellet. Nam, peracto prandio, ita Christus Dominus Petri erga se amorem eius confessione confirmari voluit, vt simul suus ardentissimus erga gregis sui oues, & Regni sui ciues, quorum curam Petro, vt cæterorum omnium Principi commendare volebat, ipsius Petri confessione apertè indicaretur. Aequum enim erat, vt quem ad liberandos homines è cacodæmonis captiuitate, & eos in gratiam suam reducendos Sempiternus Parens amore illorum captus è sinu suo in terram miserat, is, parta iam victoria, quemadmodum in debellando hoste, quā ardenti nos prosequeretur amore ostendit, sic etiam nos sibi maximè cordi esse, in designando eo, qui in terris vices suas gereret, aperiret. Hinc, quem non dominationis solùm & principatus, ac iuris, sed amoris etiam sui velut Vicarium instituebat, vt eius amoris, quo ille erga nos affectus erat, aliquod specimen exhiberet, quàm diligentissimè

Ambro. lib. 10. in Luc. c. 24.

ſimè curauit. Huc enim illud ſpectat, quod Ioannes narrat. *Cum ergo*, inquit ille, *prandiſſent, dicit Simoni Petro Ieſus, Simon Ioannis, diligis me plus his? Dicit ei, etiam Domine tu ſcis quia amo te. Dicit ei paſce agnos meos. Dicit ei iterum, Simon Ioannis, diligis me? Ait illi, etiam Domine: tu ſcis quia amo te. Dicit ei, paſce agnos meos. Dicit ei tertiò, Simon Ioannis, Amas me? Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertiò, Amas me? Et dixit ei, Domine, tu omnia ſcis: tu ſcis, quia amo te. Dicit ei, paſce oues meas.* Itaque cùm ardentiori quodam amoris affectu, quàm cæteri diſcipuli, Petrus ſe Chriſtum proſequi conſtanter profiteretur, à Chriſto amoris ſui Vicarius inſtituitur, & cæteris iure optimo præfertur, & agnos, atque oues Dominici gregis paſcendos ſuſcipit. Ecce vt Chriſtus vſque eò gregem ſuum amat vt non ſatis putauerit illum per ſe ipſum ſecretiori quodam modo, quàm poſſit oculis corporis cerni, diuinitus paſcere, niſi etiam, quia corpoream, & aſpectabilē præſentiam ſuam ab hominū luminibus ſubtrahere oportebat, Vicarium amoris ſui hominibus relinqueret, qui agnorum, & ouium ſuarum curam loco ſui ſuſciperet. Sic enim factum eſt, vt (cùm iſte conſpicuus Paſtor, Chriſti veri, ac boni Paſtoris Vicarius ab ipſo Chriſto ad ea peragenda, quæ ad gregis ſui ſalutem potiſſimum pertinent, dirigatur, & optimè inſtituatur) non minus conſultum ſit gregi Dominico intus quidem per ipſum Chriſtum, foris verò per hunc Vicarium amoris Chriſti, quàm ſi nobiſcū Chriſtus adhuc in terris verſaretur. Præfert igitur Chriſtus Petrum omnibus, quia Petrus vehementiùs cæteris ſe Chriſtum amare profitetur. Amat autem Petrus Chriſtum vehementiùs cæteris: quia Chriſtus præ cæteris Petrum amauit. Nec iniuria. Decuit enim vt, cui maiorem in gregem ſuum daturus erat poteſtatem, eidem maiorem erga ſe charitatem largiretur: quò libenti animo pro ouibus ſibi commiſſis vitam profunderet. Fateor equidē (quod ab ijs, qui in B. Ioannē religioſo ſtudio propenſi ſunt, nobis obijci poteſt) Ioannem eum fuiſſe diſcipulum,

Ioan.c.21.

Amb.li.10. in cap. Luc. 24.

Diodor. lib. 17.

quem Christus singulari amore amplectebatur. Verùm si Alexander ille Magnus, de quo tam multa narrantur, de Cratero, & Hephęstione amicis suis prudenter dixit: Craterus amat Regem. Hephæstion Alexandrum: cur & nobis dicere non licebit, Christum amauisse quidem Ioannem plus alijs amore quodam personali castissimo & integerrimo, quippe qui & in sinu Domini recubuit, & ei Christus iam cruci affixus, tanquam virgini, Sanctissimã Virginem Matrem suam commendauit: quod tamen attinet ad amorem, quo Christus vniuersum gregem suum, cui Petrum præfecit, prosequutus est, Petrum plus cæteris à Christo dilectum esse, & vicissim Christum, vt Principem pastorum, & Episcopum animarum nostrarum, à Petro præ cæteris amari? Hoc sanè Gregorius Nazianzenus cùm prudenter animaduertisset, quæ totius Ecclesiæ sunt, Petro; quæ autem amoris priuati Ioanni tributa fuisse dixit. *Vides*, inquit, *quemadmodum ex Christi discipulis, magnis vtique omnibus, & excelsis, atque electione dignis, hic petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta in fidem suam accipiat, ille impensius ametur, & supra pectus Iesu requiescat, ac reliqui discipuli eos sibi præferri æquo animo ferant.* Et alibi Petrum omnium discipulorum Christi charissimum fuisse dixit, quatenus hic Christi amor erga Petrum, non tam ad propriam ipsius Petri personam, quàm ad vniuersæ Ecclesiæ vtilitatem & regimen referebatur. Nemo igitur miretur Petro à Christo curam vniuersi sui gregis, id est, vniuersæ Ecclesiæ traditam fuisse: cùm & Christus Petrum, & Petrus Christum ita vnicè dilexerit, vt (quò in Ecclesiã & Remp. suam se magno studio esse apertè significaret) præ cæteris dignus visus sit, qui Vicarius illius amoris institueretur. Hinc Chrysostomus, in eo Petri celsitudinem, & dignitatis excellentiam eminere dixit, quòd quemadmodum Christus tanquam primogenitus, sic Petrus vt discipulorum primus idem tributum soluerit: (putat enim didragma à Christo exactum secundum legem Mosis, tanquam à primogenito.)

Ioan. c. 13. & 19.

1. Petri c. 5.

Nazian. in orat. de moder. in disp. haben.

genito.) nam ſoli Petro Chriſtus dixit: *Vade ad mare, & mitte hamum: & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies ſtaterem: illum ſumens, da eis pro me & te. Vidiſti,* inquit Chryſoſtomus, *honoris excellentiam, quoniam & Petrus primogenitus erat.* Duplex autem didragma, vt tradit Auguſtinus, pro ſe, & pro Petro in tributum conferri iuſſit, quaſi in vna familia duo eſſent capita, ſubordinata videlicet, vnum primarium & vitale, alterum verò ſecundarium, ac miniſteriale. *Saluator,* inquit Auguſtinus, *cùm pro ſe & Petro dari iubet, pro omnibus exſoluiſſe videtur. Quia ſicut in Saluatore erant omnes cauſæ magiſterij, ſic & poſt Saluatorem in Petro omnes continerentur. Ipſum enim conſtituit eſſe caput eorum, vt paſtor eſſet gregis Dominici.* Nec ex alio diſcipuli anſam diſceptandi de primatu Regni Chriſti arripuere, quàm ex eo, quòd viderant tantum tributi pro Petro, quantum pro Chriſto ſolutum fuiſſe. Nam cùm Matthæus retuliſſet illud Domini, *illum,* ſcilicet ſtaterem, *ſumens da eis pro me, & te,* protinus adiecit: *In illa hora acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum, dicentes; Quis putas maior eſt in Regno cælorum? Quia,* inquit Hieronymus, *viderant pro Petro & Domino idem tributum redditum, ex æqualitate pretij arbitrati ſunt omnibus Apoſtolis Petrum eſſe prælatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus: ideo interrogant,* illa ipſa hora, *quis maior ſit in Regno cælorum.* Huic ergo, cuius dignitatis amplitudinem Dominus inſinuauerat dicens, *da eis pro me & te*: huic idem Dominus ipſam dignitatem reapſè contulit, cùm dixit, *paſce agnos meos, paſce agnos meos; paſce oues meas.* Cui quidem triplici præcepto, triplex præcurrit interrogatio: ita vt primò, & ſecundò Dominus dixerit ἀγαπᾷς με, tertio verò φιλεῖς με. Petrus verò interroganti Domino, *diligis me,* ſemper reſpondit, *tu ſcis Domine, quia amo te.* Cur ita? Præclarè Ambroſius, *in eo,* inquit, *videtur mihi dilectio habere animi charitatem, amor quendam æſtum conceptum corporis ac mentis ardore: & Petrum opinor non ſolùm animi, ſed etiam corporis ſui circa Dei cultum ſignare flagrantiam.* Idcircò igitur Petrus in trina illa reſponſione ſemper vſus eſt

Matth. c. 17.

Auguſt. in quæſ. ex no. teſt. q. 75.

Hieron. in c. 18. Mat.

Libr. 20. in Luc. c. 24.

verbo φιλῶ vt ſingularem in Chriſtum beneuolentiam oſtenderet: ob quam ſingularem etiam paſcendi poteſtatem accepit, qui, vt amore, ita etiam dignitatis amplitudine cæteris Apoſtolis antecelluit. Atque hoc certè loco rectè obſeruauit Chryſoſtomus Petrum non ſemel oſtendiſſe animi ardorem, quo maximè æſtuabat, vt honoris inſigne, quo fuit cohoneſtatus, amoris magnitudini reſponderet. Quid vero Chriſtus per agnos, & oues intellexerit, optimè Ambroſius declarat, qui perſpicaci mentis oculo contemplatus bis Chriſtum dixiſſe, *Simon Petre diligis me?* &, *paſce agnos meos*; ſed tertio, *Simon Petre amas me?* &, *Paſce oues meas*, ait, nomine agnorum imperfectos, quaſi lacte nutriendos, ouium autem perfectiores deſignari. *Denique*, inquit ille, *tertio Dominus non iam: Diligis me? Sed, Amas me? interrogauit, & iam non agnos, vt primò, quodam lacte paſcendos, nec ouiculas, vt ſecundò, ſed oues paſcere iubetur, perfectiores, vt perfectior gubernaret*. Idem quoque Euthymius tradidit: Adeò vt liquidò demonſtrauerit, Petro commiſſum fuiſſe vniuerſum Chriſti ouile, in quo tam paruuli, quàm grandiores continentur, id eſt, totum myſticum Chriſti corpus, & vniuerſam Eccleſiam, cuius membra ſunt laici, & ſacerdotes; quorum illi vt agniculi paſcuntur; hi vero, vt oues agnos quidem paſcunt, ſed à ſummo quoque paſtore ipſæ quoque matres paſcuntur. Quamobrem cùm ad codicem Græcum oculos attentè conieciſſem (in quo ſic habetur: λέγει τῷ Σίμωνι Πέτρῳ ὁ Ἰησοῦς, Σίμων Ἰωνᾶ ἀγαπᾷς με πλεῖον τούτων; λέγει αὐτῷ. Ναὶ κύριε; σὺ οἶδας ὅτι φιλῶ σε; λέγει αὐτῷ, βόσκε τὰ ἀρνία μου. λέγει αὐτῷ; ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς. βόσκε τὰ πρόβατά μου. *Dicit Simoni Petro Ieſus, Simon Iona diligis me plus his? Dicit ei, etiam Domine tu ſcis quia amo te. Dicit ei, paſce agnos meos.* Et rurſus: *Paſce agnos meos. Ac tandem tertio, Dicit ei, paſce oues meas*) perpendiſſem etiam diligenter beatos Ambroſium, & Maximum conſtāter dixiſſe Chriſtum Petro commendaſſe agnos, ouiculas, & oues ſuas: perſpexi equidem (quod & Robertum Belarminum obſer-

Ambro. vbi ſup.

Ioan. c. 21.

Ambr. vbi ſupr. Max. ſerm. de S. Petr. & Paul.

ſeruaſſe video) eo loci Ioannis, primò quidem ἀρνία, ſecundò προβατία, tertiò πρόβατα legendum eſſe: & in curia vel amanuenſium, vel typographorum vnum iota excidiſſe. quod proculdubiò ijs, qui experti ſunt huius artis difficultatem, haud mirum videbitur. Non enim adduci poſſum, vt exiſtimem, viros Græci idiomatis peritiſſimos adeò hallucinatos fuiſſe in re manifeſtiſſima, vt ſi in Græco codice legiſſent bis, τὰ πρόβατα, vertiſſent, in ſecundo loco agnos: cùm nemo ſit, qui ignoret, agnos ἀρνία, non πρόβατα Græcè appellari, Cùm ergo apud omnes Latinos codices legatur in ſecundo loco agnos, nec vel vllus vnquam extiterit, qui hanc lectionem improbauerit, nemo certè inficias ibit, interpretem noſtrum legiſſe quidem προβατία ſed vertiſſe agnos, quod pro eiſdem ſæpe, tam agni, quàm ouiculæ accipiantur. Quòd ſi non caſu, nec temere factum eſt, vt in primo loco Græcè legatur βόσκε τὰ ἀρνία, id eſt, paſce agnos: In ſecundo ποίμαινε τὰ προβατία, id eſt, rege ouiculas, tertio verò, βόσκε τὰ πρόβατα, paſce oues: ſignificatur certè, Chriſti agnos à Summo Paſtore propter communem doctrinę cibum paſcendos, & eoſdem à ſuis proprijs paſtoribus quorum iuriſdictioni directè ſubiacent regendos eſſe: oues verò, id eſt, perfectiores, quales ſunt Epiſcopi, qui directè Summo illi Paſtori ſubiiciuntur, ab ipſo tum communi doctrina paſcendos; tum etiam ab ipſo, vt omnium paſtorum maximo, gubernandos. Atque hæc mihi videtur propria & germana ratio eius, quod Leo Magnus dicit; Petrum ſcilicet fuiſſe á Chriſto præpoſitũ omnibus Gentibus, omnibus Patribus, & omnibus Apoſtolis. Per Gentes enim agnos, de quibus Chriſtus loquitur, intelligit: per Patres ouiculas deſignat: per Apoſtolos oues iam perfectas ſignificat. Quapropter cùm nemo ſit intra Chriſti Eccleſiam, aut vnquam fuerit, nec perpetuis futuris temporibus eſſe poſſit, cuiuſcunque ille ſit dignitatis, qui aut agnorum, aut ouicularum, aut ouium nomine non cenſeatur,

Ser. 3. de anni. aſsump. ſuæ.

ſeatur, (ſiue Reges, ſiue Imperatores, ſiue Sacerdotes, ſiue Epiſcopos, vel etiam Apoſtolos ipſos interroges) neceſſariò profectò fateri oportet, cùm Chriſtus Petro imperauit ſine vlla exceptione poteſtatis, aut dignitatis, vt agnos ſuos, & oues ſuas paſceret, & ouiculas regeret, omnes Chriſtianos ei fuiſſe commiſſos. Nam etiam cùm Saluator noſter apud Ioannē ait, *Cognoſco oues meas, & oues meæ vocem meam audiunt, & ego pono animam meam pro ouibus meis*, proculdubiò omnes, qui ſibi nomina dederant, intelligit; cùm neminem vel tacitè, vel manifeſtè excipiat. Quid ad hæc reſpondebunt aduerſarij? Quam tergiuerſationem quærent? Quem cauſarum patronum aſſument? qui licet in literis parum verſatus non dicat eos cauſa ſua penitùs caſuros: cùm omnium Iuriſprudentium reſponſis teſtatum, & veritate ipſa comprobatum reperiatur, nomine bonorum omnia bona intelligi: ita vt ſi quis in vltimo ſuo elogio dicat, relinquo bona mea Titio; Titius bonorum omnium, quæ teſtatoris ſunt, hæres verè inſtitutus fuiſſe intelligatur. Dicent ne amplius ſolos Iudæos fuiſſe Petro concreditos? Affirmabunt nè poſthac Petri poteſtatem in Gentes minimè extendi? Nunquam nè aliquid nobiſcum ſapere incipient? Nunquamnè veritati acquieſcent? Certè priſcorum Patrum nullus extitit; qui dubitauerit Petri principatum ita in vniuerſam Chriſtianam Rempub. eſſe diffuſum, vt nullus ſit Chriſti charactere inſignitus, qui illi non ſubiaceat. De quo Leo Magnus præclarè loquutus fuiſſe mihi videtur. *De toto mundo*, inquit ille, *vnus Petrus eligitur, qui & vniuerſarum Gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur. Vt quamuis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, multique Paſtores, vnus tamen propriè regat Petrus, quem principaliter regit & Chriſtus.* Accedit mellifluus Bernardus, qui eandem ſententiam diſertè amplificauit; ſic enim ait. *Cui non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum, ſic abſolutè & indiſcretè totæ commiſſæ ſunt oues? Si me amas Petre paſce oues meas. Quas? Illius, vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut*

Ioan. c. 10

l. bonorũ. ff. de ver. ſign.

Leo vbi ſupra.

Libr. 2. de conſid.

certi

certi Regni? Oues meas inquit. Cui non planum non designaße aliquas, sed designaſſe omnes? Nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil. Quis ergo ſit verborum Chriſti genuinus ſenſus apertè liquet. Satis etiam pro breuitate reſpondimus primæ aduerſariorũ obiectioni, quam nullius ponderis, & momenti eſſe demõſtrauimus, nunc ad alia, quæ ipſi nobis opponunt, tranſeamus, vt nullum amplius ſubterfugium ſibi ſupereſſe agnoſcant.

QVod igitur ex Pauli epiſtola ad Galatas ſcripta in medium adducũt, nihil profectò de primatu Petri imminuit, neque hoc longa indiget probatione, cùm ex ipſo contextu, ſi fideliter integra proferatur Apoſtoli ſentẽtia, manifeſtè cõſtet. Nam cùm Dei iuſſu Hieroſolymam veniſſet, priuatim expoſuit ijs, qui in illa Eccleſia ſummo in pretio habebantur, doctrinam, quam promulgabat, non quod ipſe de eius veritate dubitaret, ſed ne fructus miniſterii ſui impediretur à pſeudoApoſtolis, qui aſſerebant, Euãgelij rationem ſibi cum cæteris Apoſtolis minimè conuenire. Ad horum igitur audaciam infringendã inquit Paulus ſe Hieroſolymam diuini Spiritus afflatu aſcendiſſe, atque Apoſtolis, qui tunc Hieroſolymis verſabantur oſtendiſſe, diſciplinam, quam Gentibus tradebat, non aliam eſſe ab illa, quam Iudæi, à Iacobo, & Ioanne, & Petro traditam acceperãt. Non itaque negauit Paulus ſe Petro ſubijci, nec de hoc vlla vel quæſtio orta fuerat, vel verbum vllum factum; ſed Euangelij ſui veritatem, & rationem omnem ſe ab ipſo Deo directè accepiſſe ſummo ſtudio manifeſtare curauit, vt fraudulentorum hominum, *quibus neque ad horam quidem*, inquit, *ceſſimus*, calumnia coerceretur. Hanc autem fuiſſe Pauli mentem, & hunc eſſe totius orationis ſcopum, facilè cognoſcet, qui cum aduerſarijs in luce non caligabit. Quid enim ille ait? *Poſt annos*, inquit, *quatuordecim, iterum aſcendi Hieroſolymam cum Barnaba, aſſumpto & Tito. Aſcendi autem ſecundum reuelationem: & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in Gentibus, ſeorſum autem ijs, qui aliquid videbantur: ne*

CA. XXIII

Ga. cap. 2.

fortè

fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem. Causa, inquit, ob quã missus fuerim, & ascenderim, & exposuerim rationem disciplinæ, quam Gentibus trado, non erat, quòd ipse aliqua in re hærerem. Quæ nam igitur? *sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu, vt nos in seruitutem redigerent. Quibus neque ad horam cessimus subiectioni: vt veritas Euangelij permaneat apud vos.* Quibus, inquam, subintroductis, & falsis fratribus nullo tempore cessimus, nec eo etiam in quo ministerij nostri rationem ab illis magnæ libertatis nomine impugnari videbamus: vt potè qui veram & certam causam, non corã infimis hominibus, sed coram summis & sapientissimis Apostolis armis veritatis tuiti fuimus aduersus subdolos, & audaces, proteruosq. insidiatores. Atque adeò neque per subiectionem illorum importunitati cessimus, vt veritas, quam vobis annunciauimus, omni ex parte constans permaneat apud vos. Quem esse Paulo scopum, & finẽ propositum satis superq. ex initio eiusdem epistolæ desumimus. Sic enim ille ait: *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem sed per Iesum Christum, & Deum Patrem.* Ecce, vt doctrinæ suæ veritatem, nõ hominum testimonijs, sed ipsius Dei authoritate confirmari demonstraret, constãter asserit se legatum quidem, non tamen ab homine, vt humanã legationem gereret, neque per hominem instructum, & missum, sed à Deo per Iesum vnctum, Pontificem, atque Regem Regni cælestis, per quem legatione fungebatur ad eiusdem Regni communicationem hominibus afferendã, & per Deum Patrem. Vnde paulò post subdidit: *Notum enim vobis facio fratres Euangelium, quod euangelizatum est à me, quia non est secundùm hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi.* Vt cum constiterit Euangelicam disciplinam, quam Gentibus annunciauerat, non humanam ex sapientum hominum commentarijs, & monimentis haustam, aut ab aliquo homine acceptam esse, sed prorsus diuinam, virtute Iesu Christi sibi manifestatam,

Gal. c. 2.

Gal. c. 1.

Cap. 1.

tam,

tam, & ab ipsomet Saluatore nostro sibi traditam; nemo sit qui ex Pauli oratione non facilè colligat, idcircò illum ex Christi præscripto Hierosolymam se contulisse, non vt quasi hęsitabundus conferret Euangelij sui rationem cum collegis suis, sed vt sic maleuolorum hominum linguas compesceret, qui doctrinæ suæ, tanquam humanæ, detrahebant, vt Gentes ad Christi ouile adductas pellicerent, & pellectas in animorum interitum miserè detruderēt. Quibus proculdubiò non autem Petro, Paulus ait, se neque ad horam cessisse.

Persimiles autem his subdolis & falsis fratribus, de quibus Apostolus iustissimè conquerebatur, nostri temporis hæretici se præbent, quippe qui improbi calumniatores sacrosanctæ doctrinæ iam tot sæculis approbatæ obloquuntur, vt eius authoritas vilescat, & sic miseram plebem in laqueos impellant. Nec verò eos pudet turpi mercede adductos in communibus suggestis ministros se præbere cacodæmoni, huicque ita inseruire, vt à falsitatis crimine non deterreātur: quod vt sæpe aliàs, tunc vel maximè committunt: cùm Paulum dixisse testantur, *Et qui videbantur esse aliquid nulla mihi mandata dederunt*. Non enim Apostolus ita scripsit; sed: *qui videbantur esse aliquid, nihil mihi contulerunt*. Quibus verbis significauit se nihil à cæteris Apostolis accepisse: quia de omnibus à Christo fuerat apprimè edoctus. Nihil, inquit, omninò, quod non haberem, accepi ab ijs, qui ex subdolorum fratrum commendatione putabantur esse aliquid, quod ego non esse putarer, propter ea, quæ ijdem deformandi mei causa, detrahendæ, spoliandæque dignitatis meæ gratia maledicè, contumelioseque dixerunt de me. Nam quod ad Apostolatum, & doctrinæ veritatem potissimum spectat, nihil, quod in illis sit, in me desideratur, nihil mihi ab illis est collatum. De eo autem, quòd ante me sunt electi, atque instructi, & cum Christo familiarissimè vixerunt, nihil equidem laboro. Dei enim, qui confert munera sua

in quencunque vult, consilium fuit, vt illi, tametsi aliquã- dò imperiti homines, ad Apostolatum priùs quàm ego, peruenerint: ego verò eos subsequutus fuerim, qui anteà in Euangelium pro auita religione arma sumpserã. Sum tamen modò perinde, ac mei collegæ, fidelis, & in Apostolico munere obeundo nulli cedo: meaque doctrina ita vera est, vt ea, quam illi tradere consueuerunt; cui quicunque detrahit, cùm mihi cum Petro, & Iacobo, & Ioanne conueniat in doctrinæ ratione, se eorundem Hierosolymitanorum Apostolorum doctrinæ detractorem præstat. Ex quibus iam forsitan aduersarij videbunt, quid colligere velimus: eos nimirum Pauli dignitati, & amplitudini detrahere, quoties Petri principatum ab ipso Deo institutum euertere moliuntur, ei Pauli celsitudinem opponentes; qui non solùm Petri præfecturam nunquam negauit; sed potiùs eam non obscurè fassus est: cùm Petrum, quoties de eo, ac cæteris Apostolis sermo incidit, prope Christum (vt superius ostendimus) vt Christum prope Deum, non semel collocauerit. Agnouit Paulus Petri monarchiam isti nolunt eam vllo modo agnoscere: Nunquam Paulus se Petro præferendum duxit, isti eum anteponere laborant: non quòd de Pauli honore soliciti sint, sed quòd Petri dignitatem odio prosequantur; adeò vt omnem moueant lapidem, quo eam funditus euertant. Idcircò modò aliquid Sacris Scripturis detrahunt: modò aliquid turpiter adiungunt, quod nobis tanquam diuinum aliquod oraculum obijciant; quod ne dubitare possimus maximo est argumento quod nuper accidisse ostendimus in Pauli epistola ad Galatas scripta. Et quid mirum, cùm non aliter, quàm nouam scripturam fingendo, orthodoxam veritatem tot retro sæculis optimorum Patrum sententia, &
Deut. cap. 4. vniuersi Christiani orbis mirabili consensu, ac diuinorum oraculorum pondere confirmatam, & vndique munitam quiuerint impugnare? Enimuerò verbo Dei aliquid addere scelus est grauissimo plectendum supplicio: vt tamen

auda-

audacter ſibi cum Deo familiaritatem maximam eſſe iſti prædicant, ita profectò ad Dei verbum ſomnia & diliria adiungere veriti non ſunt. Quo ſemel enim à veritate deflexerunt, non maiore religione ad deprauandas Sacras Scripturas, quàm ad quoduis aliud mendacium perduci conſueuerunt.

Sed quid modo fingere prodeſt? *Ouid. 3. metamor.*

Sanè vt immortalis & ſempiterna eſt veritas, ſic fictio & mendacium ad breue, exiguumque tempus durat. Simulata illicò pateſcunt; & magno ſtudio compta cæſaries leni ventorum flatu turbatur; & operosè licet impreſſus fucus ſudore diluitur; & argutum quoque mendacium vero cedit, coramque preſſius intuente diaphanum eſt, opertum omne detegitur, abeunt vmbræ, natiuuſque rebus color manet. Nemo ſub aquis diu viuit, erumpat neceſsè eſt, & frontem, quam celabat aperiat, Ita profectò fallacibus iſtis circulatoribus vſu uenit iam inde à primis ſuis initijs. Non prius enim à communi hominum luce in neſcio quas ſolitudines, vmbras, & receſſus licentiæ & libidinis ratio eos impulit, quàm ex eiſdem latebris eruperunt, & deprauatio illa antiquarum Eccleſiæ conſuetudinum, & vanitas nouarum opinionum patefacta, & calũniæ, atque figmenta, quibus tegebantur, cum tanto ipſorum dedecore in lucem prolata fuerunt, vt, niſi frontem prorſus amiſiſſent, præ pudore ſaltem orthodoxam iam amplexati eſſent veritatem. Non tamen vnquam ab inceptis deſtiterunt, nec à mendacio ſibi temperarunt, ſed noua ſemper, & inaudita commẽtati ſunt, quò & Reſpublicas perturbarunt, & plebem Chriſtianam turpiter deceperunt. Sunt hæc illorum omnia commenta à pijs doctiſque viris detecta (cui ſtudio nos etiam pro ingenij noſtri tenuitate ita operam nauamus, vt & mendacia oratione patefaciamus, & vbi ſcelus lateat oſtendamus, vnde periculum immineat aperiamus) & illi de ſententia non decedunt, *Sed obtuſi ſunt ſenſus eorum*. Quòd enim orthodo- *2. Cor. c. 3.*

Franc. Petrar. lib. 1. c. de uita ſolitar.

xa veritas adeò aperta & manifesta ab illis non conspiciatur ex eo fit, quòd illorum cogitationes in noua quadam sua nescio quali sapientiæ vmbra obduruerunt, atq. hebeti quodam sensu obducuntur: idque hoc ipsum velamen est, quod adhuc ipsis obtensum manet, vt, quemadmodum de Iudæis Paulus dixit, à facie Mosis ad ipsorum corda translatum esse videatur, ne in apertam, & omnibus patentem Catholicam veritatem præ eiusdem nitore & splendore mentis aciem figere valeant. Proh pudor & dolor. Quæ est hæc cæcitas? Quæ procacitas? Quæ temeritas? An non vident detectum esse mendacium quo à se Catholicos vrgeri posse sperabant? Vident sanè; non enim eos hoc latere diu poterat: qua etiam facilitate diluendum esset ipsorum argumentum, nisi omninò extra mentem erant, longè ante præuiderunt: quia tamen sine summo dedecore vitæ ac turpitudine à certamine se remouere non posse duxerunt, nouo figmento prius illud commentum confirmare studuerunt: affirmarunt siquidem Paulum dixisse Ecclesiasticam iurisdictionem inter se & Petrum iure diuino & humano distributam esse: ita vt Petrus Iudæorum, Paulus verò Gentium populum regendum susceperit. Verùm hoc Pauli menti veluti ex diametro repugnare, non obliquè intuenti facilè apparebit.

Gal.cap.2. Quid enim ille? *Cùm vidissent*, inquit, *quòd creditum est mihi Euangelium præputij, sicut Petro circuncisionis (qui enim operatus est Petro in Apostolatum circuncisionis, operatus est & mihi inter Gentes) & cùm cognouissent gratiam, quæ data est mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis: vt nos in Gentes, ipsi autem in circuncisionem.* Optimè profectò Apostolus mentem suam aperuit: diuisas enim fuisse ait Regiones, ac inter se, & collegas suos distributas; quod & nos ingenue fatemur: id enim ad facilius annunciandam Euangelicam doctrinam ipsa recti regiminis ratio postulabat. Proterui autem ingenij est, ea, quæ de distributione Regionũ, & Prouinciarum Pau-

lius dixit, ad probandum iurisdictionis diuisionem aliquã inter Apostolos factam fuisse, adducere. Nam post primam distributionem, (in qua, vt Eusebius cognomento Pamphili tradit, Thomæ Parthia obuenit, Andreas Scythiam sortitus est, Ioannes Asiam obtinuit, atque alij in alias Regiones profecti sunt) Petrus & Paulus diuini numinis afflatu inter se ita conuenerunt, vt ille præcipuam curam susciperet Euangelium promulgandi Iudæis, qui in Ponto, Cappadocia, Galatia, Bithynia, & reliqua Asia degebant: hic verò adducendis ad Christi ouile ethnicis potissimam operam nauaret: non tamen vt vnus ab alterius prouincia arceretur: sed Petrus non solùm Iudæis, verùm etiam ethnicis, & Paulus non modò Gentibus, sed etiam Iudæis doctrinam Christi annunciarit. Sunt hæc ita nota, ita testata, ita manifesta in Sacris Literis, vt nemini de illorum veritate dubitare liceat. Nam quoad Petrum attinet, Lucas narrat eum, postquam Cornelium & eius familiam ad Christi instituta erudiuit, dixisse: *Vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus elegit per os meum Gentes audire verbum Euangelij, & credere.* Quapropter non Hierosolymis, quæ Metropolis totius Iudææ erat, sed Antiochiæ, & deinde Romæ, quarum vtraq. Ethnicorum vrbs erat, sedem Episcopatus sui collocauit. Ad quorum confirmationem accedit, quòd ex Antiochia, cùm quæstio exorta fuisset de legalium obseruatione, non ad Paulum, sed ad Petrum ventum est, vt quid tenendum, faciendumuè esset ipse statueret. Quod Antiochenses minimè fecissent, si non optimè cognouissent Petri iurisdictionem, & muneris potestatem extra Iudæorum limites extendi. Quòd verò ad Paulum spectat, testatur idem Sacer Euangelista Lucas eum Christianam disciplinam tradidisse Iudæis, qui Salaminæ, Antiochiæ, Pisidiæ, Iconiæ, Thessaloniæ, Corinthi, Ephesi, & Romæ degebant. Nec ipsius testimonium hac in re desideratur: quippe qui ad Corinthios scribit se Iudæis professum fuisse Iudæum, ex eodem gene-

Lib. 3. hist. Ecc. cap. 1.

Act. c. 10.

Act. ca. 13. 14. 17. 18. 28.

re,

re, ex eodem populo, ijsdem cæremonijs deditum, vt eos Christo compararet: & se, quasi sub lege esset, gessisse, vt qui adhuc lege tenebantur, ad Christum adduceret, Cuius verba lubet referre. *Nam cùm liber*, inquit, *essem ex omnibus, omnium me seruum feci: vt plures lucrifacerem. Et factus sum Iudæis tanquam Iudæus: vt Iudæos lucrarer. Iis qui sub lege sunt: quasi sub lege eßem (cum ipse non essem sub lege) vt eos qui sub lege erant, lucrifacerem. Iis qui sine lege erant, tanquam sine lege essem (cùm sine lege Dei non essem: sed in lege essem Christi) vt lucrifacerem eos qui sine lege erant.* Idem apud Ephesum in concione testatur se Iudæis Christi religionem annunciasse? *Vos*, inquit *scitis quomodò nihil subtraxerim vtilium, quominus annunciarem vobis, docens vos publicè, & per domos, testificans Iudæis, atque Gentibus in Deum pænitentiam, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum.* Ex quibus profectò cõstat, non iurisdictionem inter Petrum, & Paulum diuino aut humano iure aliquo distributam, sed procurationem quandam Prouinciarum, & ipsarum patrocinium distinctum fuisse. Vt licet Gentes Paulo, & Iudæi Petro fuerint commissi, nihilominus vtrique licuerit prouinciam alterius ingredi, & ibi nomen Christi diffundere. Nam cùm Paulus dicit sibi creditum fuisse Euangelium præputij, Petro circumcisionis, id, vt diximus, intelligendum est, vt commodius, & facilius Christiana disciplina traderetur. Et ob id Spiritus Sancti instinctu Apostoli inter se prouincias diuiserunt, ne si plerique in eundem locum proficiscerentur, multi superessent populi ad quos nomen Christi minimè perueniret. Cæterum diuina institutione vnusquisque eorum potestatem habebat omnibus, tum Iudæis, tum Gentibus annunciandi Euangelium. Hoc ipsum Saluatoris nostri Christi præscripto cõfirmatum fuit. Nam apud Matthæum discipulis suis præcepit, vt ad omnes Gentes proficiscerentur, easque diuinis instituerent præceptis. *Euntes*, inquit, *docete omnes Gentes*: & apud Marcum, *Prædicate* ait, *Euangelium omni creaturæ*. Insanæ verò mentis est, existimare ab Apostolis fuisse labefactatum,

1. Cor. c. 9. — *Act. c. 20.* — *Matth. & Mar. c. vlt.*

quod

quod à Deo sciuerant institutum. Sed iam quid Hieronymus hac de re senserit attentis animis auscultemus. *Occulta*, inquit, *hic oritur quæstio. Quid igitur? Petrus si inuenisset ex Gentibus aliquos, non eos adducebat ad fidem? Aut Paulus si ex circuncisione aliquos reperisset, non eos ad Christi baptismum prouocabat? Quæ ita soluitur, & dicamus, principale singulis in Iudæos, & Gentes fuisse mandatum, vt qui defendebant legem, haberent quem sequerentur; qui legi gratiam præferebant, non deesset doctor, & præuius. In commune verò hoc eos habuisse propositi, vt Christo ex cunctis Gentibus Ecclesiam congregarent.* Annè igitur adeò obtusi ingenij aliquis erit, qui aduersariorum potiùs somnijs, & dilirijs hærere, quàm iuxta Hieronymi dignam orthodoxo viro doctrinam Pauli sententiam interpretari velit? Verissimum quidem illud est, quod Paulus ait, sibi Gentium, Petro verò circuncisionis Euangelium creditum esse. Hoc enim veluti honestissimo titulo Petrum insignitum fuisse, vt præ cæteris omnibus Apostolis nobilitaretur apertè demonstrabimus. Si enim præ excellentia Christus Redēptor noster, apud quē non est distinctio Iudæi, & Græci dictus est à Paulo minister circuncisionis: *Dico*, ait, *Christum Iesum ministrum fuisse circuncisionis*: quo, amabo, magis augusto titulo cohonestari potuisset Petrus posteaquam & ipse appellatus est minister circuncisionis? Nec id quidem iniuria: ad Israelitas enim adoptio pertinebat, quod maximum fuisse amoris pignus satis liquet. Atque ob id hæc gens fuit quondam omnibus alijs anteposita, & summis beneficijs cumulata, & honoribus eximijs affecta, ipsique Deo legis fœdere ita deuincta, vt ille vniuersum hunc populum appellauerit filium suum primogenitum. Vnde Paulus de Israelitis loquens ait: *Quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamenta, & legislatio, & obsequium*. Hebræorum enim gloria in numinis præsentis ope, & auxilio consistebat, quod Gentem claram & illustrem reddebat. *Nec est*, inquit Moses, *alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Dominus Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.*

Hierony. in epis. ad Gal. cap. 2.

Rom. c. 15.

Deut. c. 4.

Quàm

Quàm autē Deus & præsens, & propitius fuerit Hebræorum genti vt magis exprimeret, sic Vatablus verbum ex verbo transtulit. *Quæ enim Gens tam magna est, quæ sic habeat Deum suum sibi amicum, & familiarem, quemadmodum Deus noster est in omnibus, pro quibus inuocamus eum?* Dixit autem Apostolus testamenta, hoc est, fœdera, non testamentū, quia Deus multis pactionibus Israelem sibi obstrinxerat. Quatuor enim pacta celebrasse legitur: primum ante legem cum Abrahamo: secundum fuit fœdus lege sancitum: tertium cum Dauide iureiurando firmatum est: postremum, cum Christus pro genere humano morti se tradidit, quod eius sanctissimo sanguine signatum multo magis Iudæos alligauit. Atque hæc quidem omnia, si illi fidem non violassent, ad eorum salutē tendebant. Legis enim latio in Christum, tāquam in certissimum finem, respiciebat: obsequiū verò, id est, sacrorum ritus, oblationes, & sacrificia sanctitatem Christi adumbrabant. Quæ si Hebrææ gentis amplitudinem augebant, quid existimandum est de iugi illa recordatione hominum penè diuinorum, ex quibus illa originem ducebat? Quid dicendum est, de eo, quòd Christus generis humani in libertatem assertor ex eodem genere descendit? Quòd si tam insigni argumentorum collectione, tot tantisq. nominibus & Hebræorum maiestas commēdatur, & ex Paulo manifestè ostenditur eos gloria cęteris nationibus antestetisse, augustus sanè, & splendidus titulus ille est, qui Petro tribuitur, quoties minister circūcisionis appellatur. At Christus Dominus sic minister circūcisionis dicitur, vt tamen Pastor sit omnium, & Saluator. Quid igitur obstat, quominus dicamus Petrum ministrū circumcisionis appellari, non tamen propterea aut vniuersalis Pastoris nomine, & officio caruisse, aut vniuersi gregis curam, & administrationem à Christo sibi traditā abiecisse? Pastor quidem fuit omnium constitutus, & tā in Iudæos, quàm in Gentes summā à Christo huius ciuitatis sanctæ, & inclytæ Reip. exædificatore potestatē accepit.

Vatabl.

Nec

Nec est, cur nobis obiiciant ardeliones isti Petrum dubitasse, vtrum sibi liceret Euangelium Christi Gentibus annunciare; cùm sibi imperatum fuit, vt ex immundis animantibus, quas in spiritu vidit, comederet. Nec etiam, cur dicant ipsum ab aliis discipulis fuisse reprehensum, quòd adierat viros præputium habentes, & cum illis cibum sumpserat. Nam quod ad primum attinet, turpiter decipiuntur, qui existimant tunc primùm Petrum sciuisse Euangelium in Gentes diffundendũ: cùm Christus anteà præcepisset Apostolis (quibus aperuit sensum vt intelligerent scripturas) vt Euangelij veritatẽ Gentibus annunciarent: quod Matthæus, & Marcus apertissimis verbis tradiderunt. Extatque illud etiã apud Lucam: *Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis, & prædicare in nomine eius pænitentiam, & remissionem peccatorum in omnes Gentes, incipientibus ab Hierosolyma*. Quoniam tamen Dominus dixerat discipulis suis: *Eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ:* qua oratione eis præscripserat, non solùm quid acturi, verùm etiã quem ordinem in Euangelij promulgatione obseruaturi essent; non abs re Petrus dubitauit, an liceret sibi, antequã per totam Iudæam, & Samariam Euangelium diffusum esset, illud Gentibus annunciare. Cui ita hæsitanti Spiritus Sanctus quod de ea re diuinum esset consilium mirabili quodam Symbolo ostendit. Vidit enim Petrus in illo mentis excessu, de quo Lucas aptissimam instituit narrationem, *cælum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initijs submitti de cælo in terram: in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cæli. Et facta est vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca*. Ambrosius namque, Augustinus, ac cæteri prisci Patres, per linteum hoc, quia tinea non corrumpitur, & nitidum est, Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, vt inquit Apostolus, significari tradunt. *Sed tamen*, inquit Augustinus, *vt intelligatis hoc in figura esse monstratum: erant in illo vase serpentia. Quid sibi*

CA. XXIV.
Act. cap. 10. & 11.
Luc. c. 24.
Act. c. 10.
Eph. cap. 5.
De diuer. ser. 26.

vult ista significatio? Vas illud Ecclesiam significat: quatuor lineæ, quibus dependebat, quatuor partes orbis terrarum, per quas tenditur Ecclesia Catholica, quæ vbique diffusa est. Quicunque ergò voluerit in partem ire, & ab vniuerso conscindi: non pertinet ad quatuor linearum sacramentū. Si autem ad visionem Petri non pertinet, nec ad claues, quæ datæ sunt Petro. Et nōnullis alijs interiectis sic inquit, *Quare ter de cælo submißum est? Quia ipsæ omnes Gentes, quæ pertinent ad quatuor partes orbis terræ, quà deseminatur Ecclesia, quam significabant quatuor lineæ, quibus vas illud connectebatur, in nomine Trinitatis baptizantur: in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti credentes innouantur, vt pertineant ad societatem communionemque sanctorum.* Non recedunt ab Augustini, & Ambrosij sententia Cyrillus Alexandrinus, Gregorius, & alij multi Patres, quorum nomina sunt immortalitati consecrata. Per immundas ergo, & feras bestias intelliguntur ethnici omnes, qui veri Dei ignari, & pessimis moribus assuefacti ferarum more viuebant: quod multo ante Deus significauit, cùm populo suo esum immundarum animantium interdixit. Illos tanquam feras animantes Petrus, qui nō solùm piscator, verùm etiam animarum venator fuit, sic præhendere & occidere iussus est, vt melioris vitæ vsura fruiti sint. Quod certè Hieremiæ vaticinatione optimè declaratur. *Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos; & post hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum.* Vnde rectè de Petri studio in adducendis ethnicis ad Christi religionem Arator Diaconus cecinit.

Cyril. in Leui. lib. 7.
Greg. mora. lib. 33. c. 16.
Leuit. c. 20.
Hiere. c. 16.

Non deerit tua fama locis. Petrus omnia prændens
Bethsaida satus vrbe fuit: quæ nomine Hebræo
Venatorum dicta est domus: quàm verus ab illa
Ecclesiæ venator adest? qui cuncta peragrans
Cinxit, & ad fidei collegit retia Gentes.

Non dubitat igitur Petrus, qui in eam curam semper incubuit, vt Gentes à Christo longè remotas ad veram religionem adduceret, an hoc sibi liceret: sed an sibi eundum

esset

esset ad Gentes, antequàm Iudæa & Samaria præceptis Euãgelicis fuissent imbutę,& an tempus appropinquasset, quò extra hos limites Christi doctrina asportanda foret. Qua de re ab Spiritu sancto optimè admonitus fuit. Vnde Cyrillus. *statim*, inquit, *intellexit Petrus quòd instaret tempus trãsformandi in veritatem vmbras*. Chrysostomus verò ait: *Aliorũ gratia hoc discebat, & vt satisfactionem ad accusantes præpararet*. Alibi etiam, *Nunquid*, ait, *Petrus timuerat comedere? Absit; sed dicit diuina dispensatione totum hoc factum esse, propter eos, qui ipsum erant repræhensuri*. Quare à Cornelio accersitus Cæsaream petijt, & certior factus de diuinis responsis, quæ illi data fuerant de salute sua, eum & reliquos, qui aderant, Christiana imbuit disciplina. *Adhuc autem eo loquente cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia et in nationes gratia Spiritus Sancti effusa est*. Admirati sunt quidem religiosi viri diuinam benignitatẽ, quòd ethnicis, sicut Hebræis, viã salutis aperuisset, & cælestibus eos beneficijs cumulatissimè affecisset: sed non in Petrum insurrexerunt: nec ei cibum cum ethnicis sumptum obiecerunt. Qui ergo sunt illi, qui hac de re cum Petro Hierosolymam reuerso disceptarũt? Certè Epiphanius narrat Cerinthum primum omnium, post Simonem Hæresiarchã, horum instigatorẽ extitisse. Sic enim ille ait: *Et hic vnus est de his, qui restiterunt sancto Petro, quando venit ad sanctum Cornelium, vbi accersiuit ipsum dignus factus visione Angeli, & Petrus dubitauit, & vidit visionem lintei, & quæ in ipso erant: & audiuit à Domino, vt nihil inquinatum, aut immundum diceret*. Dubitauit, inquam, Petrus an tempus illud adesset, quo Gentibus tradenda erant Euangelicæ disciplinæ præcepta. Prosequitur Epiphanius: *Hic igitur, vbi Petrus reuersus esset in Hierusalem, multitudinem circumcisorum commouit, dixitq. quòd ingressus esset ad viros præputium habentes. Fecit autem hoc Cerinthus, priusquàm in Asia prædicaret prædicationem suam, & in profundius perditionis suæ barathrum incideret*. Post omnium verò, quæ contigerunt, exactam narrationem, inquit: *Verùm hæc tunc quidem tractata sunt*

Li.9.in Iulian.
Hom.42. in Matth.
Chrys. in ca. 10. act.
Act. cap. 10.
Epiph. li. 1. to. 2. hær. 28

& commota à prædicto pseudo Apostolo Cerintho. Quemadmodum etiā aliàs seditionem tum ipse, tum socij ipsius excitauerunt in ipsis Hierosolymis, quando Paulus redijt cum Tito, & hic dixit, quòd viros præputiatos secum adduxisset. Ex quibus manifestè apparet quale hominum istorum ingenium sit, qui ea, quæ Cerinthus in Petrū euomuit, Apostolis tribuere non verentur, vt illius iurisdictionem coarctent. Quæ tamen ita semper longè, ac latè patebit, vt nullo modo restringi possit: licet aduersarij omnes inferorum copias in auxilium sibi adsciscant, & eas in Petri principatum arment.

Hæc ergo cùm sanctorum Patrum sententia comprobata, & totius Ecclesiæ consensu confirmata, atque diuinis oraculis testata esse videant aduersarij, eò tandem confugiunt, vt dicant Petrum, tanquam natu maximum (quod omninò falsum iam superius ostendimus) insignioribus donis, quám alios, cohonestatum fuisse. Demus iam hoc ita esse. Sic tamen aduersus illos liceat colligere. Si Petrus ob ætatem potioribus donis, quàm alij, affectus est, & ob id præcipuus extitit inter Apostolos: fuit igitur primatus quidam inter eos. Cùmq. omnia propter nos, qui partes Ecclesiæ sumus, tunc ordinata, & instituta sint, vnde Paulus ait, *Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura, omnia vestra sunt: vos autem Christi, Christus autem Dei: omnia enim propter vos,* & hunc Petri principatum propter nos institutum fuisse fateri oportet. Sed vbi nam primatum aliquem, qui Petri referat principatū, præterquam in Romana Ecclesia, nobis possunt ostendere? Vbi dona illa insignia, quæ Christus in Petrum cōtulit, alibi quàm in hac vera Christi Repub. cernuntur? Nunquid apud Caluinistas in Anglia, in Gallia, an potius Geneuæ talis principatus reperitur? Num in Germania apud Lutheranos? Tantum profectò abest, vt apud illos sit, vt ne eum quidem ferre possint: quin potius ipsum euertere moliantur. Sed frustra in eum armantur: ab illo enim institutus est, qui eum & illęsum conseruat, &

1. Cor. c. 3.

vsque

vſque ad mūdi interitum fouet, atque ab inferorum etiam poteſtatibus ſaluum & incolumem tuetur: quemq. nè in Petro deſineret, ab illo in poſteros ſuos, Pontifices Romanos transfundi voluit, vt ſic Reipub. ſuæ optimè conſuleret. Quod & nobis neceſſariò demonſtrandum eſt, vt eiuſdem Reipub. hoſtium furentium impetus, crudeliſſimoſq. conatus cohibere poſſimus. Ita enim in Romanos Pontifices debachantur, vt, non tanquam homines loqui, ſed quaſi canes aſpectu rabido circumſpectantes huc & illuc, latrare videantur. Sed ſi placet, quoniam ſatis huius voluminis magnitudo creuit, ſermonem aliò transferamus.

LIBRI SECVNDI FINIS.

ARGVMENTVM
LIBRI TERTII.

QVANDO cacodæmonem verſutum ac inſenſum humani generis hoſtem video ita omnes ſuos miniſtros in Chriſtum ſaluatorem noſtrũ, & Eccleſiam eius ſponſam armaſſe; vt, cùm in omnibus alijs ferè dogmatibus non minus inter ſe, quàm à nobis diſſentiãt, vna tamen mente, vna & voce ſeſe inuicem cohortantes durißimum bellum ſuſceperint cõtra Romani Pontificis ſedem: quò liquidò appareat nihil illum exercitibus ſuis, quos ex perfidis & ſceleratis hominibus ſibi comparauit, ſæpè etiam mutauit, auxit, renouauit, proficere potuiſſe aduerſus lapidem iſtum in fundamentis Sionis poſitum, lapidem probatũ, angularem, pretioſum, in fundamento fundatum: poſtquam huic Sioni, huic Ciuitati Sanctæ, & inclytæ Reipublicæ in ſupremum Principem præfectum fuiſſe à Chriſto Petrum Spiritus Sancti præſi-

Eſa.c.28.

dijs

dijs & authoritate diuina munitum, superiori libro ostendimus: operæ pretium est in hoc tertio luculenter explicare, vt eius legitimi successores, & Christi Domini Vicarij existant vsquè ad mundi conflagrationem Romani Pontifices: sitque in eos summa illa Pontificia authoritas, qua Petrus præditus fuit, cœlitùs translata. Quod igitur maioribus quasi theatris intuendum proponitur, illud est: Romanam Ecclesiam præ cæteris, quotquot extant in vniuerso terrarum orbe, Petri & Pauli præsentia, & insigni triumpho cohonestatam Romanis Pontificibus, post illorum necem, regendam fuisse traditam: eandem verò illam Christianæ fidei normam & viam sibi ab authoribus suis ab initio demonstratam sartam tectã semper conseruasse. Adeò certè, vt celeberrimæ Christiani orbis synodi fateri minimè dubitauerint, se à Romana Sede rectissimè edoctas & institutas fuisse: nec aliter quàm secundùm eius institutiones in Concilijs decreta edi oportere. Vniuersos etiam aliarum Ecclesiarum Præsules eam omnium matrem agnouisse: & ad Romanum Pontificem, tanquã ad Principem Maximum, & vniuersalẽ Pastorem appellare, & confugere solitos fuisse: vt vndè dignitatem ad se emanasse intelligebant,

inde

inde vel absolutionem, vel condemnationem etiam acciperent: solumque Romanum Antistitem extitisse, qui in omnes cùm Orientis, tum Occidentis Ecclesias & Episcopos authoritatē exercuit: quemque de rebus grauioribus, iam inde à primis Ecclesiæ initijs consulere Ecclesiastici Præsules consueuerunt, veterum monumentis testatum relinquitur. Hoc verò haud iniuria fuisse in more positum, quàm multis quidem rationibus comprobatur, ex eo tamen potissimùm ostenditur, quoniam cùm cæteræ omnes primariæ sedes aliquandò tandem à recta fidei regula defecerint; & solam Romanam hæretica prauitas nunquā occupauerit; hoc in priuilegiū instar eximij cuiusdam beneficij Christum in eam contulisse, efficaciter colligitur, vt in causis, quæ ad fidem & religionem, ac vniuersam disciplinam Euangelicam spectant, definiēdis, à vero nunquam possit aberrare: ita vt aliquid vel credendum proponat, quod Christianæ fidei repugnet; aut aliquid faciendum statuat, quod naturali, aut diuinæ legi ullo modo aduersari videatur. Vndè quanta fuerit iam olim Lutheri, sitque, his nostris temporibus, sectatorum eius impietas & temeritas, qui Romanis Pontificibus authoritatem esse negant referen-

di

di in ſanctorum numerum eos, quorum candidos mores, & vitæ ſanctimoniam probauerint, haud obſcurè edocetur. Tandem non circa ſpiritualia ſolùm negotia, ſed etiam circa ciuiles cauſas Pontificiam authoritatem ex intima ſui ratione verſari: extendi quoque ad ciuiles Magiſtratus, Principes, Reges, & Imperatores, vſque adeò, vt, non ſolùm ob contemptam ab illis Religionem, vel grauiſſima quæ patrauerint crimina, ex quibus vel morũ corruptio, vel Eccleſiaſticæ Diſciplinæ abrogatio Reipublicæ timeri poſſit: ſed ob Politicam etiam Iuſtitiam, illorum vel peruerſitate & malitia, vel ignauia & negligentia conculcatam, eos de throno Regio deturbare, ſubditos à fidelitatis iuramento abſoluere, & alios Catholicos Principes in eos armare authoritate muneris ſibi crediti iuſtiſſimè valeat. In hoc autem argumento pertractando tam auidè, pro ingenij noſtri tenuitate, ſacra oracula, atque veterum placita inueſtigauimus: tam acuratè, diligenter, & ſtudioſè veritatẽ indagare curauimus, tàm candidè aduerſariorum ſententias commemorauimus, & expendimus, vt nihil, quod, aſſentatione vitiorum adiutrice procul amota, Eccleſiaſticam poteſtatem amplificare poſſe,

vel Principes Christianos scire oportere existimaremus, quò partes suas religiosè, vt par est, sustineant, & gladio quem non frustra portant, fideliter vtantur, prætermissum esse videatur. Hæc verò omnia cùm & efficacißimis rationibus ex ipsius pastoralis officij ratione & natura, & ex Ecclesiæ conditione manifestè deductis, priscorum Patrum sententijs, Regum & Imperatorum apertißimis testimonijs necnō Diuinis Oraculis comprobentur, haud poßunt non afferre aliquã lectori iucunditatem, quandò inde optimè colligitur frustrà in Sedem Romanam aduersarios iacula & hastas torquere, inanesque esse omnes illorum conatus. Si enim non potest ab ædificio separari fundamentum, à grege Pastor, ab exercitu Dux, ab astris Sol, à corpore caput: fieri profectò nequibit, vt Ecclesiæ ædificatio ruat, grex dißipetur, exercitus fundatur, sydera obscurentur, corpus iaceat: sed permanebit inuicta Christi Ecclesia, quousque parti alteri, quæ in cælis triumphum agit feliciter adiungatur.

F. GRE-

F. GREGORII NVNNII CORONEL

ORDINIS EREMITARVM S. AVGVSTINI.

De optimo Reipublicæ ſtatu.

LIBER TERTIVS.

CAP. I.

ITAQVE nè longe diuagemur, lubet ex multis, quæ ad rem, de qua diſſerere propoſuimus, aptiſſimè dixit Philon Iudæus in eo, quem de mundi fabricatione ſcripſit, libro, breuem quandam, & quæ in omnium ore verſatur, ſententiam recitare. *Ratio, inquit ille, vult vt parens ac procreator curam illius ſuſcipiat, quod procreatum eſt. Vt enim Pater ad liberorum, & poſteritatis, ſic opifex ad rerum fabricatarum diuturnitatem cogitationes ſuas dirigit; & quæ illis damni quicquam incom-* Philon.

modiuè allatura videantur omnibus viribus opibusque propulsare: quæ autem vtilitatis & commodi, omni ratione suppeditare contendit. Hoc autem & omnium mortalium consensu, & ipsius naturæ dictamine adeò testatum est, vt nulla egeat confirmatione, è cuius veritate id manifestè educitur, quod demonstrandum suscipimus, ita vt insignis cuiusdam dementiæ esse appareat inficiari Ecclesiæ monarchiā, quam à Christo Saluatore nostro Petrus accepit, in summis Pontificibus Romanis illius successoribus saluam consistere. Cùm enim Christus vsque adeò se ciuitatis huius sanctæ parentem & authorem dederit, vt illam, velut nouus Adamus, de latere suo, dum in cruce dormiebat, procreauerit; fieri non potest, quin eius maximam curam susceperit, & de ipsius salute, conseruatione, ac perpetuitate fuerit solicitus. Si verò non esset vnus cui cæteri huius Reipub. ciues parerent, in quo nam salus & vita optimi cuiusque, & libertas, ac dignitas eiusdem Reipub. consisteret? Sanè tàm Reipub. pax, quàm ciuiū salus desperanda foret, aut vtrique ab humana condicione, quæ multis aduersis casibus, calamitatibusque subiacet, eximendi, aut noua miracula continuò edenda essent, quibus externa pax in Christiana Rep. seruaretur. Sed hoc ita est alienum ab ea regiminis ratione, quæ Dei immensam sapientiam decet, vt necessariò fatendum sit eius prouidentiam erga Remp. suā non in miraculorum editione, sed in ordinaria pacis, & vnitatis procuratione sitam esse. Quòd si prouidentia sua, qua rebus quæ minoris sunt æstimationis sapientissimè consulit, se rationibus nostris multò magis, quàm illis omnibus, consultum, & prospectum iri Christus Dominus pollicitus est; significauit vtique, quemadmodū aliarum omnium rerum, sic etiam nostri tutelam, & curam certam suscepisse. Cùm autem ea, quæ in multitudinem maximam diffunduntur, illa potissimum ratione tueatur, vt per vnum ex eo numero caput, & principium reliquis partibus vires suppeditet: haud obscurè profectò concludimus,

dimus; eandem quoque rationem in Ecclesiæ administratione obseruari, vt per vnum etiam caput nobis robur ministret, & alios alijs coniungat. Plinius enim non ex alio credit vniuersam hanc mundi structuram consistere, si naturæ vim, & rerum ordinem spectemus, quàm ex eo, quod licet elementa, ex quibus illa componitur, diuersa, planèque contraria sint, ita tamen inter se connectantur, vt ex mutuo consensu diuersitatis nexus quidam oriatur. Cùm enim eorum altissimus sit ignis, proximus huic est spiritus (quem & Græci, & nostri aera appellant, vitalis vtique, & in omnem locum diffusus, & toto consertus, cuius vis suspensa cum quarto aquarum elemento libratur, terra interiecta. Et leuia quidem ponderibus retinentur, nè rapiantur: grauia verò, nè pessundentur, suspenduntur leuibus in sublime tendentibus. Hinc æquali in diuersa nisu vi sua quæque consistunt constricta mundi ipsius exercito motu: quo semper in se currente ima, atque media terra in toto stat, pendens quidem, & librans, per quæ pendeat; ita vt ipsa sola immobilis maneat, volubili rerum vniuersitate circundata, & cùm ipsa ex omnibus nectatur, eidem omnia innitantur; adeò vt, quemadmodū dum omnia naturali hac colligatione consertè contextèq. fiunt, optimè conseruātur, si verò nexus hic soluatur cūcta in interitū ruitura videas: sic etiā quandiu Christi corporis mystici partes inter sese connectuntur, tota hæc Respub. salua consistit; si autem à se inuicem separentur, proculdubiò de illa actum erit. Nexus verò, & glutinum quo Reip. Christianæ ciues inter se coniunguntur est Romanus Pontifex Petri successor. Nam si aduersarij vltrò concedunt in vnaquaque Ecclesia constituendum esse aliquē, qui cæteris præsit, & sit nexus quidam, quo populus vinciatur, vt ita Ecclesia salua persistat, & nè vaga, & mutabili ratione labatur: quid dicendum censes de vniuersali Ecclesia, cùm multo minus conseruari possit absque regimine vnius Principis, qui concilier inter se Episcopos ipsos

Plin. lib. 2. hist. nat. c. 5.

sos

ſos, & Eccleſiarum Præfectos, & totum denique Chriſtianum cætum coniungat illa mirabili ſocietate, quæ ex multis diuerſiſque partibus ita corpus vnum componit, & ordinat, vt caput vitalem quandam & ſalutarem vim, ac ſpiritum omnibus impertiat, & ſeparatim ab vniuerſis ſingulis conſulat, & cunctorum rationibus ſimul prouideat: illi verò, qui partium ac membrorum vicem & rationem ſubeunt, cuiuſcunque tandem dignitatis exiſtant, cum capite copulentur, & omnes ad authoritatem, maieſtatemque illius defendendam conſpirent? Solent enim qui caput ipſum reliquerunt reliquis membris non parcere: vnde & populos, & vniuerſas etiam Reſpublicas, atque Regna ampliſſima diſſidijs flagrare neceſſè eſt. An nè igitur aliquis erit, qui hæc audiens, & attentè perpendēs, non fateatur neceſſariò debere eſſe aliquem in Eccleſia vniuerſali, qui cunctos Chriſtianos in vnum corpus coniungat, nè, ſi diſiuncti exiſtant, illa omninò labet[illegible]? Sanè nullus. Hæc ergo ratio mihi videtur vel maximè confirmare inſignem illam Petri præfecturam adhuc in Eccleſia vigere, & vſque ad mundi interitum duraturam, cùm ad eius conſeruationem adeò ſit neceſſaria, vt ſine illa conſiſtere non poſſit. Nam *vbi non ſunt gubernacula*, ait Salomon, *populus corruet*: quod Dominus per Ezechielem comprobauit dicens: *Diſperſæ ſunt oues meæ, eo quòd non eſſet paſtor.* Atque ob id Apoſtoli, quamuis ſingulis Eccleſijs ſuos præfecerant Præsbiteros, ſtatis tamen temporibus eò reuertebantur, vt tanquam illorũ moderatores, viderent quomodo res ſe haberent, & an illi ſuſceptum miniſterium pro fide ſua & diligentia ex norma ſibi data gererent, ac rectè officio ſuo fungerentur. Sed ita ſe ſe gerebant omnes, vt Petro totius collegij Principi, cui Chriſtus ouile ſuum cuſtodiendum tradidit, primas ſemper detulerint, vt & eo glutino omnes inter ſe ſe connecterentur, &, eo capite, totum corpus coaleſceret. Quocircà Paulus, quem Chriſtus ipſe Euangelica doctrina inſtruxit, ab Spiritu San-

Pro.c. 11.

Ezech.c.34

Act.c. 14.

Sancto iussus Petrum adiuit, & cum eo cõtulit Euangeliũ, quod ethnicis tradiderat, ne fortè, vt ille ait, in vacuũ curreret, aut cucurrisset. Omnia enim membra corporis in id maximè oportet incumbere, vt seruẽt vnitatem spiritus in vinculo pacis, nè vllo modo dissoluantur. Quæ quidem vnitas comparari minimè poterit, nisi vnus agnoscatur dominus, cui à cæteris obtemperetur. Quemadmodum enim pugnantia & contraria ex natura sua elementa in vnum non coalescerent, nisi præstantior aliquis esset, qui tanquam dominus ea coniungeret, & cui illa obtemperarent: (non enim singula ad suam naturam respectantia cum alijs depugnant, sed eum, qui ea ita coagmentauit, dominum agnoscentia concordiam inter se fouent, &, naturaliter quidem inter se se contraria, gubernatoris volũtate, in amicitiam conciliantur.) Sic etiam ciues moribus inter se dissimiles nullo modo coniungerentur, nisi Princeps adesset, cui illi obtemperantes in mutuam amicitiã venirent. Quo fit vt, cùm ciuitatem aliquam, & Rempublicam ex multis varijsque hominibus constantem concordia frui, bono ordine, recta disciplina, & pietate coli, eosque qui ibi degunt, tametsi diuersos inter se, animo tamen consentire, nec in se inuicem insurgere, sed omnes æqualitate iuris pacem tueri conspicimus, statim colligamus Principem ibi esse, qui huius animorum consensus, & tranquillitatis author existat: quanuis ille in conspectum se nobis non dederit. Ordo enim Principis curam moderationemque demonstrat: immodestia verò, & licentia ciuium Rempub. sine capite esse manifestè ostendit. Quòd si vnus Princeps aut in ciuitate, aut in Regno necessariò requiritur ad subditorum conciliationem; quis negabit vnum etiam Principem ad pacem, & concordiam fouendam in ea Rep. necessarium esse, quam à Christo institutam, & ita mirabili ordine dispositã fuisse agnoscimus, vt ob id à Paulo corpori humano, à Salomone aciei castrorũ ordinatæ, à Ioanne ciuitati aptissimè cõparetur?

Ad Gal. c. 2
Eph. cap. 4.
1. Cor. c. 6.
Cant. c. 6.
Apoc. c. 21.

Cum

Cum igitur diuinis oraculis testatũ sit in hac Christi Repub. eiusmodi ordinẽ esse, qualẽ in humano corpore, vbi caput vnũ cæteris membris dominatur; qualẽ in exercitu, vbi vnus est Imperator, qui militibus imperat; qualem denique in ciuitate esse videmus, vbi vnus est rector, qui ciues moderatur: quid pensi existimabimus reliquum fuisse ijs, qui, cùm hæc omnia in diuinis scripturis contineri optimè nouerint, sunt nihilominus ita malè meriti de Sũmo Pontifice, vt nolint illum præ cæteris Rempub. Christi administrare, sed multos & penè infinitos Episcopos æquali potestate præditos cõstitui, qui eam gubernẽt, cùm tamen nisi vnus esset cui omnes obtemperarent, & mutuò sibi aduersarentur, & omnia conturbarent, & Rempub. ipsam dissentionibus replerent, atque in vltimum impellerẽt exitium? Athanasius quidem ex vniuersitatis huius ordine, & harmonia colligit vnum mundi principem Deum, non autem plures intelligi debere; quia si plures essent, non hic ordo inueniretur, sed omnia inordinata, & confusa cernere liceret. Rem verò vlteriùs prosequens ait: *Vt autem diximus multitudinem Numinum nullitatem esse Numinum, ita quoq. necesse est, multitudinem Principum id efficere, vt nullus esse Princeps videatur: vbi autem Princeps non est, ibi prorsus disturbatio nascitur.* Quo fit, vt quemadmodum aliquis è longinquo citharam audiens multis & diuersis neruis compositam, cuius admiretur harmoniam, quòd non solùm grauis, neque acutus, neque medius sonum suum absoluãt, sed omnes pariter inter se consonent, planè intelligit non à se ipsa citharã moueri, aut illius neruos à multis percuti, sed vnum esse musicum, qui vniuscuiusque nerui vocem ex arte ad concentũ harmoniæ misceat, etiam si illam non contueatur: ita quispiam mente concipiens in Christi Repub. mirificum rerũ Ecclesiasticarum concentum, & egregiam dispositionem; vt neque superiores contra inferiores; neque inferiores cõtra superiores insurgere debeant, sed omnes in commune vnum ordinem conficere oporteat; apertè cognoscit, non

Atha. in orat. cont. idol,

plures

plures æquali poteſtate præditos Principes, & Præfectos, ſed vnum exiſtere huius rei authorem, cui cuncti obtemperent. Contra verò qui hæreticorum cauſas vel proprijs oculis conſpiciet, vel mente ſaltem contemplabitur, vt illic omnia ſunt confuſione plena, vt nunquam ſibi conſtant, vt in cauſa ſua agenda, & in probandis diſciplinæ ſuæ præceptis, & in ſuis dogmatibus confirmandis non vnà conſentiunt, vt in plures ac penè infinitas ſectas ſunt diuiſi, vt ſe iniurijs, & opprobrijs inſectantur, & ſe ipſos conficiunt, certè, niſi ſenſum amiſerit, non ex alio hanc miſeram ſtatus perturbationem exortam fuiſſe fatebitur, quàm ex eo, quòd vni paſtori non obtemperauerint.

Non aliter igitur ac vnus eſt Sol, qui præeſt diei, quem Baſilius quaſi quendam mundi oculum eſſe dixit, qui hãc mundi machinam illuſtrat, Chriſtus Saluator noſter, qui natura ſua Sol eſt Iuſtitiæ, & lux mundi, loco ſui paſtorem quendam conſtituit, qui inſtar alterius Solis omnibus prælucet. Cùm enim Plinius dixerit Solem ampliſſima magnitudine ac poteſtate ferri: nec temporum modò terrarumque, ſed ſyderum etiam ipſorum, cælique rectorem; eum mundi totius animum, ac planiùs mentem; eum præcipuum naturæ regimen; eum lucem rebus miniſtrare; & auferre tenebras, & reliqua ſydera occultare; eum vires temporum, annumque ſemper renaſcentem ex vſu naturæ temperare; eum cæli triſtitiam diſcutere, atque etiam nubila humani animi ſerenare; eum, non pulcherrimum ſolùm, ſed reliquis rebus omnibus pulchritudinis, decoris, ornamenti fontem, & originem, ita cæteris ſyderibus lumen ſuum exhibere, vt non tantùm illa lucẽ præſtitam retineant, ſed potiùs vt cum fœnore ſoluant inferioribus creaturis, infundendo terræ, plantis, metallis, generationi etiam animalium id, quod maximè Soli ex nobiliori quadã virtute incumbit: haud immeritò nos quoque dicimus ſimili modo voluiſſe Chriſtum Dominum, vt in terris nobis vnus præeſſet Romanus Pontifex, quem

Baſi. in exa. ora.6.

Plin. lib. 2. hiſt. c.6.

ad Solis ſimilitudinem facilè perſpicimus inter mortales vnum verſari, & naturam naturæ eius quàm ſimillimam referre. Quippe qui ampliſſima magnitudine, & potentia præditus Eccleſiam regit, ac veluti totius Chriſtiani cætus animus exiſtit. Diſcutit tenebras ex mentibus ſubditorum, & lucem illis affert, vt, quæ ſibi iter ad cælum aperiant, optimè inſpiciant. Triſtitiam ex animis depellit conſolationem adhibendo, nubila ignorãtiæ remouet, diuinam doctrinam tradendo. Denique, vt vno verbo abſoluamus, ſicut Sol cuncta, quæ intuentium oculis afferre iucunditatem ſolent, venuſtate ſua, ac vi, ad eam venuſtatem euehit, & exornat, inque medio quodammodo cæli reſidens, eiuſdem lumina, & clariſſimos ſtellarum ignes lumine de ſuo fouet, & accendit: ita Romanus Pontifex ad decoræ Chriſti ſponſæ ſanctiſſimæ Eccleſiæ adminiſtrationem aſſumptus, & pietate, & doctrina non illuſtrat ſolùm, & illuminat vniuerſas eius partes, ſed ſplendore ſuo cæteros ex ſacroſancto hoc, & hierarchico choro præclaros & illuſtres Dei miniſtros, & Eccleſiarum Antiſtites mirifico quodam modo afficit, atque replet, & penè diuinæ pulchritudinis pulchritudine condecorat.

Non autem ij nos ſumus, quos vel lateat, vel in eum errorem ſpiritus mendax impulerit, vt negemus à Paulo dici *fideles in medio nationis prauæ & peruerſæ lucere ſicut luminaria in mundo*. Omnes enim quotquot fidem Chriſto dederunt, ſi vel ad hæreticos, vel ad ethnicos referantur, luminaria quædam ſunt in hac rerum vniuerſitate, tanquam ſydera fulgentia: ſi verò eos inter ſe compares, Paſtores quidem, & Doctores lucernæ ſunt in candelabro poſitæ, vt luceant omnibus, qui in domo ſunt. Nam & apud Danielem ſcriptum extat: *Qui enim docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*. Vnde aptiſſimè Paulus ad Corinthios ſcribens ait aliam eſſe claritatem Solis, aliam Lunæ, & aliam ſtellarum, & ſtellam à ſtella differre in claritate.

Phil. cap. 1. — *Matth. c. 5.* — *Dani. c. 12.* — *1. Cor. c. 15.*

De

De quibus cùm nec dubitare vllo modo fas ſit, optimè mihi videor colligere, vt inter omnia mundi lumina vnũ eſt cæteris maius, quod veluti fons luminis totius conſtituitur; ſic inter omnes Doctores, & Paſtores opus eſſe, vt vnus ſit ſummus Paſtor, & omnium maximus Doctor & Præſul qui ab omnibus alijs claritate diſtet, & tanquam luminare maius Eccleſiæ omnibus præluceat, & ipſos etiã Paſtores, & Doctores, ex humana fragilitate interdum cæcutientes, ad ſcopum veritatis dirigat: nam & Chriſtus hoc ipſum Petro præcepit dicens: *Et tu aliquandò conuerſus confirma fratres ſuos.* Luc.c.22. Confirmat ſanè Summus Pontifex Epiſcopos, qui ſunt ſibi fratres, in veritate doctrinæ; & ad hoc illum Chriſtus conſtituit, vt per eum nos ſalutaribus inſtruat præceptis. Cùm enim verus ille Sol iuſtitiæ, corpore quidem abſens, ſpiritu verò præſens nobiſcum futurus ſit ex vi promiſſionis vſque ad finem ſæculi, decuit ſanè, vt nobis, qui non minus corpore, quàm ſpiritu conſtamus, ſpiritum ſuum per conſpicuum quendam hominem reuelaret: quò Chriſtum lucem in primis, Præſulem priorem, & primum Doctorem haberemus; & tamen nos, qui cæleſtem theſaurum in vaſis fictilibus circunferimus, ita ab ſpiritu Chriſti doceremur, vt tamen, non immediatè & directè, ſed ab illo per os alterius prolato ab ignorantia purgati, ſalutari inſtrueremur diſciplina. Qui cùm ſit vnus, & vnus Sol, ac vnus orbis, quem admirabilis illa fax irradiat, ita vnum eſſe voluit, per quem oraculum ſuũ ad nos tranſmitteret. Non tamen cæteros Doctores, & Antiſtites excludimus: ſed eos huic vni omniũ maximo, veluti minores ſtellas ingenti illi mũdi oculo, ſubijcimus, & tanquam membra capiti ſupponimus. Sunt enim ipſi membra, ille verò caput, quod in Eccleſia maximè neceſſarium eſſe (ſiue huius dignitatem, & decorem conſideres; ſiuè eam à Salomone aciei optimè inſtructæ comparatam inſpectes; ſiue à Paulo dictam corpus ex capite, & membris compactum animaduertas, ſiue denique erga

illam summum filij Dei amorem,& prouidentiam attentè contempleris) ratio euidens demonstrat, vt is ordo, qui in omnibus alijs rebus reperitur, quique tantam potissimùm decet Rempub. in ea obseruetur, & per illum membra omnia vegetentur, atque moueantur. Nam quemadmodum vnaquæque res agi, & affici solet à primo actore, non quidem directè, sed per aliquid aliud, vt cælestes orbes à prima causa per primum mobile mouentur; & ab eadem non solùm lucida omnia medio Sole illuminantur, & calida ministerio ignis calefiunt; sed etiam sensus, & potentiæ omnes per animam (quę ab Augustino ea re etiam caput hominis dicitur) actiones omnes mutuantur: sic proculdubiò omnes Ecclesię alumni à Christo, vnius summi Pontificis ministerio, aguntur. Vt enim Deus est principium omnium rerum, quod tamē directas, & proximas causas non excludit, sed potiùs includit: (cùm & omnia suauiter disponat, & efficientiæ vim atque dignitatē creaturis communicet ad rerum propagationem) sic & Christus est primarium & vitale caput Ecclesiæ, secundarium tamen, & ministeriale minimè excludens. Hoc enim quod soli Deo, si ad primum illum influxum, & vim diuinam respicias, proprium esset, Christo homini ob meritum passionis suæ datum est. *Omnia*, inquit Paulus, *subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur*. Est enim is, à quo omnis virtus in membra vniuersa, & singula diffunditur. Huc etiam illud eiusdem Apostoli spectat: *Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum & connexum per omnē iuncturam subministrationis, secundùm operationem in mensuram vniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate*. Hoc est, ex cuius capitis virtute & efficientia totū corpus alitur, & coagmentatur, singulaq. mēbra crescunt, ducta virtute & agēte per artus omnes per quos virtus illa Christi subministratur, ita vt singula mēbra suā opportunam

Lib. 6. de doctr. Chris. c. 9. & lib. 12. cap. 7.

Eph. c. 1. & c. 4. & Col. c. 2.

Eph. cap. 4.

nã virtutē accipiant, consentientibus, & congaudentibus alijs mēbris ex charitate mutua, idq. ad augmentū totius, & ædificationē extructionemq. perfectā. Sicut ergò à singulis populis singuli Præfecti, & Præsules non excluduntur propterea quòd Christus est omnium vniuersalis Præsul, Princeps, & caput: sic nec ipse Christus. quamuis totius Ecclesiæ, quæ est corpus suum, caput existat, huic toti corpori caput vnū cōspicuum & ministeriale denegauit.

CAP. II.

PRæterea, eximiæ huius & amplissimæ Reipub. perpetuitatem & vtrunque testamentum passim resonat, & ratio ipsa apertè demonstrat: si autem ab illa vnum supremum, & omnium maximum Præsulem excludas, certè nullo modo illa consistere poterit. Quò fit vt necessariò fatendum sit ita Petrum huic vniuersæ Reipub. fuisse præfectum, vt tamen illius Principatus in posteros eius fuerit transfusus. At verò Christianæ Reipub. diuturnitas ex eo manifestè ostenditur, quia homines omni ætate ad Christi fidem perduci non poterunt (quos tamen perducendos vel eo ipso tempore, quo Antichristus grassabitur, docet Augustinus) nec Christi gloria nouo testamento propria, & tributa tanquam in mercedem laborum, quos ille pro nobis tulit, manifestari, vt decet, vnquam valebit, si Christi Ecclesia integra & salua non persistat. *Lib. 20. de ciu. Dei c. 8.* Vndè præclarè Hieronymus tradit, nihil aliud esse Ecclesiæ ruinam statuere, quàm Dei filium cacodæmoni subdere, & eius crucem superuacuam, sine causa, & inanem reddere. *Hiero. dial. adu. luci.* Augustinus verò docet, si Christus perpetuò cū Ecclesia coniunctus non esset, nec ea, quæ de ipso à Sacris Vatibus scripta extant, aliquandò adimpleta, nec eum Redemptorem Sionis, & salutare illud, quod viderunt omnes fines terræ, vnquam fuisse. *August. de vnit. Eccl. & in psal. 101.* Cùm igitur Ecclesiæ casum statuere, idem esse omninò cēsuerint Hieronymus, & Augustinus, quod diuini Verbi incarnationem irritam facere; de ijs proculdubiò, qui Ecclesiam aliquandò desijsse asseuerant, illud planè intelligendum est, quòd Ioannes

dicit:

1.Ioan.c.4. dicit: *Omnis spiritus, qui soluit Iesum ex Deo non est,* (Syriacè enim siue Chaldaicè sic explicatur: ܘܟܠ ܪܘܚܐ ܕܠܐ ܡܘܕܝܐ

ܕܝܫܘܥ ܐܬܐ ܒܒܣܪ ܠܝܬܝܗ ܡܢ ܐܠܗܐ ܐܠܐ

ܗܕܐ ܡܢ ܡܫܝܚܐ ܗܝ ܕܓܠܐ ܗܘ ܕܫܡܥܬܘܢ ܕܐܬܐ &c.

Vcul ruhho dlo maudio diesciuh etho babsar, laiteh men aloho. elo hode men mscihho-i dagolo, hau dascimahtum dothe. Hoc est: *Et omnis spiritus, qui non confitetur, quòd Iesus venit in carne, non est ex Deo: Sed hic ex Christo est mendace illo, quem audistis, quòd venit.* Nam quoties venturus de semine Dauidis Christus prędicitur, toties eius carnis assumptio pro genere humano prænunciatur: & quoties noui testamenti, & fœderis gratia commemoratur, toties ipsius Regni, & testamenti perpetuitas docetur. Quam, ne diu immoremur, vnius ex multis Esaiæ testimonio comprobabimus:

Esa.cap.9. qui cùm de Christi ortu egisset sub illis verbis, *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis,* protinus adiecit, *Multiplicabitur eius Imperium, & pacis non erit finis.* Septuaginta viri vertũt: ὅτι παιδίον ἐγεννήθη ἡμῖν, υἱὸς ἐδόθη ἡμῖν. καὶ μεγάλη ἡ ἀρχὴ αὐτοῦ, καὶ τῆς εἰρήνης αὐτοῦ οὐκ ἔσται τέλος. *Quia puer natus est nobis, filius datus est nobis. Et magnus principatus illius, & pacis eius non erit finis.* Idest, imperabit ad vtrunque maris litus, & ad terminos

Cyril.lib.2. de spir. & lit. Orbis terrarum. Quod Mosaicæ vocis gracilitas significabat, quæ tantùm in Iudæa erat audienda, donec veniret ille, qui mittendus erat, de quo ipse dicebat, *Mitte quem mis-*

Exo. cap.4. *surus es;* cuius Euangelica tuba totum personaret orbem, nullis terminis circunscripta. Vnde sequitur apud eundem Esaiam: *Super solium Dauid, & super Regnum eius, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & in iustitia à modo, & vsque in sempiternum.* Septuaginta seniores; qui solent paraphrasticè loqui, & quosdam sacræ scripturæ locos alijs explicare, illud Amos

Amos.c.ult. vaticinium, *In die illa suscitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit,*

sic

sic explanant. ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἀναστήσω τὴν σκηνὴν Δαυὶδ τὴν πεπτωκυῖαν. *In die illa erigam tabernaculum Dauid, quod ceciderat*; quo verbo ἀνίστημι, quod erigere & suscitare significat, etiam vtuntur in explicatione Esaiæ vaticinationis. Erigi autem propriè dicuntur ea quæ colapsa fuerãt: vt sit idem erigere, quod in libertatem vẽdicare, aut recuperare quod amissum erat. Quo inductus Eusebius tradit nullũ ex stirpe Dauidis, cuius Regnum peruenerat vsque ad Iechoniã, post Babylonicam captiuitatem hoc Regno potitum fuisse vsque ad Christum illius instauratorem. Nam Regia potestas (vt à nobis dictum est) erat quidem penes Sacerdotes & Pontifices ab ipso Dauide oriundos; qui tamẽ, postquàm Romani Iudæis Regem præficere inceperunt, nec Regia dignitate insignibãtur, nec Reges dicebantur. Nam & hoc Dauid vaticinatus fuerat, dicens: *Tu verò repulisti, & despexisti, distulisti Christum tuum, euertisti testamentum serui tui, profanasti in terra sanctuarium eius, destruxisti omnes sepes eius*. Deinde post pauca adiunxit. *Sedem eius in terram collisisti, minuisti dies temporis eius, perfudisti eum confusione*: Syri autem sic legunt; *Euseb. lib. 7. dem. Euãg. cap. 3.* *Ps. 88.*

ܘܟܘܪܣܝܗ ܠܐܪܥܐ ܫܚܦܬ ܀ ܘܒܨܪܬ ܝܘܡܬܐ
ܕܛܠܝܘܬܗ ܘܐܠܒܫܬܝܗܝ ܒܗܬܬܐ ܀

vcursieh larho shhaft, vbassart iaumotho dtaliutheh, vah ttestoi behttho. Idest, *Et sedem eius in terram proiecisti, & minuisti dies pueritiæ eius: & vestisti eum confusione*. Quæ omnia fieri inceperunt ab eo tempore, quo populus Hebræorum in captiuitatem Babylonem ductus est, & ad Romanorum, ac Tiberij Imperium perdurarũt Nec intereà aliquis ex Dauidis genere in Hebræorum Regem assumptus est; donec Christus à Patre missus in terram venit, qui ex Dauidica stirpe prognatus hanc Regiam sedem tãquam de terra, & ruina, ita erexit & instaurauit, vt in æternum sit permansura, velut Sol in conspectu Dei. Hoc verò expressius apud

Eze-

Ezech.c.21 Ezechielem legitur: Sic enim ille inquit: *Tu autem profane aufer cidarim, & tolle coronam, impie dux Israel, cuius venit dies in tempore iniquitatis præfinita.* Seu, vt Septuaginta viri vertunt: καὶ σὺ βέβηλε ἄνομε ἀφηγούμενε τοῦ Ἰσραὴλ, οὗ ἥκει ἡ ἡμέρα ἐν καιρῷ ἀδικίας πέρας. *Et tu profane, inique Dux Israel, cuius venit dies in tẽpore iniquitetis finis &c.* Ex quibus verbis minimè quidem colligitur, quod Hieronymus significat, propter Regis impietatem Sacerdotium, & Regnum Iudæorum interijsse; sed Regiam sedem deiectam fuisse post captiuitatem Babylonicam vsque ad Christi tempora, optimè deducitur. Nam iam superius demonstraui Sacerdotes etiam post captiuitatem extitisse: Reges tamen ex semine Dauidis nemo vsquam leget post illam creatos esse vsque ad Christum, qui, Regno ad Romanos translato, cuius parti præfectus est Heredes, ex virginis vtero in lucẽ prodijt. Quod ergo Hieronymus vertit, *Hæc dicit Dominus: aufer cidarim, & tolle coronam*: de Regio diademate, cùm ad Regem Israelis sermo habeatur, rectissimè intelligitur. Quamuis enim cidaris insigne Pontificis sit, est etiam, & quidem frequentius, insigne Regium, diciturque alio nomine tiara secundũ Sudam; & verbum Hebræum מִצְנֶפֶת pro quo noster interpres posuit cidarim, vtriusque insigne, tàm Regis, quàm Pontificis, significat: Vbi enim apud Esaiam legimus. *Et diadema Regni in manu Dei tui*, idem vo-
Esa.c.62. cabulum מִצְנֶפֶת inuenitur. Cùm ergo ad Regem sermo dirigatur, vaticinium illud de Regio diademate intelligi oportet, non autem de Sacerdotio; quod & re ipsa cõprobatum est: Regiam enim dignitatem & sedem deiectam, & sublatam fuisse apud omnes certum est, & constans: Pontifices verò & Sacerdotes non fuisse sublatos
Ioan.c.11. Euangelicis literis testatum est. Vnde Caiphas vaticinatus esse legitur; quia illo anno pontificatum gerebat. Iam verò quod sequitur apud eundem Ezechielem rem extra controuersiam statuit. *Nonnè hæc*, inquit, *est, quæ humilem subleuauit, & sublimem humiliauit?* Hunc locum septuaginta seniores

niores ita vertunt. τάδε λέγει ἀδωνάι κύριος, ἀφῄρου τὴν κίδαριν, καὶ ἀπόθου τὸν στέφανον· αὕτη οὐ τοιαύτη ἔσαι, ἐταπείνωσας τὸ ὑψηλὸν, καὶ ὕψωσας τὸ ταπεινόν *Hæc dicit Adonai Dominus: Aufer Cidarim, & repelle coronam: ipsa non talis erit: humiliasti excelsum & sublimasti humilẽ*. Beatus verò Hieronym. ait: *Hæc non erit similis.* Id est, corona hæc Regni nõ erit talis: quia Rex, à Dauide oriundus, non regnabit in Iudæa vsque ad Christum; sed Pontifices erunt Interreges, qui Rempub. gubernabunt. Subsequitur deinde: *Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam*. Id est, conteram ipsam coronam Regni, vt iniqua soleo comminuere. Possumus enim, cum Vatablo, Hebraica verba interpretari: *contritionem, contritionem, contritionem ponam eam. Donec*, inquit, *veniet, cuius est iudicium, & tradam ei*. Quid hoc vaticinio apertius? Pudeat, pudeat eos, cum quibus nobis est certamen, in tãta veritatis luce amplius caligare. Spopondit quidẽ Dominus, se contriturum Iudaici Regni coronam, sed non ita, vt aliquando ea non esset instauranda; cùm subiecerit, *Donec veniet, cuius est iudicium, & tradam ei.* Hoc est, deiecta, & cõtrita erit corona Regni Iudaici vsque ad ortum eius, qui nouam legem hominibus daturus est, quique hac Dauidici Regni corona à Sempiterno suo Parente donandus est. Quapropter illud, quòd est apud Hieremiam, *Scribe virũ istum sterilem, virum, qui in diebus suis nõ prosperabitur: nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat vltra in Iuda*; intelligendum est, donec Christus veniret, qui Regno hoc potiturus erat: quod, vt Epiphanius, contra Nazaræos disputans, docet, est illa mirifica potestas, quam Deus Ecclesiæ suæ concessit. *Non amplius*, inquit, *successores Dauid diadema imponebant translapsa Regia sede in Christo ad Ecclesiam. Et à domo quidem carnali Iuda, & Israel Regia dignitas translata est: firmiter autem sedet thronus in sancta Dei Ecclesia in æternum, ex duplici origine dignitatem habens Regia, ac Sacerdotali.*

Ezech. c. 21.

Similiter Septuag. vertunt.

Hiere. c. 22.

Lib. 1. to. 2.

Carmen etiam illud, quod Spiritus Sancti impulsu Hebræorum turbæ cecinerunt, cùm Christus ouans Hiero-

ſolymam ingreſſus eſt, Hilario, & alijs veteribus Patribus viſum fuit, apertè oſtendiſſe, Regnum Dauidis à Chriſto fuiſſe inſtaurandum. *Turbæ autem*, inqnit Matthæus, *quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant dicentes, Oſanna filio Dauid: benedictus qui venit in nomine Domini.* Sunt enim verba hæc Regni Dauidis gratia prolata in plauſum, & bonam precationem perpetuitatis, & fauſtitatis Regno, & Regi cupitæ: ita vt germanus illorum ſenſus ſit: ſalua obſecro, & redime filio Dauidis, & domui eius ſolium Regni. Quo fit, vt Origenes explicans hunc locum, dicat hanc vocem Oſanna, ſignificare humanam Chriſti diſpenſationem, id eſt, generis humani redemptionem, quæ eſt inſtauratio ſolij Dauidis; cùm per eam Chriſtus regnet in nationibus. Et Ambroſius, *Iſti*, inquit, *ſunt pueri, qui Dominum pullo aſinæ ſuperuectum propheticis vocibus proſequentes, redemptionem Gentium veniſſe dicebant*. Alibi etiã, ſed multò planius ait: *Turba igitur agnoſcit Deum, Regẽ appellat, prophetiã repetit: Oſanna filio Dauid, hoc eſt, redemptorem domus Dauid, expectatum quoque ſecundum carnem Dauid filium veniſſe declarat: & hoc turba illum poſt exiguum crucifixura momentum*. Non ſunt tamen reprehendendi, qui, Oſanna, laudem, & gloriam, exponunt. Innominatus enim author, cuius homiliæ in Matthæum inſertæ ſunt operibus D. Chryſoſtomi, ſic inquit: *Oſanna quidam interpretantur gloriam, alij redemptionem, alij ſaluifica, vel ſaluum fac: nam gloria illi debetur, & redẽptio illi conuenit, qui omnes redemit, & pretioſi ſanguinis effuſione ſaluauit*. Similia prorſus Chryſoſtomus, & Clemens Alexandrinus nobis poſteris ſuis prodiderunt: ac denique omnes priſci Patres vna & mente, & voce affirmant, illis verbis, ſignificari redemptionem domus Dauidis, & humani generis ſalutem. Nec ab his diſſentit Iſychius, qui, hæc eadem verba explanans, ait Deum, vbi vult, ſpirare quidem; cùm pueris, & imperitis hominibus maiora, quàm Sacris Vatibus nonnunquam aperiat. Atque hoc ex eo demonſtrare conatur, quòd populus ille Ieſum comitando vocem emiſit, quæ magis, quàm omnis

Matth. c. 21

Libro 8. in Luc. c. 18.

Lib. 9. c. 19.

Hom. 37. in c. 21. Matt.

Chryſ. hom. 24. Dom. 1. Aduen.

Clem. lib. 1. Pædag. c. 5.

Iſych. init. lib. 4. in Leuit.

pro-

prophetica tuba est notanda; vultque hanc puerorum acclamationem fuisse vocem illam futuri prænuntiam, quã Dauid quondam protulit, dicens: *O Domine saluum me fac. Benedictus, qui venit in nomine Domini: Osanna in excelsis.* Verùm, cùm iuxta sententiam Platonis multo maius sit interpretari vaticinium, quàm illud videre; non est dicendum pueros, & turbam Hebræorum pronunciasse nuda tantum verba psalmi, sed ea explanauisse, acclamantes Christum esse illum Saluatorem, de quo Dauidis prædictio erat intelligenda. Quamobrem rectè mihi, videtur Gregorius dixisse omnes electos, tam ex Iudæis, quàm ex ethnicis, in Christum humani generis Redemptorem credidisse, ob idque eos omnes, qui præibant, & qui sequebantur acclamasse, Osanna. *Sed qui præibant*, inquit ille, *& qui sequebantur, clamabant: Osanna. Præcessit quippe Iudaicus populus; sequutus est gentilis: & quia omnes electi, siue qui ex Iudæa esse potuerunt, siue qui nunc in Ecclesia existunt, in mediatorem Dei & hominum crediderunt, & credunt, qui præeunt, & qui sequuntur, Osanna clamant. Osanna autem Latina lingua, salua nos dicitur. Ab ipso enim salutem & priores quæsierunt, & præsentes quærunt, & benedictum, qui venit in nomine Domini confitentur.* Si ergo turbæ, & pueri cognouerunt hunc esse Saluatorem, qui venturus erat in nomine Dei Patris; cognouerunt vtique & hunc restituturum soliũ Dauidis. Vnde rectè Isychius dixit Ecclesiam Catholicam semper admiratam fuisse hanc puerorum acclamationem: quippe quòd in eam Christus transtulisset, vt inquit Epiphanius, trhonum Dauidis, duplici eam dignitate exornans, scilicet Regia, & Sacerdotali. Coniunxit enim Sacerdotium, & Regiam amplitudinem in Ecclesia, cui felicem perpetuitatem donauit. Nam Regnum illud terrenũ Dauidis typus erat Regni spiritualis: quemadmodũ ipse Dauid, id est, dilectus (hoc enim vox Hebræa sonat) figura erat illius dilecti, de quo sempiternus Parens testimoniũ tulerat, dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Hic ergo Dei Filius Christus Iesus, est verus Dauid,

Ps. 117.

Greg. lib. 2. sup. Ezech. hom. 17.

Matth. c. 17

qui instaurauit Regnum iam delapsum, & transtulit illud ad Romanos Pontifices. Vnde Euthymius (quamuis linguæ Hebrææ ignarus) inquit: *Existimabant pueri cùm dicerent, Osanna, quòd erigeretur ab eo abiectus thronus Dauid; quod quid aliud est, quàm, petebant ab eo vt domum Dauid redimeret?*

Euth. in comēt. ad hūc locum.

Mar. c. 11.

Ab hac sententia non dissentit Marcus, ait enim: *Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini. Benedictum quod venit Regnū Patris nostri Dauid*. Hoc est, præsta iam illam promissam salutem, quam à te expectamus, idque prospera eius promissione, in cuius nomine venis. Prosperum item, & felix, faustumque sit Regnum patris nostri Dauidis nobis iam breui erigendum, & magis, quàm anteà, ornandum: quia non terrestre, & temporale, vt illud prius, sed cæleste, & spirituale futurum est, emissa è cælo salute, & liberatione. Hoc est enim quod subiungitur: *Osanna in excelsis*. Quod etiam præ se fert Lucas: pro eo namque, quod est in psalmo, *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, dixit; *Benedictus, qui venit Rex in nomine Domini*. Nihil enim interest, vtrum Christus instaurator solij Dauidis, an Rex dicatur: cùm idem omninò eo tempore in Iudæa fuerit: Nam idcircò Ioannes quoque dixit: *Benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israel*. Christus ergo (quod pueri Hebræorum afflatu Spiritus Sancti impulsi ab eo petierunt) ruinam Regni Dauidis à nullo alio reparandam resarsit, & solium humi prostratum erexit, in quo sedens imperat iam à mari vsque ad mare; & Imperium eius nullo vnquam tempore deperibit.

Luc. c. 19.
Psal. 117.

Quod si hoc Regnum, quod est Ecclesia, sempiternum est, & eo ordine constitutum, qui in omni temporum varietate, & vicissitudine conseruari debeat: si luce meridiana clarius constat Christum huius Regni sui regimini ita Petrum præfecisse, vt eum aliorum Apostolorum Principem constituerit: proculdubiò fateri oportet principatum hunc non cum Petro desiisse, sed ad illius successores Romanos Pontifices transiisse; quibus eadem dignitatis, &

hono-

honoris excellentia debetur. Aliter enim, dissoluto societatis vinculo, & turbato ciuitatis, ac Reipub. huius consensu, Christi monarchia cum Petro finem habuisset. Quæ enim in Christi Ecclesia monarchici status cælestis ratio reperiretur, si extincta vnius Summi Principis præfectura, multorum potestas institueretur? Quod esset concordiæ vinculum? Cuius authoritate tempestates sedari, turbulentæ opiniones euelli, superbia, & contumacia coerceri posset, si nullus in Ecclesia ab initio constitutus fuisset, cuius authoritate & imperio omnes continerentur? Cùm item Christi Ecclesia vnica sit, & vnica esse non possit, nisi vnus Princeps existat: constet autem à Christo fuisse constitutum vnum Ecclesiæ suæ Summum Rectorem, in quē omnes respiciunt: clarum quoque sit & manifestum hāc dignitatis amplitudinem ad Petri successores pertinere, & neminem ex veteribus patribus diuina virtute præditis vnquam extitisse, qui vel inficiatus fuerit, vel dubitauerit Romanos Pontifices esse Petri successores (hoc enim & illorum monumentis, & communi totius Ecclesiæ consensu testatum est) quæ, proh Deum immortalem, tanta dementia aduersariorum sceleratos animos potuit impellere, vt vinolentæ, atque furentis orationis aculeos ita in Romanos Pontifices exercerent, vt ordinem à Christo institutum confundere & perturbare, concordiæ vinculum dirimere, & Ecclesiam de statu conuellere, Romanum Pontificem ab illo loco, in quo à Christo collocatus fuit, remouendo, singulis fere momentis conarentur? Væ vobis, impij inferorum satellites, qui bellum in sedem Apostolicam mouetis, nec ab illo desistere in animos inducitis; quin potius arma nunquam deponere decreuistis, vana quadam nescio qua spe vincendi decepti; quæ iam diu intimis medullis inhærens multum malorum hactenus vobis peperit; & funestissimas excitauit tragedias, ac acerbissimas edidit strages; dulcissimum eripuit otium, pacem abstulit, bellum ciuile, seruile, domesticum, & intestinum

intulit:

intulit: omnia erroribus infinitis, insanissimisque compleuit. Hæc autem tanta colluuio, tantaque euersio ciuitatum, & Rerũpublicarum non ex alio (mihi credite) orta est, quàm ex eo, quòd Ecclesiam Romanam veram morum regulam, veræ religionis scholam, rectæ, & sinceræ fidei intemeratam aram, columnam, & firmamentum Euangelicæ veritatis deseruistis: & Romanum Pontificem, quem & Christus Ecclesiæ suæ Principem statuit, & eius Vicarium totus Christianus orbis iam inde à principio vsque ad hæc nostra tempora agnouit, non modò non veneramini, verùm etiam despicitis, & odio plus quã Vatiniano, atque omni contumeliarum genere prosequimini. Conuertite oculos in vosmèt ipsos: circumspicite miseri, & mente collustrate vniuersam pene Germaniam, Poloniam, Vngariam, Boemiam, Angliam, & (quis fando temperet à lachrymis?) non infimam Galliæ partem: vicinas prouincias, atque regiones animo & cogitatione perlustrate: incendia, cædes, strages populi Christiani circumspicite: hunc tantum tumultum, quasi fremitum quendam concussi tempestatibus maris, auscultate: tot erroribus miseram plebem fluctuantem taciti ipsi considerate: quot erroribus scissa atque distracta sit apud vosmèt ipsos diligenter expendite: circumiacentes prouincias erroribus & tumultibus æstuantes contemplamini. Vnde hæc tanta fluctuatio? Vnde tam varius spiritus erroris, atque vertiginis? Vnde istæ furiæ proruperunt, vt non modò infinitis hæresibus dissideant, sed mutuis in dies magis ac magis se se vulneribus conficiant; nisi quòd vnius Ecclesiæ Principis Romani Pontificis vexillum deseruerunt? Vnde illos tot procellis tempestatibusque iactari animaduertimus, nisi ex eo, quod gubernatorem illum, & prudentem nauclerum, quem Christus Petri nauiculæ præfecit, clauo assidere non patiantur? Quid miseras oues huc atque illuc per mille præcipitia cum magno vitæ discrimine agit, nisi inobedientia, quam erga pastorem suũ

præſtiterunt; cui etiam pedum à Chriſto traditum eripere voluerunt? Vnde omnes iſtæ perturbationes, tumultus, & hæreſes antiquæ, & nouæ, quibus contaminati eſtis, ò miſeri Chriſtianæ diſciplinæ deſertores, originem ſumpſiſſe vobis videntur, niſi ex eo, quòd, quemadmodum Africanus ille paſtor, & martyr inclytus Cyprianus dixit, (& nos ſæpe alias retulimus, ſæpius etiam, & ſæpiſſimè, non tamē ſine lachrymis, inculcabimus) Sacerdoti Dei non obtemperatur? Faxit Deus nè ſurdis, vt dicitur, canamus. Iam tandem ad inſtitutum noſtrum reuertamur.

CVm itaque caput Eccleſiæ Chriſtus Saluator noſter videret tempus ſibi inſtare, quo mortē pro genere humano ſubiturus erat, Patri ſuo preces adhibuit, vt, quos ſibi dederat, ſeruaret, vt eſſent vnum, ſicut ille cum Patre vnum erat. Quò vero vnitas hæc perpetuis futuris temporibus retineri poſſet, iam iam ad cælos aſcenſurus, vni curam Eccleſiæ ſuæ mandauit, vni oues ſuas paſcendas tradidit, quem ouilis ſui Summum Paſtorem multis argumentis deſignauit, qui, vt ipſe in cælis author futurus erat perpetuæ vnitatis, ſic in terris eiuſdem conſeruator foret, & quiſquis ei in Pontificia dignitate ſucceſſiſſet, eiuſdem retinendæ concordiæ Princeps haberetur. Cùm autem nullus alius Diuino, vel humano iure Petro ſuccedat, niſi Romanus Pontifex; quis dubitat, quin penes hunc ſumma illa poteſtas Petro collata à Chriſto, paſcendi ſuum gregem, nunc etiam reſideat, & ſarta tecta conſeruetur? Sanè ratio paſtoralis muneris: quod ordinarium, & perpetuum eſt, hoc ſibi poſtulare videtur: Nam, ſi rei naturam ſpectes, tamdiu Paſtoris officium durare debet, quamdiu ouile exiſtit. Atqui ouile Chriſti vſque ad mundi conflagrationem perdurabit: igitur eo vſque Petri ſucceſſores, ſummo illo paſtorali officio fungi oportebit. Iam verò Chriſtum, ita Petro oues ſuas regendas tradidiſſe oſtendimus; vt non ſolùm ratione loci, ſed etiam ratione temporis omnium curam ei demandatam *Cap. III.*

fuiſſe

fuisse necessariò intelligamus: cùm nō minus nobis, quàm illis, qui tunc viuebant, prospicere debuerit. Quòd si Petrus mortalis conditionis expers nòn erat, per se ipsum proculdubiò pastorale munus perpetuò exercere minimè poterat: quo rursus fit, vt necessariò eum ad successores deuolui oportuerit: cùm, vt aliquandò è viuis discederet, natura corporis dissolubilis nunquā non postulauerit. Ex quo illud etiam optimè colligimus, quod aduersarios vehementer cruciat, & conficit: omninò fatendum esse, quāquam Christus peculiariter Petro dixit, *Pasce oues meas*, id tamen successoribus quoque dictum fuisse. Vnde præclarè Chrysostomus inquit: *Qua de causa filio suo eiq. vnigenito Deus optimus maximus vsque adeo non parcendum putauit, vt etiā quem vnicum haberet, hunc dederit? Certè, vt, qui in ipsius offensionem incurrissent, eos sibi reconciliaret, tùm verò peculiarem selectumq. populum sibi redderet Qua nam item de causa idem ille sanguinem effudit suum? Certè vt pecudes eas acquireret, quarum curam, tum Petro, tum Petri successoribus committebat*. Et Sanctus Leo, *Manet*, inquit, *dispositio ueritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine petræ perseuerans suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit: perseuerat videlicet Petrus, & viuit in successoribus suis*. Esse autem Romanos Pontifices Petri successores, tum ex multis alijs, tum etiam ex eo apertè constat, quòd, cùm hic Principatus sub pastoralis muneris appellatione Petro sit traditus, soli Romani Pontifices supremi Pastoris nomen retinentes huic Pastorali officio ad exemplum prædecessoris sui nunquam defuerunt. Nam præterquàm quòd vrbis Romæ Christianos ad certamen pro Christi Religione subeundum excitarunt, ex præcipua Pastoralis officij gratia; multi etiam illorum (vt omittam confessores moribus, & doctrina insignes, qui, quamuis sine sanguinis effusione, non tamen sine periculis, & labore, & voluntate moriendi pro Christi Euangelio ad cælestem gloriam peruenerunt) antè omnes alios, tanquam boni Pastores, quorum est pro salute ouium vitam morti obijcere, pro ouili Christi conseruando

Lib. 2. de sacerdot.

Leo Ser. de anniuer. assumpt suæ.

do

do & maximos cruciatus perpessi sunt, & ad supernas sedes, multo sanguine effuso, euolarunt. Atque hoc adeò verum est, vt Beatus Cyprianus dicat, nihil aliud fuisse in Petri cathedra sedere; quàm corporis carnifices & tyranni ferocientis vltores expectare; quia quoquot Romani Pontifices spatio trecentorum annorũ fuerunt, pro Christi ouibus, tanquam veri pastores vitam gloriosè profuderunt. Nam quamquam crudelitas illa ante Constantini Magni tempora in reliquos Christianos exercita decies intermissa est: tamen in ipsos Pontifices tyrannorum manus perpetuò sæuire non desijt. Imperatores enim, qui tũc erant, partim non ignari multos quidem esse in toto orbe dispersos Christianos, qui ad Christi ouile maximè spectabant, & omnes illos vni summo pastori Romano Pontifici summa cum religione obtemperare: partim indignati inueniri aliquem in prima Imperij sui ciuitate, qui & sibi resistere, & Deos suos contemnere auderet, aliosque vt idem facerent hortaretur; hinc ira, inde metu ita afficiebantur, vt (quod Beatus Cyprianus scribit) multo patientius tulissent insurgere aduersus se æmulum Principẽ, quàm constitui Romæ Dei Sacerdotem. Quod si nulla alia Ecclesia tot in medium producet Episcopos, qui, temporis spatio tam breui, ordine martyrum tam longo, tantas pro Christi nomine, eiusque ouili subiuerint ærumnas; vnum hoc saltem negare non audebunt aduersarij, in Romana sede esse martyrij principatum. Cùm ergo inde tã multi surrexerint, qui pro ouibus sibi commissis ita libẽter animas exhalarunt, vt præ cæteris Christum, & Christi ouile à se dilectum esse ostenderint; vtique opere ipso comprobarũt se in ipso dilectionis principatu veros Principis Apostolorum successores fuisse, & à Christo maiorem pascendi authoritatem accepisse, cùm ipsius gregem plus quàm alij Antistites pauerint. Quid enim habere potuerunt, quod non accepissent? Habebant verò summam pascendi potestatem, & totius ouilis principatum marty-

Cypr. epist. 56.
Aug lib. 18 de ciu. Dei. c. 52.
Dama. in Pontif.
Cypr. ep. 56.
1. Cor. 4.

rij ſui principatu abundè conteſtatum, illud igitur Epiſcopi Romani à Chriſto acceperunt. Quæ quidem priuilegia quanquam illis conceſſa fuerunt; propterea quòd Petro Principi Apoſtolorum ſucceſſerunt in ipſo paſcendi principatu; vt quemadmodum hunc Chriſtus veluti amoris ſui Vicarium conſtituit, ſic illi ardentiori quodam amore, quàm cæteri Eccleſiaſtici Præſules, oues Chriſti amplectèrentur: tamen ſi quis tàm præfractè aduerſus Cathedrã Romanã decertet, vt neget Petrum aut Romæ fuiſſe, aut ibi primariã Eccleſiæ ſedem collocaſſe; certè negare non poterit excellens illud martyrij opus, quod oculis conſpicit, & manibus contrectat, ita ſe ſe habere, & eſſe non ſolùm alicuius eximij amoris, ſed etiam Eccleſiaſtici cuiuſdam primatus ob amorem conceſſi certum atque euidens ſignum: cùm etiam Petro non prius Dominici gregis cura fuerit commiſſa, quàm ſingularem, præ cæteris omnibus diſcipulis, in Chriſtum beneuolentiam trina atteſtatione profeſſus fuiſſet. Si enim amor potiſſimum verum paſtorem à mercenario diſtinguit; efficitur profectò, vt ei, qui ardentius amat, præcipua ouium cura debeatur: hoc enim argumento Chriſtus Dominus ſe verum animorum noſtrorum paſtorem eſſe confirmat. *Ego ſum*, inquit, *paſtor bonus. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.* Id eſt, ego ſum verus paſtor, qui oues amo, tueor, paſco, ſpiritualibuſq. bonis expleo, atque pro earum ſalute mortem oppetere non dubito. *Mercenarius autem & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit: & lupus rapit, & diſpergit oues*, Huius veri paſtoris veſtigia Romani Pontifices ſequuti, & Petri prædeceſſoris ſui exemplum imitati, quanto cum ſtudio oues ſibi commiſſas pauerint, quanta cum fidelitate rexerint, quantaque animi fortitudine pro illarum ſalute aduerſus tyrannorum perſequutionem in aciem prædierint, teſtes ſunt illæ cauernæ, illi cuniculi, illæ cryptæ, (quas etiam nunc vniuerſus orbis miratur, & nobis ex diuina munificentia

Ioan. c. 10.

videre,

videre, & tanquam heroum nostrorum monumenta lachrymis saltem suspicere, & venerari licuit) vbi Romanæ Ecclesiæ Principes delitescētes Christianum populum præceptis Euangelicis instruere solebant: Testes sunt superbæ thermæ, & theatra illa, quæ hi sanctissimi viri manibus suis erigere coacti sunt. Testatur tuum Soracte, ò beate Syluester, vbi aliquandò habitasti, & vnde prodiēs Constantinum primum sacro baptismatis fonte abluisti; & vnde cæteri, tanquam pecora morti destinata, ad supplicium educebantur. Nam vsque ad Syluestrum, qui trigesimus quartus sedit in Cathedra Petri, omnes ferè Pontifices crudeliter occisos fuisse legimus. Et cessauit quidem tunc temporis diluuium illud Pontificij sanguinis, quo Romana ciuitas inundabat; & manifestum habuere omnes, & oculis, manibusque tenuere quàm digni illi extiterint Petri sede, quæ quanto profundius demittebatur, tanto altius in cælum surgebat totum ædificium: vt Capitolio Vaticanus substitueretur, & Romulo Petrus, & successores eius subrogarentur. Atque ita diuinitus factum est, vt lapis ille Christus, qui primò hominibus paruus videbatur, eò vsque cresceret, vt ingens mons euaderet, & impleret vniuersam terram: creuit enim in corpore suo mystico, quod est Ecclesia, quam per totum terrarum orbem diffusam videmus: repleuit vniuersum mundi circuitum tuba Euangelicæ doctrinæ, quæ per Apostolos, & Discipulos eius vbique terrarum personuit. Repleuit vniuersam terram veri Dei notitia; quia ex eius doctrina cognouit mundus vnum esse Deum ab homine colendum, Deos autem ethnicorum inania esse simulachra, & fallaces dæmones. Repleuit totum terræ globum gloria, & maiestate Dei: quia per eum Deus verus, repudiato deorum inanium cultu, ab hominibus summa obseruantia coli cæpit. Vnde est illud apud Malachiam: *Ab ortu Solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, ait Dominus.* Repleuit immensum telluris ambitum iucundo virtutum odo-

Dan. c. 2.

Psal. 18.

Esa. c. 11.

Mala. c. 1.

re: etenim vbi doctrinæ eius flos ſparſus eſt, ita ſuauiter oluit, vt animos hominum in amorem ſui ſingularem excitauerit. Quo factum eſt, vt, inflammati ad virtutes colendas, non vulgares, non humanas modò, ſed eximias & ſingulares, nec ſolùm antè id tempus inuſitatas, ſed etiã incognitas, ac denique planè diuinas; quidam ſpontaneã paupertatem amplexati ſint, alij incorruptum virginitatis candorem ſeruauerint, alij pro Chriſto mortem ſubire non recuſauerint: omitto autem pleraque alia, quæ, non ſolùm quia noua, ſed etiam quia ſupra humanæ fragilitatis vires eſſe videbantur, hominibus admirationi, ſtupori, & miraculo fuerunt. Repleuit omnes mundi tractus deſiderio, & expectatione bonorum cæleſtium, ac miris prodigijs, quæ paſſim in eius nomine edebantur. Repleuit vniuerſam terram nõ ſolùm veneratione ſui nominis, ſed etiam Eccleſiæ ſuæ, & illius hominis, quem Vicarium ſuum in terris conſtituit, Summum Pontificem intelligo, quem vniuerſus orbis Chriſtianus & Catholicus ſuſpicit, & veneratur, & cuius reſponſa, & decreta, tanquam diuina quædam oracula, religiosè amplectitur.

CAP. IV.

HInc animaduerto (vt rem ſuſceptam proſequar) Sanctiſſimos Patres, quorum authoritas in magno pretio ſemper habita fuit, duo iam olim ſapienter perpendiſſe, quæ apertè demonſtrant Pontificis Romani primatum circa vniuerſas totius orbis Eccleſias verſari. Vnum, neminem vnquam ex alijs Eccleſiaſticis Antiſtitibus, præter Romanũ, ſe pro Petri ſucceſſore geſſiſſe: nec enim Antiochenus in totius Eccleſiæ Põtificatu ſucceſſit Petro, qui ita Antiochenam Eccleſiam reliquit, vt tamen ſedẽ ſuam Romam trãſtulerit, quã principatus ſui caput eſſe voluit. Vbi cũ ex hac vita deceſſerit; Romanus Epiſcopus, qui ei ſucceſſit in Pontificatu eidẽ etiã ſucceſſit in vniuerſæ Eccleſiæ cura, & adminiſtratione, atque in ſumma illa dignitate & poteſtate, quam à Chriſto ille acceperat. Alterum verò eſt, omnes alios Epiſcopos, quoties aliqua quæſtio de religione

gione oriebatur, ſemper ſolitos fuiſſe Romanum conſulere Pontificem, & eius ſententia ſtandum decernere. Illud autem primum ex eo liquidò apparet, quòd primariæ illæ ſedes Patriarchales, Alexandrina, Antiochena, & Hieroſolymitana primas ſemper Romanæ detulerunt. Tantum abeſt, vt illarum Epiſcopi ſe vnquam ingeſſerint in Romanam Cathedram, quæ ſe omnium aliarum Principem ſemper oſtendit, iudicans omnes, & à nemine, niſi à Deo, iudicanda. Quod vt manifeſtiùs oſtendamus; rem ſingillatim attingamus, & ab Hieroſolymitana Eccleſia ordiamur, quam ſi eius originem ſpectes, matrē omnium Eccleſiarum dictam fuiſſe reperies à Patribus Conſtantinopolitani Oecumenici Concilij, in ea epiſtola quam ad Damaſum Pontificem Romanum ſcripſerunt. Et Iuſtinus Imperator dicebat, Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, quaſi matri Chriſtiani nominis, tantum omnes fauorem impendiſſe, vt nemo auſus fuerit ab ea ſe ſe diſiungere: cùm & ibi Iacobus frater Domini primus Antiſtes creatus fuerit, & pro Chriſti nomine mortem ſubiuerit, & Euangelij ſplendor prius effulſerit, ac inde in omnes Gentes eiuſdem ſplēdoris radij diffuſi ſint: & quòd Nicæni Concilij Patres eā honore dignam ex more vetuſtiſſimo iudicauerint. Hæc ergo, quantacunque eſt, Hieroſolymitana Eccleſia Petri principatus maieſtatē, & amplitudinem nō obſcurè agnouit. Nam, vt à primo eius Hierarcha incipiamus, quæ fuerit illius de excellentia B. Petri ſententia planè apparet ex Clementis Romani epiſtola ad eundem Iacobum, in qua ſic ait: *Notum tibi facio Domine, quia Simon Petrus, qui veræ fidei merito, & integræ prædicationis obtentu fundamentum eſſe Eccleſiæ definitus eſt, qua de cauſa etiā Domini ore diuino cognominatus eſt Petrus, qui fuit primitiæ electionis Domini, Apoſtolorum primus, cui & primò Deus Pater filium reuelauit*, &c. Idem alibi, *Hæc nos*, inquit, *familiaritas docebat, & hæc nobis publicitus magiſter, & inſeruitor, atque ordinator noſter princeps Apoſtolorum Petrus in Eccleſia prædicabat, exemplum dans, vt & nos ſimiliter faciamus.* Quod ſi, Petrum Epiſco-

Theod. li. 5. cap. 9.

Iuſti. in epiſto. ad Hormiſd. & Baſil. monach. in vita Euthymij abbat.

Clem. epi. 5.

Epiſt. 2.

ſcoporum,& Eccleſiarum omnium caput fuiſſe, Clemens eſt teſtis locupletiſſimus,quis eò temeritatis & inſaniæ deueniet, vt inficiari audeat Hieroſolymitanum Epiſcopum Romano Epiſcopo, & Hieroſolymitanam Eccleſiam Romanæ Eccleſiæ, ex ſententia Clementis, ſubiacere,cùm ad Hieroſolymitanum Epiſcopum eas literas dederit, quæ mentem ipſius manifeſtè aperiunt? Quoniam tamen ad hoc probandum nobis non deſunt teſtimonia ipſius Hieroſolymæ Epiſcoporum, ſubijciamus, non quidem ſingula, nec prætereà illa, quæ tanquam minus antiqua, reijci poſſunt ab aduerſarijs Romanæ ſedis, ſed vnum aut alterum ex eorum omnium antiquiſſimis deſumptū.Sophronius enim; cuius fides, pietas, modeſtia, ſummum ſtudiū in ouibus regendis, conſtans animus in hæreticos Monothelitas non ſemel laudantur in Concilio, ſub Agathone Romano Pontifice,Conſtantinopoli habito,in quo etiam *Act. 12.* clariſſimum illius nomen Sāctis diptychis Sanctarum Eccleſiarum inſerendum eſſe,Patres decreuerunt,is,inquam, de laboribus, & certaminibus, ac peregrinationibus Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli ſcribens, in hæc tandem verba prorupit: *Non exaſperari contra peccatores eruditur, illique mundi procuratio committitur, & traduntur cæleſtium theſaurorum claues, qui ſuper cætum Apoſtolorum conſtitutus eſt.* Vt autem eandem poteſtatem in Romanos Pontifices delapſam eſſe ſignificaret,nè de ſua fide & obſeruantia in ſedem Romanam vllo modo dubitari poſſet, cùm, propter Sarracenorum incurſionem Romam venire non poſſet, ſic Stephanum Hieroſolymitanæ diocæſeos primum Epiſcopum *Refert Sād. li. 7. de viſ. monar.* alloquutus eſt: *De finibus terræ ad terminos eius ambula, donec ad Apoſtolicam ſedem, vbi orthodoxorum dogmatum fundamenta exiſtūt, peruenias.* Immo Epiſcopi & Chriſtiani populi omnes de eadem re Stephano ſupplicarunt Stephanus vero Dorenſis Epiſcopus cum Romam perueniſſet libellum Snmmo Pontifici tradidit, in quo hæc verba continebantur. *Annunciemus hæc omnia omnium præpoſitæ, dico autem, ſummæ veſtræ, &*

prin-

principali (sedi) ad medicinale consultum emersi vulneris. Quippè quoniam hoc potestatiuè olim, & antiquis facere per Apostolicam, siue Canonicam consueuit authoritatẽ, dum aperta lucubratione nõ solũ claues Regni cælorum creditæ sunt ei, atq. ipse tantummodò ad aperiendũ eas fidelibus quidẽ dignè, minimè autem Euangelij gratiæ credentibus iustè claudere magnus secundũ veritatẽ, & princeps Apostolorũ meruit Petrus, sed etiam & pascere primus iussus est oues totius Catholicæ Ecclesiæ, & cõfirmare exagitatos consortes suos & spiritales meruit fratres, vtpotè dispensatiuè super omnes, ab ipso, qui propter nos incarnatus est Deus, potestatem accipiens, & sacerdotalem authoritatem. Quod sciens Patriarcha Sophronius me ad hanc Apostolicam, magnamq. direxit sedem.

Accedũt ad hæc, tanquam firmissima huius veritatis fundamenta Hieronymi scripta, qui quanquam in Hierosolymitana diocæsi degens, ad Damasum tamẽ Romanum Pontificem frequenter scribens, tandem inquit: *Cum successore piscatoris, & discipulo crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior: super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio. Non noui Vitalem, Miletum respuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.* Idem alibi ad eundem Damasum scribens ait: *Si quis Cathedræ Petri iungitur meus est.* Non vtique Hierosolymitanam Cathedram, quanuis illic tunc degebat, sed Petri sedem Romę collocatam sequebatur Hieronymus: non illam, sed hanc fundamentum Ecclesię, & arcam Noæ, extra quam non est salus, appellandam censuit. Nec verò mirum est si Petro, & eius successoribus Hierosolymitani Patres semper primas detulerunt, cùm ille tanquam Princeps & caput totius collegij Apostolici primũ illud Concilium post Domini in cælos ascensum Hierosolymis collectum celebrauerit, illiq. præfuerit, & Matthiam in locum præuaricatoris Iudæ subrogauerit, vt testis resurrectionis Christi vbique terrarũ foret. Quæ de Petri principatu certissima cognitio statim à primis Ecclesiæ initijs

Epist. 57.

Epist. 58.

Hiero-

Hierosolymis habita non ita facilè obscurari potuit, quin ipsorum Hierosolymitanorum Præsulum firmissima nobis remanerent testimonia, quibus hæreticorum somnia confutare possemus. Suppetunt verò multa alia, sed illis supersedendum & vlterius progrediendum nobis est.

Vt ergo ad Antiochenam Ecclesiam deueniamus (cuius sanè sententia, vel etiam sola, sufficeret rem extra omnem controuersiam constituere, si cum ijs nobis suscepta lis esset, qui, non odij, sed rationis pondere ducerētur) haud difficilè quidem erit demonstrare, hanc sedem in Romanam optimè fuisse affectam, & magni eam semper æstimādam duxisse. Cuius testimonium eò libētius commemorabo; quia (vt docent ex Latinis Hieronymus, ex Græcis Theodoretus, ex Hebræis Hegesippus) Metropolis totius Orientis fuit: tum quod ibi primùm discipuli Christi appellati sunt Christiani de nomine magistri, cuius fidem & religionem diuulgabant: tum quod Petrus omnium primus in ea sedit, & post illum beatissimus, & maximè Apostolicus Pater Euodius, cui successit Ignatius vir summa pietate, & integerrima fide. Hic ad Philadelphenses ita scribit: *Ecclesiam Philadelphiæ saluto in sanguine Iesu Christi, quod est gaudium sempiternum & stabile, maximè ijs, qui vnum sunt cū Episcopo, Presbyteris, & Diaconis designatis per voluntatem Dei Patris per Iesum Christum, qui secundùm propriam voluntatem suam firmauit Ecclesiam super petram ædificatione spirituali citra humanarum manuum operam, in quo collisi venti, & flumina non potuerunt eam subuertere, nec id valeant vnquam spirituales nequitiæ, sed infirmentur virtute Domini nostri Iesu Christi.* Quæ cùm nulli alij à Petro conuenire possint; apertè constat, quid de eius primatu senserit Ignatius: qui ne quis dubitaret, an idem ipse de Romanæ sedis præstantia, & authoritate sentiret, ad Romanos hæc scripsit: *Ignatius, qui & Theophorus, misericordiam consequutæ in magnificentia altissimi Dei Patris, & Iesu Christi eius vnigeniti filij, Ecclesiæ sanctificatæ, & illuminatæ per voluntatē Dei, qui omnia creauit, quæ sunt secundùm fidem & charitatem Iesu Christi, Dei ac Saluatoris nostri:*

Hiero. adu. Ioan. Hierosol.
Theo. lib. 5. hist. c. 3.
Hegesi. li. 3. c. 5.
Igna. epi. ad Antioche.
Irenæ. adu. hær. lib. 3. c. 12.
Innoc. I. ep. 18. ad Alexand. Episc.
Igna. ep. 9.
Epi 9.

quæ & præsidet in loco regionis Romanorum, digna Deo, digna decore, merito beata collaudanda, digna quam quis assequatur, castissima, & præualens dilectione, Christi nomen habens, &c. Cùm verò Ignatius ad plurimas Ecclesias, atque etiam ad Antiochenam, cuius ipse Episcopus erat, scripserit, nec præcipuas eiusdem Antiochenæ Ecclesiæ prærogatiuas omiserit, sed eam dixerit primam esse, quæ Christi cognomen accepit: tamen soli Romanæ Ecclesiæ hunc honorem detulit, vt eam diceret, præsidere. Quod profectò non ob aliud dixit, quàm quia Romanam omnium Ecclesiarum præcipuam & dignissimam esse intellexit. Nam quod addidit Ignatius, eam Ecclesiam, cui scribit, præsidere in loco regionis Romanorum, ostendit, quo in loco sit illa Ecclesia, quæ alijs præsidet, hoc est, quæ ante alias sedet: ita vt præsidere pertineat ad omnes Christi Ecclesias: locus autem præsidendi, sit proprius Romanis. Nisi enim hoc modo intellexisset Ignatius Romanam Ecclesiam præsidere, vtiq. & Antiochensem, & Smyrnensem, & Ephesinam Ecclesiam, aliasque ad quas scripsit, dixisset etiam præsidere. Nam & Antiochena Ecclesia suis fidelibus populis, & Ephesina suis præsidebat. Sed nunc, tametsi ad multas scribebat Ecclesias, tamen solam Romanam Ecclesiam dixit præsidere: quia solam illam nouit ante alias omnes sedere, vtpotè omnium primam & magistram, ex institutione diuina: quoniam Petrus Apostolorum Princeps ibi cathedram suam posuit. Adimplementum enim fidei nulla alia ratione tradit Ignatius in Romana Ecclesia factum fuisse à Deo, nisi quòd in ea præfuisset fidei fundamentũ Petrus, à quo omnia, quæ pertinebant ad fidem & charitatem Dei planè tradita & explicata sunt, iuxta iniunctum sibi à Saluatore nostro vniuersalis pastoris munus: vt scilicet à Petri sede Christianæ fidei dogmata omnes aliæ Ecclesiæ acciperent: ob idque castissimam, & præualentem dilectione, & Christi nomen habentem eam vocat: quia cælestibus Christi subsidijs vndique munita, eius virtute fir-

mata neq. vnquam deflexit à recto veritatis tramite, nec aliquandò deflectere potetit.

Concil. Nic. c. 6. cap. mos antiquus 65 dist.
Dion. Alex. ad Fab. Antio.

Superest nunc, vt de Ecclesia Alexandrina agamus, quã in Egyptum, Pentapolim, & Libiam, iuxta antiquam cõsuetudinem, authoritatem habere decreuit sancta vniuersalis Nicæna Synodus prima: quæ ex Thebaide, & tota Aegypto innumeros habuit alumnos, qui pro Christi nomine mortem oppetierunt: quæ Ptolomæorum Regum industria ad Christum vsque Philosophiæ, & omnium optimarum artium studijs excelluit; à Christi verò ascensione sanctissimis & doctissimis hominibus floruit, qui politiori doctrina mirè instructi, sacrarumque literarum studio probè exercitati Alexandrinã Ecclesiam frequentarunt, & antiquæ Apostolicæ doctrinæ semina in animis hominum inseruerunt: quæ denique Marcum Euangelistam (vt Leo Magnus ait) beatissimi Petri Apostoli discipulum habuit fundatorem, quæque posteà recentioribus temporibus Athanasium, Theophilũ, & proximè Cyrillum probatissimos Præsules habuit. Horum igitur clarissimorum Præsulum de primatu Petri sententiam exquiramus. Atque in primis offert se nobis Athanasius, qui tanta semper obseruantia Romanam Cathedram coluit, vt ea sola ratione ab hæreticis nostri temporis reijciatur, tanquam plus nimio propensus in hanc sacrosanctam sedem Romanam. Quasi verò eorum tantũ testimonia recipienda sint, qui ipsam capitali odio prosequuntur. Sed nos, quicquid illi dicant, Athanasij plenissimo fidei testimonio vtemur, cuius authoritas apud omnes probos viros magni semper habita est. Hic igitur ab Eusebianis falsò accusatus Romam ad sedem Apostolicam, tanquam ad tutissimum suæ communionis portum confugit. Vnde ipse ad solitariam vitam agentes in hunc modum scribit.

Leo epis. 50 ad Epis. Galliæ. habetur in tom. Concil.

Athanas.

Eusebiani videntes hæresim suam succumbere & Romam, & ad Imperatores Constantinum, & Constantem contra Athanasium scribunt. Episcopus autem Romanus Iulius synodum iussit fieri vbicunque vellemus

mus: vt tutò & crimina obijcerent, & inuicem sibi obiecta refutarent. Ecce, ne hoc silentio prætereamus, vt iam olim certum erat penes Romanum Pontificem authoritatem residere conuocandi Synodum vbicunque vellet; ex quo etiam apertè colligitur eum totius Ecclesiæ curam gerere: cùm solius summi & vniuersalis Pastoris sit Episcoporum Cōcilium vbi velit indicere, & propria authoritate celebrare. Sed prosequitur sanctissimus vir: *Athanasius semel re cognita Romam profectus est, non ignarus hæretici furoris. Iulius verò presbyteros suos Elpidium, & Philoxenem cum literis ad Eusebianos misit, certum diem definiens, vt aut præsentes se sisterent, aut cognoscerent se omnibus modis suspectos haberi. Cæterum Eusebiani ubi semel audißent Ecclesiasticum concessum fore, vbi nec Comes affuturus eßet, neque satellites pro foribus excubarent, nec ex Cæsaris præscriptis omnia fierent, quibus rationibus & non alijs Episcopos vicerant, imò qui sine hoc præsidio ne loqui quidem auderent: ita inhorruerunt & metu confracti sunt, vt presbyteros detinerent vltra diem condictam, causificationem interim turpem fingentes. se ob bella Persarum uenire non posse, sed in ea re nihil veri: metus enim conscientiæ eos impediebat. Certè presbyteros suos dimiserunt cum absurdißima excusatione. Romæ verò congregati Episcopi propè quinquaginta, Eusebianos vt suspectos timentesque se sistere, non receperunt, nostramque communionem amplexi sunt.*

Annè igitur aliquis erit quem odium vsque adeò cæcauerit, vt ex his non videat manifestè Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopum Romano Pontifici ideò causam omnem discutiendam commisisse, quòd eum Christi Vicarium Petri successorem summa authoritate præditum super omnes Ecclesias agnouerit? Sanè ad Felicem Romanum Pontificem sic ille scripsit: *Ideò Pater Beatissimè, quia semper antecessores nostri, & nos à vestra Apostolica sancta sede auxilium hausimus, & nostri vos curam habere agnouimus, præfatam Apostolicam & summam expetimus iuxta canonum decreta sedem, vt inde auxilium capiamus, vnde prædecessores nostri ordinationes, & dogmata atque sublenationes ceperunt. Ad eam quoque, quasi ad matrem recurrimus, vt eius vberibus nutriamur, quoniam non potest mater obliuisci infantem suum.*

Habetur in tom. 1. Concil.

Et poſt alia: *Ideoq. ad propoſitum recurrentes, & ad brauium properantes, veſtræ Apoſtolicæ ſedis imploramus auxilium: quia (vt credimus) non deſpexit Deus preces cum lachrymis ſibi oblatas ſeruorum ſuorum, ſed ob id vos prædeceſſoreſque veſtros, Apoſtolicos videlicet præſules, in ſummitatis arce conſtituit, omniumque Eccleſiarum eis curam habere præcepit, vt nobis ſuccurratis, noſque tuentes, cui omne Epiſcoporum iudicium eſt commiſſum, liberare ab hoſtibus noſtris non negligatis.* Sed, recedente paululum Athanaſio, accedat Cyrillus, qui Romanæ ſedi tantum detulit, vt in damnatione, & exauthoratione Neſtorij ſe ſolùm Pontificis Romani miniſtrum exhibuerit. Nam hac de re ad Presbyteros, & populum Conſtantinopolitanum in hunc modum ſcripſit. *Niſi Neſtorius ad terminum à ſanctiſſimo Romanæ Eccleſiæ Epiſcopo Cæleſtino præfixum, nouis ſuis dogmatibus abſtineat, & ſcripto anathemate deteſtetur, quæ apud nos & loquutus eſt, & libellis inſeruit, ſiue vt insererentur ſubornauit: nihil cum ſacerdotibus Dei habiturus commercij, ſed omninò futurus eſt alienus.* Ad Cæleſtinum etiam, de quo ipſe meminit, literas miſit, quibus exponens ordinem omnem, & progreſſum hæreſeos Neſtorianæ, qua iam multi Epiſcopi Orientis infici cæperant, ita tandem concludit. *Veruntamen ipſi ab illius communione cum fiducia nos non exemimus, donec iſta pietati tuæ communicemus. Quapropter quid videatur, exprimere dignare, an aliquandò debeamus illi communicare, aut in poſterum confidenter edicere, quod talia & ſentienti, & docenti nemo noſtrum communicet. Scopum verò integritatis tuæ perſpicuum oportebit fieri per literas etiam religioſiſſimis, qui per Macedoniam ſunt, Epiſcopis, & ſimul omnibus per Orientem.* Hæc omnia plena ſunt officio & obſeruantia erga Romanum Pontificem, quem ſatis apertè oſtendit Cyrillus vnionis Eccleſiaſticæ caput exiſtere: cùm ne à conſortio quidem Neſtorij tam impij hominis, & procacis hæretici auſus fuerit abſtinere, antequam ſedem Romanam hac de re per literas conſuluiſſet, cuius potius iudicio, quam ſuo ſtandum eſſe iudicauit. Idem quoque, cum in ijs literis, quas ad Ioannem Antiochenum Patriarcham dedit, amplè & diffusè

Cyril.

Cyril. ep. 18.

Cyril. epiſt. 13.

fusè narrasset eiusdem Nestorij fraudes, audaciam, impietatem, quam Romana Synodus damnauit, non obscurè tradidit orthodoxas Ecclesias tàm in Orientis, quàm obeuntis Solis partibus constitutas solitas fuisse Romanæ Ecclesiæ iudicia sequi, & ab illius gremio nunquam separari. Vides ergo, quanti habita sit ab omnibus Romana sedes, & quàm Patriarchalium fuerit de eius primatu cõstans sententia: cui certè nec Hierosolymitana, nec Antiochena, nec Alexandrina tantum vnquam detulissent, nisi certò sciuissent ei in omnes Ecclesias primatum iure diuino concessum esse? Minimè enim credi potest, hos clarissimos Antistites, quorum testimonia protulimus, quicquam de iure suo cessuros fuisse: cùm nemo ignoret Alexandrinos Præsules iniquo animo iam olim tulisse Anatolij Constantinopolitani Antistetis arrogantiam, qui, contra Nicenæ synodi decreta, debito honore spoliare moliebatur Alexandrinam Ecclesiam.

Leo P. epist. 51. in tom. Concil.

Nec est, cur nobis obijciant aduersarij Nicænos Patres: quasi sentientes quandam esse æqualitatem inter Ecclesiã Romanam & Alexandrinam, decreuisse, vt Alexandrina sedes in Aegyptum, Pentapolim, & Libyam, iuxta antiquam consuetudinem potestatem haberet, quandoquidẽ & Episcopo Romano parilis mos esset. Quamuis enim Alexandrina Ecclesia & omnium optimarũ artium studijs, & doctissimis, ac sanctissimis hominibus excellens atque præstans fuerit; nulla tamen Romani, & Alexandrini Patriarchatus parilitas à Nicænis Patribus inducitur. Græcè enim sic legitur: ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο συνηθές ἐστιν, id est: quoniam & Romæ Pontifici hoc vsitatum est. Quibus verbis nulla æqualitas inter Episcopum Romanum, & Alexandrinum constituitur, vt quidam perperam interpretari voluerunt. Qua de re Nicolaus primus in epistola ad Michaelem Imperatorem sic scripsit. *Nicæna synodus nouerat Romanæ Ecclesiæ omnia Domini sermone concessa: si omnia ergo desuit nihil, quod non illi concesserit. Denique*

Concil. Nicæ. c. 6. refertur in c. mos. 65. dist.

Euseb. & Niceph. in Pãthæno & Clemente.

Nicol. ep. quæ incipit proposueramus.

ſus eliciatur; alij legendum putarunt: *Apud Alexandriam, & in vrbe Roma vetuſta conſuetudo ſeruetur, vt & ille Aegypti, & hic ſuburbicariarum Eccleſiarum ſolicitudinem gerat.* Nec miſeri vident nullam in eo canone comparationem fieri inter Romanum & Alexandrinum Epiſcopos, ſed cauſam tantùm aſſignari cur Alexandrini Præſulis in Aegyptum poteſtas rata habeatur: quia ſcilicet iam olim à Romano Pontifice priuilegiũ illud obtinuerit. Quòd ſi quis miretur Ruffinum tam turpiter delapſum fuiſſe in huius canonis interpretatione; is ſciat tantam illum habuiſſe Græci, & Latini ſermonis peritiam, vt, teſte Hieronymo, Græcis Latinus, Latinis Græcus viſus ſit. Et tamen hunc hæretici ſequuntur authorem: nec eos pudet ex aliorum erroribus deſumere argumentum, quo ſuam malè ſanam opinionẽ confirment. Sed licet ipſis concedamus, vt Ruffini authoritate vtantur, nihil inde contra nos educi poſſe manifeſtè apparebit. Nam nihil aliud intellexiſſe videtur Ruffinus, quàm vt Alexandrinus Præſul prouincias Aegypti moderaretur: quemadmodum Romanus Pontifex Eccleſiarum ſuburbicariarum curam gerebat. Quid ergo exultant aduerſarij, &, quaſi deuicto hoſte, triumphum ſibi iam parãt? An quia ille dixit, Suburbicariarum Eccleſiarum ſollicitudinem gerat, idcircò eum pro ſe facere arbitrantur? Eſt ita ſanè. Ignari enim ſignificationis huius vocabuli exiſtimant cum impio Molinæo ſuburbanas tantùm Eccleſias intelligi: nec vident longius, latiuſq. eius ſignificatum patere. Nam quanquam Valentinianus, & Zeno Imperatores præfecturas vrbanas vrbicarias appellarunt; tamẽ ampliorem eſſe huius vocis ſignificationem, quàm quæ his terminis coarctetur apertè ſignificarunt Iulianus, Gratianus, Theodoſius, & Valerianus, qui non ſolùm loca vrbi adiacentia, ſed etiam plures prouincias tam in Italia, quàm extra Italiam ſitas vrbicarias dixerunt, eo adducti, quia erant quædam regiones, vt Sicilia, Africa, Aegyptus, & nonnullæ aliæ, quæ frumentum in Vrbem importare tene-

Hier. apolo. 1. adu. Ruff.

l. 2. & 3. C. vbi Senatores. Iul. l. 9. de extraor. mu. C. Theodoſi. Grat. l. 1. ſi per obrep. C. Theodoſia. Arca. l. 3. et 6. de canon. frume. vrb. Ro. C. Theo. et Iuſti. eod. l. 2. & 3. l. 12. & 14. de indul. de b. C. Theod.

tenebantur: quod quidem tributū canon Vrbicarius dicebatur, cuius mētio ab Arcadio, & Honorio Imperatorib. facta est. Quapropter vt hæ prouinciæ dictæ sunt Vrbicariæ, siue suburbicariæ (vtrunque enim nomen idē omninò significare constat ex multis iuribus) quæ hoc tributū debebant, & peculiari hoc nexu vrbi tenebātur adstrictæ: sic etiam dicere possumus, quæ peculiariter Ecclesiæ Romanæ videbantur deuinctæ, suburbicarias à Ruffino fuisse appellatas, vt eo etiam iure Episcopus Alexandrinus omnes sibi subditas Aegypti prouincias moderaretur. Quo fit, vt, quamuis Ruffinus perperam Nicæni Concilij canonē fuerit interpretratus, non tamen ex eius errore hęretici proprium dogma possint confirmare: quoniam & Alexandrini, & Antiocheni, & Hierosolymitani Patriarchatus eò strictius Romanæ sedi parere tenebantur, quò pluribus beneficijs à Petri successoribus affecti, & ampliori præ cæteris honore cohonestati, atque sedi suæ in vrbe Roma diuino consilio, & peculiari Spiritus Sancti afflatu constitutæ strictiori vinculo deuincti & obligati erant.

l. 12. & 13. de indul. de b. C. Theodo.

CAP. V.

CErtè, si vetera mente recolamus, hoc ipsum, quod à nobis satis demonstratum esse videtur, adeò liquidò apparebit, vt nullus tergiuersandi locus aduersarijs amplius relinquatur. Quid enim? Si iam post mille annos Romanam sedem in omnes tam Orientis, quam Occidentis Ecclesias authoritatem exercuisse ostendemus, nūquid Petri primatus ad Romanos Pontifices continua successione translatus indubium reuocabitur? Profectò res erit non in opinione dubia, sed in præsentia, & ante omnium oculos posita. Age ergo dicendi initium à Gregorio Magno capiamus: is enim quantam in omnes totius Italiæ Episcopos & Ecclesias authoritatem haberet apertè ostēdit cùm Aquileiensem Episcopum cum sectatoribus suis ad B. Petri limina venire iussit, vt de eo Sancta Synodus cognosceret, statueret, iudicaret. Cumanum Episcopum à se sacrandum accersiuit: & Præsuli Rauennati impera-

Greg. lib. 1. Indict. 9. ep. 16. 19. 20. 22. lib. 5. ep. 9.

uit, vt grauissima quæq. ad sedem Apostolicam referret. S. Authemij Ecclesiam Numentano Episcopo regendam commisit: ac Episcopatum Carinensem Regitano adiunxit. Ioannem Subdiaconum in Mediolanensem Antistitem assumptum consecrari iussit: Anthemio Subdiacono campaniæ eam curam tradidit, vt si quos Episcopos illius prouinciæ videret minus rectè officio suo fungi, eos ad se quàm primum transmitteret, vt ex pœnę irrogatione possent sentire quàm graue esset nolle ab ijs corrigi, quæ reprehensione digna existunt. Accedit ad veritatis eiusdem confirmationem, eundem Gregorium Apostolicæ sedis authoritate delegasse Petrum Subdiaconum vt in omnes Siciliæ Ecclesias, & Episcopos quandam exerceret præfecturam, quod quidem non à se primum, sed à prædecessoribus aliàs decretum fuisse dixit. Lucillum ab Episcopali dignitate amouendum pronunciauit; Episcopos etiam Corsicæ sibi subditos esse demonstrauit; cùm ad Leonem huius prouinciæ Antistitem ita scripsit: *Pastoralis nos cura constringit Ecclesiæ sacerdotis moderamine destitutæ solicita consideratione concurrere. Et quoniam Ecclesiam Aleriensem ante annos plurimos, obeunte eius Pontifice, omninò destitutam agnouimus fraternitati tuæ visitationis eius operam duximus iniungendam: quatenus tuis dispositionibus eius possit vtilitas propagari. In qua etiam Ecclesia, vel eius parochijs Diaconos, atque Presbyteros tibi concedimus ordinandi licentiam;* Prætereà Ianuarius Episcopus Caralitanus ab ipso Gregorio petijt, vt aliquem ex ijs, qui sibi assidebant, mitteret, cui causas sibi referendas insinuaret. Nunquid igitur dicemus Ecclesias illas, & Episcopos dubitasse, se Romanæ sedi subditos esse? Sanè tantum abest, vt in eam inciderint cogitationem illi Antistites, vt potius vnum se Romanum Pontificem semper agnouisse, cui omnium esset Ecclesiarum cura à Christo Saluatore nostro commissa re ipsa comprobauerint. Quid dicam de Hispaniæ, Galliæ, Angliæ, Hiberniæ Ecclesijs, & earum Episcopis, quibus leges B. Gregorius præscripsit, & priuilegia concessit,

Lib. 11. ep. 33.

Lib. 1. ep. 5.

Li. 7. ep. 62.

Li. 1. ep. 76.

Lib. 7. ind. 2. epist. 2.

cessit, ac, cum opus fuit, nonnullorum temeritatem coercuit? Res est multò manifestior, quàm quæ vlla indigere possit probatione. Quid si in Dalmatiam, Græciam, Corcyram, & in ipsos etiam Imperatores oculos cõijciamus? Profectò prius plures codices scribẽdo conficiemus, quàm vel singula tantum capita eorum, quæ monumentis consignata sunt, in scripturam redigamus. Omittamus etiam Africanas Ecclesias, in quas se suam exercuisse pontificiã authoritatem idem Gregorius epistolis, quas ad Gennadium, & Numidiæ Episcopos, nec non Dominicum Carthaginis Antistitem misit, testatum reliquit. Quid multis? Tres illi primi Patriarchatus, de quibus etsi pauca, non contemnenda tamen in medium adduximus, apertè demonstrarunt, omnium Ecclesiarum supremam esse Romanam, nec vllum esse in toto orbe Christiano Episcopum, qui Romano Pontifici fasces submittere non teneatur. Nam Dionysius, qui Ecclesiæ Alexandrinæ pręerat, ab Episcopis Libiæ accusatus accessit ad Dionysium Romanę sedis Antistitem, & coram eo vt omnium iudice causam dixit. Et, vt multa paucis complectamur, Nicolaus primus in epistola ad Michaelem enumerat octo Patriarchas Constantinopolitanos à Romanis Antistitibus dignitate priuatos: quorum vnus fuit Anthimus, quem Agapetus ab honore Episcopali, non obstantibus Imperatoris minis, amouit; & ei Menam, vt scribit Libratus, & Zonaras, subrogauit. Gelazius etiam ad Episcopos Dardaniæ scribit, Dioscorum secundæ sedis Episcopum è sede Apostolica condemnatum fuisse. Damasus Flauianum Antiochię Patriarcham ad se Romam accersiuit, & causa cognita, eum Episcopatu, vel inuito Imperatore, spoliauit: quem ipse (quamuis Theophilus Alexandrinus, & Chrysostomus ad Romanum Pontificem oratores misissent) non prius recuperare potuit, quàm Damasus Præsul Romanus placatus permisit vt ad se legatos mitteret. qui protinus Episcopos nonnullos, & primarios Antiochenæ

Lib. 7. indic. 2. ep 2.
Li. 1. ep. 72. ad Genna. Epis. 75. ad Epis. Numi.
Lib. 7. epist. 32. ad Dom.
Libr. in breuia. c. 21.
Zona in uita Iustini.
Gelazi. ad Epis. Dard.
Theod. libr. 5. hist. cap. 23.
Socr. libr. 5. cap. 15.
Zozo lib. 8 cap. 3.

Ecclesiæ Presbyteros, vt author est Theodoretus, ad sedē Romanam delegauit: Principem autem locum in ea legatione tenebat Acacius Episcopus Berœæ oppidi Syriæ, vir omnium ore ac sermone passim celebratus. Hic ergo cùm Romā peruenisset, & cū Romano Pont. de ineundá concordia egisset, inimicitias ad decem & septem annos continuatas extinxit, Ecclesijsque pacem restituit. Quare cognita, Aegyptij quoque concordiam sunt amplexati. Prætereà Sixtus III. Romanæ Ecclesiæ Antistes Polychronium Hierosolymitanum Episcopum, quòd falsò Hierosolymitanam sedem primam esse diceret, & Ecclesiæ Patriarchatu priuauit, & ex vrbe eiecit. Si ergo Romanus Pontifex in Constantinopolitanum, Alexandrinū, Antiochenum, & Hierosolymitanum Patriarchas sententiam tulit, & eos aliquandò exauthorauit, euidenter profectò concludimus summum omnium iudicem, & Principem esse Romanæ sedis Antistitem. Sed, vt ad Gregorium Magnum reuertamur, quid ille ad Natalem Episcopum Salonitanum scripserit, commemorare non grauabimur. *Fraternitatem tuam*, inquit, *etsi non vita, tamen loco trasgredior, contempta & decessoris mei, & mea sententia, Honoratus Archidiaconus proprio gradu priuatus est. Quod si quilibet ex quatuor Patriarchis fecisset, sine grauissimo scandalo tanta contumacia nullo modo transire potuisset.* Et post alia sic inquit: *Sed cùm responsales vestri aduenerint, quæ inter vos, & præfatum Honoratum Archidiaconum sint gesta cognoscam, & ex ipso meo examine perpendetis, quia si pars vestra per iustitiam fulta est, nihil aduersi à me perferetis sicut nec ante pertulistis. Sin verò sæpefato Honorato Archidiacono in assertione sua iustitia suffragatur, ex eius absolutione monstrabo: quia personas etiam quas noui, in iudicio non agnosco.* Quibus verbis non solùm in Natalem, cuius audaciam reprehendit, potestatem suam aperuit, verùm etiam, quam haberet in omnes Patriarchatus authoritatem, manifestauit. Gregorio annectamus Damasum ex quo vnusquisque intelliget Episcopos omnes Romanæ sedi subiacere; sic enim ille ait: *Sixtus con-*

Tom. 1. Concil. in actis Sixti III.

Greg. lib. 2. epist. 37.

sti-

stituit, vt quicunque Episcopus vocatus fuerit ad sedem Romanam Apostolicam, rediens ad parochiam suam, non susciperetur, nisi cum formatis salutationibus ad plebem à sede Apostolica. Et alibi ad omnes Episcopos scribens hoc ipsum testimonium commemorat dicens: *Si quis vestrum pulsatus fuerit in aliqua aduersitate, licenter hanc Sanctam, & Apostolicam appellet Sedem, & ad eam, quasi ad caput suffugium habeat, ne innocens damnetur, aut Ecclesia sua detrimentum patiatur.*

Dama. in Pontif. et in ep. 2. ad omnes Episco.

Quod si adhuc in eiusdem primatus comprobatione paululum immorari velimus, diligēter considerare oportebit, vt Victor Pontifex Romanus cum Episcopis Asiaticis se gesserit, qui die dominico festum Paschatis celebrare omninò recusabant. Cùm enim pro ratione muneris sui, & authoritate diuinitus accepta prudenter animaduertisset, ita illarum regionum Ecclesias ob hanc de paschate exortam quæstionem ab alijs dissidere, vt schisma non amplius intra Asię terminos contineretur, sed foras etiam prorumperet; nec in sola facti dissimilitudine quiesceret, verùm etiam in vniuersam Euangelicam doctrinam insidiosè conspiraret: Victor ita iudicauit sibi potissimum incumbere huic malo occurrere, nè cum tanto animorum periculo diutius serperet, vt manifestè declarauerit Romanam sedem in omnes totius orbis Christiani Ecclesias supremam à Christo accepisse authoritatē. Nam Blastus quidam (vt refert Tertullianus) tunc temporis, arrepta occasione ex schismate Asiatico, Christi Euangelium in disceptationem, quæstionemq. vocabat; quippe qui non aliter pascha colendum esse dicebat, quàm decima quarta mensis, secundùm legem Mosis: quo proculdubiò Iudaismum suadere latenter moliebatur. *Quis enim nesciat*, ait Tertullianus, *quoniam Euangelica gratia euacuatur, si Blastus ad legem Christum redigit?* (Vixit autem Blastus Romæ, ibiq. hæresim suam promulgauit) Nicephorus quoque apertè ostēdit Asiaticos rem ad legis necessitatem traxisse, ac iudaizandum esse hac in re non minus constanter, quàm impiè asse-

Lib. de præscrip.

Euseb. lib. 5. hist. Eccl. cap. 14.

Niceph. l. 4. hist. Eccl. c. 37. & seq.

asseuerasse. Quod cùm Victor resciuisset, primum quidem ad Polycratem scripsit vt ad Synodum accerseret Asiæ Episcopos. Quos, perlectis litteris, Polycrates vocauit: (vnde haud obscurè constat Romano Pontifici ius fuisse in Orientis Antistites) sed cùm illi nec de sententia dimoueri, nec, vt cum reliquis Christiani Orbis Episcopis resurrectionem Domini die Dominico celebrarēt, adduci potuissent: rursus Victor, prædecessorum suorum vestigijs insistens, edixit, vt die Dominico Pascha coleretur: nisi id fieret, omnes totius Asiæ Ecclesiæ, & earum Præsules à consortio fidelium Christianorum amouerētur. Scio hoc neque Irenæo, neque quibusdam alijs Episcopis statim ab initio placuisse: sed tamen nemo fuit, qui negauerit legitimam Romano Pōtifici esse potestatem, ex rationabili causa, episcopos coercendi. Quinimò quò diligentius Ireneus Victorē admonuit ne tam multas Ecclesias, quæ antiqua maiorum traditione nitebantur maximeq. confidebant, à corpore vniuersæ Ecclesiæ amputaret; & quo magis ei in memoriam reuocabat clementiam illam, qua prędecessores sui in easdem Ecclesias vsi fuerant; eo certius docuit in Romano Pontifice authoritatem semper fuisse ad coercendum Episcopos, qui muneri & officio suo minimè satisfecissent. Frustra enim aliquis rogatur nè in illos animaduertat, in quos nè minimum quidem ius habet: cùm ius dicenti extra, vel supra præfecturam suam posse impunè non obtemperari, Iuris Consulti tradant. Accedit eodem Irenæi, & aliorum Præsulum de primatu Romanæ sedis apertissima sententia, quæ ex eo qualis fuerit apertissimè constat, quòd illi id solùm in dubium reuocabant, an causa Asiatica tanto digna supplicio esset iudicanda; quo proculdubiò, si sceleris ratio, & rei magnitudo ita postulare videatur, posse Romanum Pontificem quemlibet Episcopum à communione aliorum authoritate muneris sui remouere, manifestè fatebantur. Aliter enim, nisi hæc eorum mens fuisset, quid oberat, quominus

Eusеb. lib. 5. cap. 23. 24.

L. vlt. ff de iurisd. omn. Iudic.

illa

illa fori exceptione, quæ omnium prima & tutiſſima eſt, vterentur, vt videlicet, à Victore quærerent; vnde ſibi poteſtas eſſet in Epiſcopos tam longè poſitos ita acriter animaduertendi? *Cæteri*, inquit Euſebius, *omnes Epiſcopi Victorem magnoperè adhortabantur, vt pacis, concordiæ, & charitatis erga proximos diligentem curam haberet:* Non tamen aliquis illorum extitit, qui, cùm ſæpè hac de re Synodicæ conſultationes habitæ eſſent, vel Victori ius in Aſiaticos dicenti ſe ſe oppoſuerit, vel illius decretum contempſerit. Quod ſanè nõ aliundè ortum eſt, quàm quia certo certius nouerant, Romanum Pontificem cæteros omnes totius Chriſtiani orbis Antiſtites & dignitate longè præcellere, & in eos legitimam habere poteſtatem à Chriſto ſibi traditam: non enim eos latere potuit Chriſtum, cùm Petro præcepit, vt agnos ſuos, & oues paſceret, & vt fratres confirmaret, Petri ſucceſſoribus eam quoque perſonam impoſuiſſe, vt Eccleſiarum Præſules ad rectæ diſciplinę normam, ſi aliquandò ab ea deflecterent pro muneris ſui ratione diligẽter reducere curarent. Vnde factum eſt, vt Epiſcopi Aſiatici ex eo die, quo Victor in eos ſententiã tulit, ſchiſmatici habiti ſint: & à Græcis τεσσαρεσκαιδεκατῖται à Latinis verò Quartadecimani, quod decima quarta menſis Paſcha celebrarent, fuerint appellati. Itaque Tertullianus, Concilium Antiochenum, & Laodicęnum, Philaſtrius, Auguſtinus, Theodoretus, ac Damaſcenus, eos inter hæreticos recenſendos dixerunt, qui contra decreta Summorum Pontificum Pij, Aniceti, Eleuteri, & Victoris (quibus cum neceſſariò Catholicis omnibus communicandum fuit) paſcha de more ſuo decima quarta menſis colere non deſinebant. Et B. Chryſoſtomus, cum Eccleſię Conſtantinopolitanę pręeſſet, qui in Aſia feſtum Paſchatis die interdicto celebrabant, non aliter quàm Nouatianos ſedibus abdicauit. Cùm tamen illi poſteà reſipuerint Nicæni Patres ad Alexandrinam Eccleſiam in hunc modum ſcripſerunt. *Sitote controuerſiam de paſchate ſuſceptam prudenter ſedatam eſſe; ita*

Euſeb. vbi ſup.

Tert. lib. de præſcrip. Cõc. Antio. cap. 1. Conci. laud. cap. 7. Phila. in cat. hæres. Aug. hær. 29. Theod. hæret. fabul. lib. 3. c. vlt. Dam. in hær. 50.

Socr. lib. 6. cap. 10. Extat epiſt. apud Theo. lib. 1. c. 9.

vt

vt omnes fratres, qui Orientem incolunt, quiq. Iudæorum consuetudinem ante in eo festo obseruãdo imitari solent, iam Romanos, nos, & omnes vos, qui eundem morem, quem nos in illo recolendo à primis temporibus tenuistis, sunt consentientibus animis in eodem celebrando deinceps sedulò sequuturi. Apparet igitur ex his, quæ de hac quęstione exorta, & feliciter sedata grauissimi Patres tradiderunt, Romani Pontificis primatum ita vniuerso orbi innotuisse, vt de eo dubitare, quem post tot sęcula omnes Ecclesiæ agnouerunt, procacis potius, vel obtusi', quàm acris ingenij esse videatur.

Eleut. ad Episc. Gall.

Non acquiescunt nihilominus aduersarj, & Eleutheriũ Romanum Pręsulem nobis opponunt, qui ad Episcopos Gallicanos ita scribit: *Huius rei gratia vniuersalis vobis à Christo Iesu commissa est Ecclesia, vt pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferre non negligatis*. Ex quibus verbis rectè sibi inferre videntur, non magis Romano Pontifici, quàm cuilibet alij curam & administrationem totius Ecclesiæ incumbere. Possem quidem non minus æquè, quàm alij viri de literis optimè meriti, suspicionem prætexere adulteratæ epistolę, ex qua hęc sententia deprompta est: si enim ea attentè legatur, facilè profectò reperietur ea quæ de iudiciis continet, superaddita fuisse ex Constantini Imperatoris constitutione, quę extat in Codice Theodosiano, & interpretatione ad eam apposita. Malo tamen germanum illorum verborum sensum ex Patribus, & ex oraculis diuinis educere, ne alicui videri possit, me potius hoc prętextu vim argumenti subterfugisse, quàm nodum dissoluisse. Quid ergo ait Eleutherius? Ita sanè iinqut: *Huius rei gratia vniuersalis vobis à Christo Iesu commissa est Ecclesia*, Ecquis hoc inficiabitur? Profectò cùm hæretici (quorum tunc temporis magnus extitit numerus) vniuersalem oppugnant Ecclesiam, non modò Episcopis, verùm etiam singulis Christianis eius tutela à Christo committi videtur. Nam si, obsessa à barbaris ciuitate, cuilibet ciuium vsque ad sanguinis effusionem pugnandum est pro eius defensione, tanquam

de iudi. lib. 2. & ibi interpr. C. Theo. lib. 2 tit. 18.

pro

pro re sua, ex quo eò maiorem laudem & gloriam merentur, quò magis naturæ ius bonum publicum priuato præferendum esse docet: quanto maiori animorum alacritate & studio pro veritate, & iustitia pugnare debent ij, qui Christianam religionem amplexati sunt? *Fili*, inquit Ecclesiastic. *ne confundaris pro anima tua dicere verum. Est enim confusio adducens peccatum; & est confusio adducens laudem & gloriam.* Non tamen ob eam causam confunditur, & perturbatur ordo hierarchicus, quem Christus in Ecclesia sua prouidè instituit. Quo fit, vt quemadmodum in corpore humano quodlibet membrum, dum officio suo rectè fungitur, pro toto corpore laborare dicitur, adeò vt ex hac parte sine capitis iniuria, quod præcipuum membrum est, affirmare possis totius corporis curam illi esse traditam; ita etiam ea ratione Eleutherus dicat vniuersalem Ecclesiam Episcopis Gallicanis cōmissam fuisse: vt pro omnibus laborarent (sic enim ille) & cunctis opem ferre non negligerent. Nam & Paulus maiores natu Ecclesiæ Ephesi constitutæ sic alloquutus est: *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo posuit vos Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Nec dissentit ab hoc loquendi modo Cyprianus, qui cùm dixisset, *Vna est Ecclesia per totum mundum in multa membra diuisa;* Item, *Episcopatus vnus est Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus*, post nonnulla alia subiunxit: *Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur, vt Episcopatum vnum indiuisumq. probemus.* Accedit huc Clemēs Pontifex Romanus, qui, *Scripsimus*, inquit, *vobis omnibus hanc Catholicam doctrinam, ad confirmandum vos, quibus Episcopatus vniuersalis creditus est, & commissus.* Ignatius etiam communis Ecclesiæ Antistitem eum appellat, qui Philadelphiæ tantum præerat. In eundem planè modum Gregorius Nazianzenus loquitur in ea oratione, quam habuit in laudē Athanasij. *Creditur*, inquit, *illi populi Alexandrini præsidentia, quod perinde est ac si dicam totius orbis præfectura.* Cur ita? quia scilicet præfuit Ecclesiæ Alexandrinæ, vt vniuersali pro-

Eccl. c. 4.

Act. c. 20.

Cyp. de uni. Eccl.

Clem lib. 6. const. c. 14.

Igna. ep. ad Philad.

Ora. in laud. Atha.

Nazian. orat. in laudē Cypriani.

desset. Idem Gregorius de S. Cypriano tractans hæc eidē sententiæ meritò adiungenda scribit: *Non enim Carthaginensium tantum Ecclesiæ, nec Africæ ab eo, & propter eum etiam nunc claræ & celebri præficitur, verùm etiam occiduis omnibus regionibus, ac prope etiam Orientali omni, atque Australi, & Septentrionali oræ, quocunque eius fama & admiratio peruagata est* Sed quid pluribus opus est? Ex his profectò quæ fuerit Eleutheri mens apertè constat, cuius sententiam malitiosè & vafrè nobis obijciunt ij, qui omnes alias Pontificum Romanorum epistolas ea sola de causa, quòd ab illis scriptæ sunt, despicatui habent, & omninò reijciunt. Namque ea est illorum natura, vt, quicquid à Pontificibus exit, illud acerrimo odio semper prosequantur: ne dissimiles videantur Caluino, & Luthero, quorum vestigia ita sequi student, vt quemadmodum illi, sic etiam ipsi nunquam ea, ex quibus veri alicuius dogmatis cognitionem possint percipere, attentis animis legant, & suis legenda proponant; sed, si quod verbum percurrendo inueniunt, quod detorquere ad suos sensus possint, illud summa cum fiducia arripiant, & contra nos in aciem adducant. Quod tum ex multis alijs, tum etiam ex eo demonstrari potest, quòd, cùm incidissent in eam Eleutheri sententiam, qua ille pro muneris sui ratione persuadere conabatur Galliæ Episcopis, vt in communem Ecclesiæ vtilitatem omnem laborem & operam conferrent, cursim verba legerunt, & non percipientes eorum sensum ausi sunt affirmare, Eleutherum dixisse administrationem totius Ecclesiæ singulis Episcopis traditam à Christo fuisse. Certè cùm eò deuenitur, vt Reipub. Christianæ saluti consulendum sit, nemo est, qui Christo fidē dederit, etiam si Pontificiam dignitatem adeptus non sit, cui pro salute & incolumitate Ecclesiæ seruanda non incumbat vel etiam ipsam vitam cunctis rebus humanis chariorem largè profundere: cùm ad hoc Christiani nomen vnumquemque impellat, & sanguis Christi pro nobis effusus hoc iure suo postulet. Ex quo tamen colligi nō

potest,

potest, singulis Christianis, vel singulis Episcopis præfecturam Ecclesiæ à Christo traditam esse: quippe quam solus Petrus, cui dictum est, *pasce agnos meos, pasce oues meas*, regendam suscepit: qui certè non Hierosolymorum, non Antiochiæ, non Alexandriæ, aut cuiusuis alterius Ecclesię, sed Romæ, Episcopum, quò sedem suam diuino afflatus numine transtulerat, successorem reliquit, vt in eo tota potestas, & authoritas, quam ipse in omnes Ecclesias, & earum Præsules acceperat vsque ad mundi interitum resideret.

CAP. VI.

QVod licet pluribus, quàm res tam certa indigere videbatur, à nobis iam comprobatum sit: tamen adhuc euidentius ex eo demonstrari potest, quod in secundo loco discutiendum non dudum proposuimus. Nam si iam ab ipsis, Ecclesię, vt ita dixerim, incunabulis Episcopi consuluerunt Romanum Pontificem, tanquam diuinorum oraculorum interpretem, quoties quæstio aliqua ad religionem spectans, quæ domi sedari non poterat, exorta est: eo ipso illum esse Principem & caput testati sunt, & eum Petri successorem, & Christi Vicarium agnouerunt. Paucis igitur, vt iam nihil supersit, quò se recipiant aduersarij, hoc quoque ex veterum monumentis manifestè ostendamus. Nam cùm iam dixerimus primam illam quæstionē de legalium obseruatione ad Petrum delatam & ab illo solutam fuisse, atque eam, quæ de celebratione Paschæ exorta est secundo sæculo: hoc est, post centesimum, & septuagesimum annum à Christi ortu, non ante sedatam, quàm Victor Romanus Pontifex authoritatem suam interposuit, id etiam sequenti ætate ad nostra vsque tempora obseruatum fuisse operæ pretium erit demonstrare. Itaque quid tertio sæculo actum sit incipiamus dilucidè narrare.

Post annum ducentesimum quinquagesimum quintū erupit Nouatius, ab Eusebio Nouatus dictus, qui, nescio quo furore percitus asserebat, ijs, qui eo tempore, quo in *Lib. 6. hist. c. 35.*

Christianos maximè ſæuiebatur, ob animorum imbecillitatem delapſi fuerant, nullam ſpem ſalutis ſupereſſe: quãuis omnia efficerent, quæ vera pænitentia depoſcit. Cui peſti omnes, tam ſeparati, quàm coniuncti, Præſules occurrere voluerunt. Clarorum enim virorum & taciti cõgreſſus, & colloquia ſtudioſè fiebãt, & ab Epiſcopis ſynodicæ conſultationes paſſim habebantur, ſed tamen illa in dies magis, atque magis ſerpebat: donec Cornelius Romanus Pontifex Concilium maximum ſexaginta Epiſcoporum, & totidem Sacerdotum vnà cum Diaconis Romę coegit. In quo in Nouatum & omnes tam inhumanæ, & & tã alienæ à charitate fraterna opinioni inhærentes ſententia lata eſt, qua illis fidelium Chriſtianorum conſortio interdicebatur: pronunciarumque fuit, fratres, qui metu perterriti labauerant, pœnitentiæ medicamentis curari, & in priſtinã ſanitatem reſtitui poſſe. Singuli profectò Eccleſiarum Præſules huic malo mederi piè ac religioſè curarunt; verè tamen & re ipſa Cornelij prouidentia laborantibus auxilium, afflictis ſpes ſalutis, & ægris medicina allata eſt, & peſtis tam læthifera graſſari deſijt, quã quidem ille tanquam ſtrumam Chriſtianæ Reip. execuit. Vixit autem Cornelius tempore Cypriani, qui quanta ſolicitudine ad ſe deferri curauerit quicquid in traſmarinis etiam Eccleſijs agebatur; & quanta diligentia Epiſcopi muneri ſuo deeſſe nolentes, legatos ad ſedem Apoſtolicã miſerint, qui de omnibus, quæ acciderant, eum admonerent, teſtes ſunt eiuſdem Cypriani literæ ad ipſum datæ, quibus ſe aliquantulum ſuſpectum negligentiæ nomine (cùm tamen ſemper diligentiſſimus fuiſſet) prudenter excuſat. Qua excuſatione minimè vſus eſſet, niſi certò ſciuiſſet, ſe ex munere ſuo debuiſſe Romanum Pontificẽ admonere de omnibus cõtrouerſijs ad fidem & religionẽ ſpectantibus. Adnectam etiam ſuperioribus, quòd cùm grauiſſima quæſtio excitata fuiſſet; vtrum, qui ab hæreticis ad Catholicos proficiſcerentur, eſſent denuò baptizandi,

Cypri. ep. 55

Euſe. lib. 7. cap. 2.

zandi, an solæ preces cum manuum impositione secundũ antiquam consuetudinem adhibendæ forent; multique diuersa & varia sensissent; idem Cornelius, habito Romæ Concilio, finem controuersiæ imposuit, decernens non esse iterum sacri baptismatis fonte abluendos, qui ab hæreticis iam baptizati essent. Cornelij decretum sequutus Stephanus, qui Lucio successit, idem prorsus, vt tradunt Cyprianus, Augustinus, & Vincentius Lirinensis, obseruari iussit. Eusebius etiam narrat Dionysium Alexandriæ Episcopum ad eũdem Stephanum de hac eadem controuersia diligenter scripsisse, vt, quicquid è re Christiana fore iudicaret, id in perpetuum statueret. Hæc quod ad tertium sæculum attinet dixisse sufficiat; non enim omnia singillatim scriptis tradere decreui. Ad quartam itaque ætatem transeamus in qua, hoc est, post annum trecentesimum, primùm erupit hæresis illa Arij detestanda, non tamen prius propagari cæpit, quàm Episcopi tanta cum diligentia, quanta vix oratione explicari potest, Romanum Pontificem consuluerint; qui sedulò, tanquam is, ad quem potissimum spectabat Christianæ Reip. grauiter laboranti medicinam exhibere, eam damnauit; & posteà Concilij Nicæni Patres vna mente, vna & voce abolendam decreuerunt; non tamen sine authoritate Romani Pontificis. Vitus enim & Vincentius presbyteri cũ Hosio Episcopo Cordubensi Concilio præfuerunt missi à Syluestro Romanæ Ecclesiæ Antistite, à quo huius Synodi Patres per literas petierunt, vt, quæcunque illic decreta fuerant, authoritate sua confirmaret. Prodit deinde impium Macedonij dogma; consulitur Damasus, qui nauiculæ Petri gubernaculo assidebat: ille Cõstantinopolitanam synodum indicit, vt narrat Theodoretus, in qua illud condemnat. Subsequitur Nestorij secta, cui Cælestinus admonitus ab Ecclesiarum Præsulibus occurrit, & eam, Concilio Ephesi collecto, (cui Cyrillum Præsidem designauit) patefacit & condemnat. Magna est

Cypr. ep. 74. ad Pompeium.
Aug. lib. 5. de bapt. cap. 23.
Lyrin. adu. hæreses.

1. tom. Concil.
Euseb. lib. 3. de vit. Constant.
Ruff. Socra. Zozom. Theodo. lib. histo. Eccl.
Cæs. Baro. tom. 3.
Euagr. lib. 1. c. 4. & lib. 2. cap. 4.

quidem Romani Præsulis authoritas; magna quidem potestas: quæ quanto diligentius Sanctorum Patrum monumenta voluimus, & eorum gesta recolimus, tanto magis apparet, & elucet: adeò, vt apertè videre possis, quæ causa impulerit Hieronymum, vt ex Asia Damasum consuluerit; & Augustinum, vt ex Africa ad Innocentium, & Bonifacium scripserit; & Cyprianum, vt ad Cornelium literas dederit; Athanasium, vt ex Aegypto ad Marcum, & Iulium epistolas miserit; Ambrosium, & alios orthodoxos Antistites, vt ex Italia, & alijs locis summos Pontifices sententiam rogauerint. Quocirca Theodoretus inter primos Græcorum Patres eruditione insignis Leonem primum ita alloquitur: *Si Paulus præco veritatis, tuba sanctissimi spiritus ad magnum Petrum cucurrit, vt ijs, qui Antiochiæ de institutis legalibus contendebant, ab ipso afferret solutionem, multò magis nos, qui abiecti sumus & pusilli, ad Apostolicam vestram sedem currimus, vt Ecclesiarum vlceribus medicinam à vobis accipiamus.* Illud vnum admiraberis, quòd schismatici etiam, & hæretici post longas contẽtiones, & assiduas disputationes ad sedẽ Apostolicam venerint ex longinquis orbis terrarũ partibus, vt ab antiquo, & incorrupto Romanæ Ecclesiæ deposito orthodoxæ fidei regulam acciperent. Quibus tamen nũc omissis, vlterius pergamus. Age ergo, quis Euthychetis hæresim dãnauit? Leo Pontifex Romanus in Concilio Calcedonensi. Quis Pelagianam rabiem, quæ huc atque illuc diffundebatur compressit? Innocentius Romanæ Sedis Episcopus, quem Zozimus hoc etiam facto imitatus est. Quid plura? Romani Antistites Leo X. Eugenius IV. Martinus V. Clemens V. Gregorius X. Innocentius III. Eugenius III. Innocentius II. Nicolaus II. Leo IX. Adrianus II. Adrianus I. Sanctissimus Leo & Agatho authoritate diuinitùs accepta, vt qui Vicarij Christi erant, tam per semetipsos, quàm in Oecumenicis Concilijs, quibus ipsi per Legatos interfuerunt, damnarunt execrabiles Monothelitarum, Iconomachorum, Berengarij, Petri Abailardi,

Theodor.

Basil. epist. 82. ad Patrophil. Epis.

Aug. lib. 2. retract. c. 50

Ber. ep. 100.

Gilberti

Gilberti Porretani, Ioachimi Abbatis, Græcorum, Begardorum, Ioannis Vvicleffi, & Ioannis Hus, ac tandem Lutheri, & sectatorum errores, quibus iam Christiani Orbis prouinciæ nonnullæ detinebantur. Quamobrem Bernardus ad Innocentium Secundum Romanum Pontificem: *Oportet*, inquit, *ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in Regno Dei, ea præsertim, quæ de fide contingũt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum.* Et post alia, *Tempus*, ait, *est vt vestrũ agnoscatis, Pater amantissime, principatum, probetis zelum, ministeriũ honoretis. In eo planè Petri impletis vicem, cuius tenetis & fidem, si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmetis, si vestra authoritate conteritis fidei corruptores.* Non tacebo etiã quod Anselmus Bernardo antiquior ad Vrbanum Romanæ sedis Episcopum scribit; cùm id ad institutum nostrum maximè faciat. *Quoniam* inquit, *diuina prouidentia vestram elegit sanctitatem, cui fidem, & vitam Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam, regendam committeret: ad nullum alium rectius refertur, siquid contra Catholicam fidem oritur in Ecclesia, vt eius authoritate corrigatur, nec vlli alij tutius si quid contra errorem respondetur, ostenditur, vt eius prudentia examinetur. Quapropter sicut nulli dignius possum, ita nulli libentius præsentem epistolam, quàm vestræ destino sapientiæ, quatenus si quid in ea corrigendum est, vestra censura castigetur; & quod regulam veritatis tenet vestra authoritate roboretur.* Præclarè Augustinus Anselmo vetustior, contra Cresconium, eandẽ sententiam prosequitur. *Quisquis*, inquit, *falli metuit huius obscuritate quæstionis Ecclesiam de illa consulat, quam sine vlla ambiguitate Scriptura sancta demonstrat.* Idem ad Paulinum scribens de eo, quod in epistolis Innocentij scriptum est, nempe causas fidei ad Sedem Apostolicam pertinere, sic inquit: *Ad omnia ille vobis respondit, sicut fas erat, atque oportebat Apostolicæ Sedis Antistitem respondere.* Non deest ad confirmationem causæ nostræ testimonium doctissimi Hieronymi, qui, cùm esset quæstio de nomine hypostasis ad Damasum litteras dedit, quibus eum de controuersia exorta ita consuluit, vt fidem

Ber. ep. 100

Ans. lib. de incarn. ver. cap. 1.

Aug lib. 2. cont. Cresco. c. 33.

Hiero epist. 57. ad Dam.

fidem ſuam, & in Sedem Apoſtolicam propenſionem & obſequium manifeſtè oſtenderit: Sic enim ait: *A paſtore præſidium ouis flagito. Diſcerne, ſi placet, obſecro, non timebo tres hypoſtaſes dicere, ſi iubebis.* Ac tandem poſt alia: *Obteſtor Beatitudinem tuam per Crucifixum mundi ſalutem per ὁμοούσιον Trinitatem, vt mihi epiſtolis tuis ſiue tacendarum, ſiue dicendarum hypoſtaſeon detur authoritas.* Videsnè quomodò Hieronymus, quem Damaſus, vt ſe doctiorem, & in diuinis ſcripturis magis verſatum de rebus explicatu difficillimis non ſemel conſuluerat, rem ad fidem ſpectantem eius iudicio definiendam committit, adeò, vt, nè latum quidem vnguem ſe velle ab ipſius ſententia deffectere oſtendat, non ignarus Petrũ toti orbi magiſtrum, vt ait Chryſoſtomus, à Chriſto prępoſitũ fuiſſe? Quocirca Irenæus, ne longius noſtram protrahamus orationem, controuerſias omnes doctrina Romanæ Eccleſiæ dirimi oportere apertiſſimè docuit. *Ad hanc,* inquit ille, *Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, omnes, qui ſunt vndique fideles, in qua ſemper conſeruata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio.* Vnde fit, vt huic Eccleſiæ tantum omnes veri Catholici iam olim detulerint, vt, quos illa in gremium ſuum receperat, eo ipſo ad communionem admittere non dubitauerint, quamuis aliàs omninò ſuſpecti fuiſſent.

Chryſ. hom. vlt. in Ioan.
Irene. lib. 3. cap. 2.

Exemplo nobis eſſe poteſt Marcellus Ancyræ in Galatia Epiſcopus, qui inter hæreticos numerabatur propterea quòd impij Sabellij ſententiæ adhæſerat; cùm tamen Romæ diu cõmoratus eſſet, & apud Iulium Romanum Pontificem ſe purgaſſet, ab eoq. in Catholicam communionẽ receptus, & ad Epiſcopalem dignitatem reſtitutus fuiſſet, eum quoque Athanaſius vbi primùm hoc reſciuit, in ſuam ſuſcepit communionem. Narrat autem Epiphanius contigiſſe quidem poſt admiſſum errorem, vt hic Marcellus per libellum ſe ipſum purgaſſet, ac ſententiam, quam protulerat, correxiſſet: aut fortaſſis, vt ſuos voluiſſet ornare ſermones ad occultandum ea, quæ à ſe dicta fuerant, ne

Atha. epiſt. ad ſoli. vit. agend.
Zozo. li. 2. c. 31.
Epiph. hær. 72.

per

per depoſitionem à communi Epiſcoporum collegio, ac regula excidiſſe videretur. Vbi nomine communis regulæ Epiſcoporum, Eccleſiaſticam communionem, cuius caput eſt Epiſcopus Romanus, proculdubiò ſignificauit. Tradit etiam Zozomenus Macedonianos quoſdam à Valente & Eudoxio diuexatos, & metu grauiorum malorum, quæ iam impendebant, perterritos, legationibus inter ipſos mutuò ad ſingulas vrbes miſſis, commodiſſimũ ſibi putauiſſe ad Romanum Epiſcopum profugere, & cõmunioni fidei illius potius, quàm Eudoxij aut Valentis ſe adiungere. Quo facto, tres ex ſuis delegerunt, Euſtachium Sebaſthiæ in Armenia Epiſcopum, Syluanum Tarſi Antiſtitem, & Theophilum Caſtabalorum Præſulem, quos Romam cũ literis ad Liberium vniuerſalis Eccleſiæ Præſulem & caput, atque etiam ad reliquos Occidentis Epiſcopos (vtpotè qui fidem ab Apoſtolis traditam incorruptam ſeruabant, & præ cæteris religioni proſpiciebant) miſerunt, rogantes illos, vt eos admittere dignarentur, & cum ipſis de rebus agendis communicarent. Hi poſtquam Romam appulerunt, literas quidem dederunt, &, cum negotia ſibi credita pertractaſſent, coram Liberio infandum Arij errorem deteſtati ſunt, &, omni hæreſi Concilio Nicæno contraria reiecta, vocabulum, conſubſtantialis, receperunt. Tunc Liberius cum illis communicauit, ſcripſitque ad Epiſcopos Orientis, eos de concordia, & in fidei conſenſu ſummoperè laudans. Eodem etiam tempore, cùm Euſebius Cæſareæ, quæ eſt in Cappadocia, Athanaſius Ancyræ, Pelagius Laodiceæ, Zeno Tyroni, Paulus Emeſæ, Otreus Meletinæ, Gregorius Nazianzi Antiſtes, & plures alij concilium Tianis haberent, idem Liberius literas ad eos dedit, quibus lectis, etſi Macedoniani illi eo vſque ſuſpecti fuerunt, vt fidem clam populari ſuſpecti eſſent, illos tamen in communionem ſuam receperunt. Semper enim illud à Catholicis obſeruatũ eſt, quod Liberium Conſtantij Cæſaris Eunucho dixiſſe memoriæ

Zozo. lib. 6. cap. 10.

Zozo. li. 6. cap. 11. & ſeq.

Baſil. ep. 74. Atha. ep. ad ſolit.

Proditum est. *Quem Romana Ecclesia cum pace dimisit, quomodo poterimus condemnare?* Liberium sequutus Leo Magnus ad Anatholium Constantinopolis Antistitem ita scripsit. *Qui gratia Apostolicæ sedis ornantur, etiam tuo fauore per omnia se gaudeat adiuuari.* Contra etiam quos Pontifex Romanus vitandos decreuerat, Catholici eorum consortium fugiebant, & quos ille damnauerat, hi eos defendendos minimè credebant. Qua de re longum sanè esset recensere quæ in omni ætate à Catholicis Episcopis & credita & literis tradita sunt. Nam Ambrosius ad Siricium Romanum Pontificem ita scribit: *Quos sanctitas tua damnauit, scias apud nos quoque secundum tuum iudicium esse damnatos.* Et Prosper Aquitanicus ait hæresim Pelagij vbique terrarum damnatam, & omnium Antistitum dexteras in destructionem impiorum armatas gladio Petri fuisse, postquam Zozimus Ecclesiæ Romanæ Episcopus Concilij Africani decreta approbauit. Vndè Hieronymus, cùm videret in Antiochena Ecclesia inter ipsos Catholicos magnam seditionem & discordiam concitatam, quia multi simul Præsules Episcopalem sedem occupabant, non modò dicebat se cum eo solo communicaturum, qui Petri Cathedræ adhæreret: verùm etiam idē ab Aegyptijs confessoribus Romani Pontificis collegis factitatum fuisse testabatur. *Non noui,* ait, *Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum.* Cur ita? Non ob aliud certè, quàm quia Romana Ecclesia eo tempore cum illis non communicabat: etiam si posteà Paulinum in suum gremium recepit. *Quos Apostolica sedes*, inquit Gregorius Magnus, *in communionis suæ consortium non recipit, charitas vestra omninò refugiat.* Hinc Arnobius cùm dixisset Petrum Romæ baptismum annunciasse, & ab illo omnia flumina in hodiernum vsque diem benedici, mox adiecit: *Qui exierit foras ab Ecclesia Petri siti peribit.* Et B. Gregorius *A Petri Ecclesia*, inquit, *anima vestra non inueniatur diuisa, ne si hic beneficium eius despicitur illic vitæ aditum claudat.*

Leo. ep. 46. — *Amb. ep. 10 ad Siric.* — *Pros. in chron. cont. Col. cap. 41.* — *Hier. ep. 58.* — *Hier. ep. 57.* — *Greg. lib. 5. ep. 48.* — *Arno. in ps. 106.* — *Greg. lib. 3. ep. 41.*

Quòd si quis miretur neminem ex Catholicis vnquam

fuisse,

fuiſſe,qui,quoties aliqua quæſtio de fide orta eſt,non eam ad ſedem Apoſtolicam referendam duxerit, & non eius iudicium & ſententiam quoad aliquos recipiendos, vel reijciendos, expectauerit, is veterum ſcriptorum monumenta euoluat; vbi hoc idem ab hæreticis non ſemel vſurpatum fuiſſe leget. Nam Euſebius Conſtantinopolis Epiſcopus ad Iulium Pontificem Romanum oratorem miſit, qui cum eo ageret de cauſa Athanaſij finienda. Petebat autem ab eo & ſummè contendebat, vt ipſe iudex eſſe vellet, & authoritate ſua totam litem dirimeret. Ad quem etiã tota illa Epiſcoporum Synodus, quæ fuit Antiochiæ cum eodem Euſebio congregata, vt à ſe decreta comprobaret, literas dedit, eiuſque iudicio acta omnia ſubiecit. Fortunatus verò pſeudoEpiſcopus ab hæreticis conſtitutus, & Baſilides, vt tradit Cyprianus, ad ſedem Apoſtolicam prouocarunt: quod etiam Habaillardum feciſſe ætate ſua ſcripſit Bernardus, Celeſtius non ſolùm Innocentij Pontificis Romani literis non eſt auſus obſiſtere, verùm etiam, vt Auguſtinus memoriæ prodidit, ſe omnia à ſede Romana damnata reiecturum promiſit. Hoc idem factũ fuiſſe à Luthero noſtri ſæculi hæreſiarcha ipſius ad Leonem Decimum epiſtolæ teſtes ſunt, in quibus hæc habentur: Beatiſſimè Papa, proſtratum me pedibus tuæ Beatitudinis offero, cum omnibus, quæ ſum, & habeo. Viuica, occide, vocem Chriſti in te præſidentis & loquentis agnoſcam. Hæc tamen Lutheri hypocreſis non diu durauit; adeò vt ei illud Perſij rectè adaptari poſſit:

Socr.lib.2. cap.9.

Cypr.ep.55. & 68.

Ber.ep.109.

de peccat. orig.lib.2. cap.7.

Pelliculam veterem retines, & fronte politus
Aſtutam rapido geſtas ſub pectore vulpem.

Ille nequiter, vt eſt apud Eccleſiaſticum, humiliabat ſe, & interiora eius plena erant dolo. In ore ſuo pacem cum amico loquebatur, & occultè ponebat inſidias. Similis fuit equo illi de quo Græcorum poetarum Princeps Homerus ita ſcribit:

Eccl.c.19. Hiere.c.9.

Fatum enim erat, perituram vrbem ſimul ingrederetur

Duratius præcelsus equus, qui clauserat omnes
Primores Danaum, luctumq. necemque ferentes
Troianis.

Nam quemadmodum in Palladio Græci illi latebant, qui excidium Troiæ attulerunt: sic in corde eius venenum latitabat, quod multorum animos, infecit. Non enim barbarus aliquis & immanis Tyrannus vnquam in hostes sibi infestissimos, quos armis subegisset, magis, quàm Lutherus in suorum, non modo ciuium, sed etiam gentilium & propinquorum animos sæuijt. Nullæ certè, inquit Diogenes Laertius, sunt occultiores, & perniciosiores insidiæ, quàm quæ latēt in simulatione officij, aut in aliquo necessitudinis nomine. Idcircò enim Troianus equus fefellit, quia formam Mineruæ mentitus est. Hac simulatione armatus Lutherus, Deus bone, quàm multas pugnas excitauit, quot florentes Respublicas euertit, quàm lachrymabiles ille δούρεος ἵππος edidit strages? Vix sanè dici potest, quanquam hoc & euentus comprobauit, & ætas illa vidit, quæ eundem Romanæ sedis excellentiam amplificantem, & summis laudibus efferentem audiuit.

De uit. & mor. Philosophor.

Nec vero sine causa tāta fuit semper Romanæ Ecclesiæ authoritas, (quæ neque ab eiusmet aduersarijs negari potuit) & in ea semper viguit Apostolicæ Cathedræ principatus à teterrimis hostibus, licet inuitis, agnitus: cùm ipsa sola ex omnibus alijs Ecclesijs, quibus Apostoli præfuerunt, quam ab initio fidei Christianæ normam ab ipsis Apostolis accepit incorruptam seruet, & hæretica prauitate infecta nunquam fuerit. Defecit enim Hierosolymitana Ecclesia, cuius regimini quōdam Iacobus præfectus fuit: Alexandrina, quam à Marco fundatam diximus: Achæa, vbi Andreas Præsul doctrinam Euangelicam seuit. Defecit Asiatica, quam Ioannes regendam accepit: Indica, vbi Thomas radios Euangelij effudit, & Præfecti munere functus est. Defecit Persica, quam Iudas moderatus est: Græca, vbi illa ingens Pauli tuba insonuit. Defe-

cit

cit Aethiopica, quam Matthæus rexit: Phrygia, vbi Philippus fidem & religionem Christianam diuulgauit. Sola Ecclesia Romana fuit & est, ad quam, vt pręclarè scribit Cyprianus, nunquam accessum habere potuit perfidia. *Cypr.ep.55* Sola illa est, cuius opera, & paterna cura nunc apud Gręcos, Aethiopes, & Indos vera Euangelij fides reuiuiscit. Sola illa est, quam omnes fines terræ, qui Christi religionem amplexati sunt, tanquam Solem intuentur, vt ex ea Catholicę & Apostolicæ fidei claritatem accipiant, quasi edocti à Patribus illius celeberrimi Calcedonensis Concilij, in quo Leoni primo Romano Pontifici ita acclamatum fuisse legitur: *Omnes ita credimus, Papa Leo sic credit. Cyrillus ita credit, Papa Leo ita interpretatus est.* *Act.2.* Et iterum. *Omnes sic credimus, Papa Leo sic credit. Anathema ei, qui partit, & ei, qui diuidit. Hæc fides Leonis Archiepiscopi, Leo sic credit.* Rursus: *Petrus per Leonem ita loquutus est, Apostoli ita docuerunt, piè & verè Leo docuit. Omnes ita credimus sicut Leo.* Sola illa est, cuius Præsidis authoritas non solū maiori venerationi Orthodoxis omnibus, verùm etiam maiori terrori aduersarijs fidei Catholicę esse solet, quàm omnium simul Conciliorum potestas. *Eccl.hist.* Nam Leontius Antiochenus Patriarcha, qui sectam Arij amplectebatur, & Celestius, de quo non dudū loquuti sumus, nullis doctissimorū Patrū aduersus se scribētium argumentis, nulla Synodali constitutione, nisi vnius Romani Pontificis authoritate superari potuerūt. *Non audens,* inquit Augustinus de Celestio loquens, *Beati Innocentij literis resistere, promisit omnia, quæ Ecclesia Romana damnaret, se etiam damnaturum. Nam & rationes, & scripturas eludebat facilè, at Romanæ sedis authoritatem toto orbe recognitam, nec eludere potuit, nec contemnere.* *Aug.lib.2. adu.Cæles.*

Hæc ergo, vt omnia in vnum colligamus, cùm ita se habeant, & vnum sit Christi ouile, cui vnus Petrus inter alios omnes Apostolos à Christo electus pręfuit; fateri profectò oportet id, quod iterū, ac iterum inculcauimus, dignitatis huius amplitudinem, & collatam à Domino in

Petrum

Petrum poteſtatem ad ipſius ſucceſſores integram peruenisse, quo nihil rectius, aut verius dici poteſt: cùm etiam Auguſtinus ſæpe teſtetur Dei Eccleſiam in Petro claues accepiſſe, & in ſe Petrum totius Eccleſię figuram repręſentaſſe; ne tantum munus in ſuam ſolam perſonam collatum, ac ſecum extinctum videretur, ſed potius tributum ſibi tanquam totius corporis capiti myſtico, quod non extingueretur, ſed ſemper viueret in ſucceſſoribus. Nam aliter hanc authoritatem paſtoralem cęlitus collatam ſimul cum Petro extinctam diceres, quo nihil abſurdius, vel in Chriſtum magis contumelioſum excogitari poſſet: cùm hoc perinde eſſet, ac ſi gregem ſine paſtore, corpus ſine capite, fundamentum ſine ſtructura, vel potius ſtructuram ſine fundamento remanſiſſe, ſtultè & impiè cum ethnicis, cęteriſque Chriſtianę fidei hoſtibus proclamares. Quid, quęſo, tam eſſet indecorum, quàm corpus hoc Eccleſię, in quo vno eodemque ſpiritu regenerati ſumus, cuius vnum, ſupremumque caput extitit Chriſtus, idque à Patre datum, diuidere, proſcindere, lacerare, & ſine capite in terris conſtituere? Quid magis à recto regimine alienum, quàm hanc perfectiſſimè inſtructam aciē ſuo Duce, & Imperatore priuare, ſi vides in omni exercitu vnum eſſe, qui omnia diſponit, & gubernat? Quid magis deforme, quàm ciuitatem Hieruſalem nouam deſcendentem de cælo, quæ ad cæleſtis illius triumphantis ſimilitudinem ædificata eſt, ſine rectore ſtatuere, qui in officio, ſuo ciues contineat, cùm & inter Angelos vnum Principem Dominus creauerit? Quid magis turpe, quàm Eccleſiam componere diuerſam ab illa, quæ fuit Chriſti tēpore, cui ipſemet ſolus, Rector, Princeps, & Summus Pontifex præfuit? Quid magis impium, quàm eiuſdem Chriſti præcepto reſiſtere, qui vni Petro ouium ſuarum curam mandauit, nè grex ſine paſtore diſpergeretur? Quid magis temerarium, quàm totum Eccleſiaſticæ hierarchiæ ordinem conturbare & confundere, in quo optimus Ec-

Aug. tract. 50. in Ioan. & ſæpe alias

1. Cor. c. 12. Eph. cap. 1.

Hierony. ad Ruſt. Mona.

clesiæ status penitus consistit? Nihil enim aliud Ecclesiam esse vult Cyprianus, quàm plebem Sacerdoti suo adunatam, & gregem Pastori suo inhærentem. Quid denique magis vituperandum, quàm ab hac Repub. Christiana reijcere, quod in omnibus alijs obseruatum fuisse legimus? Etenim in principio huius libri ostendimus in lege veteri, sub qua omnia in figura cõtingebant, vnũ religionis Principem à Domino fuisse constitutum, qui Rempub. legibus à se latis moderatus est, & Sacerdotem, cui reliqui omnes sacrifici subessent, consecrauit, cuius dignitas & authoritas ad Christi tẽpora durauit. Eo enim vsque vnus Princeps Sacerdotum extitit, qui illos quot quot erant semper regere consueuit: quod iam à mundi incunabulis profectum esse diuinis oraculis comprobauimus. Iam vero si profana sacris miscere fas est (licet autem nonnunquam: quia quæ vera sunt, vt Iustinus ait, nostra sunt) apud ethnicos vnus erat Pontifex Maximus, qui omnes alios sacrificos honore & dignitate prǽibat, & solus de rebus ad religionem spectantibus cognoscebat; vtpotè cui omnia publica, priuataq. sacra, vt historici tradunt, subiacebant. Quare nemo mirari debet, si iam ab hinc mille trecentis annis, ac eo amplius, cùm Paulus Samosatenus Antiochiæ Præsul erroris sui conuictus, & ab omnibus Concilij Antiocheni Patribus condemnatus, & abdicatus Episcopatu, noluisset ex Episcopali domo egredi, Aurelianus Imperator de ea re consultus imperauerit, vt domus illa ijs traderetur, quibus Christiani Italiæ, & Vrbis Romæ Episcopi, quos ipse optimè sciebat Romæ fuisse congregatos, vt de hac re sententiam ferrent, eam adiudicarent. Adeò iam Romani Pontificis authoritas & potestas omnibus innotuerat, vt ethnici quoque scirent, & aliorum Episcoporum eas sententias esse ratas, quas authoritate sua Romanus Pontifex confirmasset, & quicquid ab eo statueretur, firmum habendum esse. Ex quo facilè quis colliget Aurelianum, licet Ecclesiæ infestissimum hostem, agnouisse tamen

Cypr. ep. 69. adu. Pup. seu. Floren.

Liui. lib. 1. hist.
Arnob. li. 4. adu. gent.
Dion. Pluta.
Blon. Alex. ab Alex.

Euse. li. 7. c. 24.

men in ea præstantem quandam præfecturam Romano Pontifici demandatam. Vnde quid pensi relictum sit huius nostri temporis hæreticis, qui in Sedem Romanam in dies magis ac magis crudele bellum mouent, omnibus notum & exploratum ac maioribus quasi theatris propositum esse arbitror: cùm ethnicus Imperator in Romanos Pontifices malè affectus tot retrò sæculis adiudicauerit Romani Episcopi iudicium omnium aliorum Episcoporum sententię præferendum esse.

CAP. VII. CVm itaque nos pro ingenij nostri tenuitate hactenus demonstrauerimus potestatem non modò ligandi, & soluendi, sed etiam regendi totum Orbem Christianum Petro fuisse traditam; illamq. ad eius successores Romanos Pontifices illæsam transijsse: haud operam nos lusuros esse arbitror, si paululum nunc immorabimur in ostendēda ea certitudine, qua Romanæ Ecclesię Antistes mysteria fidei, & religionis docet, & normam componendorum morum vniuersæ Ecclesiæ præscribit. Nam Lutherus, & Caluinus, & horum impij & salaces sectatores vt Romanorum Pontificum doctrinam dubiam & suspectam reddant, non modò Pontificum quorundam næuos, verùm etiam errores in rebus ad fidem & religionem apprimè spectantibus passim inculcant: sicq. eorum, quos erroris insimulant, decretis nullo modo esse obtemperandū ignaræ plebi facilè persuadent. Et quidem (vt hinc initium nostra oratio desumat) non me latet grauissimam hęresis notam fuisse quibusdam Pontificibus inustam ab illis, qui Ecclesiæ historias litteris mandarunt: sed cùm illi hac de re minimè inter se consentiant, fit, vt etiam inter pios & eruditos viros maxima sit dissensio. Cùm enim non ex recenti hominum memoria, sed ex annalium vetustate, & priscorum commentarijs, quæ plurimum inter se dissidēt, eruenda sit huius quæstionis veritas, vt est quisque veteribus scriptoribus affectus, ita de ea sentit. Quamuis autem Marcellinum, Liberium, Honorium, Anastasium, ac Ioannem

nem vigesimum secundum, pluresq. alios hac impietatis macula & fœditate multi resperserint, de Liberio tamen, atque Honorio maior est cōcertatio. Reliquos enim partim hominum quorundam inscitia atque temeritas, partim inuidiæ faces in huius execrabilis sceleris suspicionem vocarunt. Quod Robertus Belarminus summa eruditione demonstrauit: & ante eum Perillustris & Reuerendiss. Dominus Diegus Paiua eadem in re summa cū laude versatus, post alios tamen viros doctissimos, ostendit eos, de quibus maior contentio est, Liberium, inquam, & Honorium Romanos Pontifices haud quaquam in hæresis crimen fuisse prolapsos. Quibus nos assentientes quidem, hoc duntaxat, quod ad Ecclesiæ stabilitatem, & firmitudinem potissimùm spectat ex ipsis diuinis oraculis & Sanctorum Patrum lucubrationibus, aduersus nostri sæculi sycophantas comprobare contendimus; Romanum, scilicet, Antistitem, quatenus in munere suo obeundo versatur, integerrimè fidem docere: adeò certè, vt, quoniam hominis naturam non exuit, accidere fortasse possit, vt humana imbecillitate pressus aliquandò fidem deserat, nullo tamen modo possit aliquid Ecclesiæ credendum proponere, aut Christianis populis aliquid præcipere, quod Apostolicæ doctrinæ repugnet, vel à lege diuina dissentiat. Vnde nemo sit, qui dubitet fidei explanationes à Romana sede profectas veluti cælestia quædam oracula suscipere, Summosque Pontifices in mysterijs nostræ religionis aperiēdis ab omni erroris lapsu longè positos prædicare. Nam si Christus singulare illud priuilegium Ecclesiæ suæ concessit, vt portæ inferorum, hoc est, vniuersum Satanæ robur in se præualere non possit: & vt maxima illa cacodæmonum vis, quæ cuiusque mortalium pietatē, & fidem labefactare potest, totius Ecclesiæ constantiam & firmitudinem infirmare, atque conuellere nequaquam valeat: fatendum profectò est supremum illum pastorem, à quo ipsa regitur & confirmatur, præsentem habere san-

lib. 4. de Roma. Pont.
Paiua. lib. 2. def. Tri. fid.
Matth. c. 16

ctissimum Paracletum, qui se cælestis doctrinæ rore moderetur & instituat, & numine foueat sempiterno.

Hoc autem manifestè apparebit, si ad Petrum, cuius successor est Romanus Pontifex, oculos conuertamus: in quo sicut aliud erat, quod ad priuatam hominis personã spectabat; aliud verò, quod ad communem Ecclesiæ vtilitatem pertinebat: (quòd enim Christum negauerit, hominis; quòd confirmauerit fratres, Ecclesiæ erat; illud proprium, hoc commune) ita etiam quòd fides, quã ipse peculiariter habebat, interius seruata sit, hoc homini tributum est: quòd verò synceram fidem hominibus tradiderit, nec in eius iudicio vnquam defecerit, Ecclesiæ priuilegium fuit. *Ego*, inquit Christus, *rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*. Ecce affirmat Saluator noster à Sempiterno suo Parente concessam esse Petro fidei firmitudinem. At in quem finem? Certè in Ecclesiæ vtilitatem: *Et tu aliquandò conuersus confirma fratres tuos*. Cùm ergo Romanus Pontifex non Petro in ijs, quæ propriam ipsius personam comitabantur, sed in illis quæ ad communem Ecclesiæ vtilitatem spectabant, successerit: quemadmodum omnes Catholici fatentur Petro summam à Deo certitudinem concessam fuisse ad definiendum, quę fidei essent, & ad religionis normam vniuersæ Ecclesiæ statuendam, vel fortè aliquando ex parte collapsam instaurandam: ita ratio recti regiminis nos dicere compellit, Romano Pontifici Petri successori eandem prærogatiuam concessam esse: vt in progressu huius disputationis multò euidentius demõstrabimus. Nam licet ipse possit esse hæreticus (quod tamen præstantissimi quidam Theologi minimè admittũt) tamen fieri nullo modo potest, vt in fidei iudicio contra eam aliquid statuat: cùm sicut pro Petro, ita etiam pro eius successoribus Christus rogauerit, vt non deficeret fides eorum. De illa autem fide loquor, quæ ad communẽ Ecclesiæ vtilitatem illis concessa est; non de ea, quæ priuatas eorum personas respicit: quæ proculdubiò interior

Luc. c.22.

Romani

Romani Pontificis fides Ecclesiæ necessaria non est; quippe cùm etiam si deficiat, nullum inde detrimentum Ecclesia patiatur. Quapropter non est necesse, vt ad huius priuatæ fidei conseruationem Deus Pontificibus Romanis semper adsit; dum tamen ea decernunt, quæ fidelibus populis sunt credenda, & Christi Ecclesiam religionis præceptis imbuunt, & ad consequutionem sempiternæ felicitatis disponunt (quod propositum est huius Ecclesiasticæ Reipub. gubernatoribus, quò intueri, & quò cursum suũ dirigere debent) proculdubiò nõ modò singulis Christianorum populis, sed etiam vniuersæ Ecclesiasticæ hierarchię omninò opus est, vt diuino subsidio fulciantur, quo liberi ab omni falsi stabiliendi dogmatis suspicione conseruentur; ne per publicę potestatis errorem faciant eam in communi ignoratione versari. Nam nullus est inter Catholicos, qui neget summum, & vltimum controuersiarũ de fide ac religione iudicium, & totius Christiani orbis regimen ad Romanum Præsulẽ spectare; quia si ille caput, & pastor est totius Ecclesiæ (vt à nobis satis superque demonstratum est) oportet profectò, vt aut nullus inter homines iudex sit (quo nihil absurdius dici potest) aut is summam iudicandi de causis fidei potestatem habeat; cùm cęteris omnibus authoritate præsit. Vnde Gregorius Magnus, qui, omnium iudicio nihil vnquam vltra æquitatis metas sibi vendicauit, ad Gallię Episcopos sic scribit. *Si quam verò contentionem, quod longè faciat diuina potentia, de fidei causa euenire contigerit, aut negotium emerserit, cuius vehemens sit fortasse dubietas, & pro sui magnitudine iudicio sedis Apostolicæ indigeat: examinata diligentiùs veritate, relatione sua ad nostram studeat perducere notionem: quatenus à nobis valeat congrua sine dubiò sententia terminari*. Nec solus Gregorius, sed etiam alij Sanctissimi Pontifices ante, & post Gregorium, Innocentius, Leo, Gelasius, Nicolaus, qui primi his nominibus cognominati sunt, & Innocentius tertius, hoc ipsum disertissimis verbis asseruerunt, quos tamen nemo vnquam reprehendit,

Lib. 4. ep. 52

aut arrogantiæ accuſandos iudicauit. Cùm enim prudentiſſimum Chriſti conſilium in Eccleſia moderanda id fuerit, vt Chriſtiana fides omnium noſtrarum actionum baſis & fundamentum ſit (quod Paulus apertiſſimis verbis teſtatur) hoc ipſum Dei conſilium, & recta gubernationis ratio iure ſuo poſtulabat, vt certiſſima, & clariſſima fidei regula à Pontifice Romano, vt Euangelicę veritatis interprete ante oculos omnium Chriſtianorum ſemper proponeretur, quam nemo ignorare poſſet.

Hoc quidem haud obſcurè mihi ſignificari videtur ſub illo Eſaiæ vaticinio de Chriſti Redemptoris noſtri admirabili aduentu, in quo ille præuidit mortales cæleſtem diſciplinam hauſturos, & ad Dei cognitionem multo, quàm anteà, clariorem peruenturos, dæmonum vires extinguẽdas, nè illos læderent, qui Chriſti ſeptis incluſi ſpiritu illius gubernarentur. *Non nocebunt*, inquit, *& non occident in vniuerſo monte ſancto meo: quia repleta eſt terra ſciẽtia Domini, ſicut aquæ maris operientes*. Et poſt alia, *Et hæc erit vobis directa via, ita vt ſtulti non errent per eam*. Hoc eſt, ipſe Dominus inter mortales ambulans vobis viam monſtrabit: nec in nube, vt olim, ſed in ſpiritus ſui lumine & claritate populum ſuum ita diriget, vt ne homines quidem rudes, ac imperiti errare poſſint, videntes ducem præcedentem, & viam aperientẽ, & ne in alterutram partem deflectant perpetuò admonentem. Ad cuius muneris amplitudinem reſpiciens idem ſacer Vates, & miniſtrorum etiam virtutem & alacritatẽ admirans inquit: *Parauit Dominus brachium ſanctum ſuum in oculis omnium Gentium, & videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper te autem* (o Eccleſia) *orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur, & ambulabũt Gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui*. Chriſtus enim, quem ſpiritus Domini miſit ad annunciandã veritatem manſuetis, primũ lux mundi eſt: deinde Apoſtoli (vt ipſemet Chriſtus teſtatur) lux mũdi ſunt, de quorũ ſucceſſoribus ex Gentiũ Eccleſia eligendis idem Sacer Vates ita præ-

Eſa.c.11. *cap.35.* *cap.52.* *cap.60.* *Ioan.c.8.* *Eſa.c.61.* *Matth.c.5.*

prædixit: *Stabunt alieni & pascent pecora vestra: & filij peregrinorũ agricolæ & vinitores vestri erunt. Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei vestri, dicetur vobis. Et dabo opus eorum in veritate, & fœdus perpetuum feriam eis. Et scient in Gentilibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum: omnes qui viderint eos cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus. Et assumam ex eis in Sacerdotes & Leuitas dicit Dominus. Quia sicut cæli noui, & terra noua, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus, sic stabit semen vestrum, & nomen vestrum.* Procopius & Cyrillus sub hoc vaticinio significari volunt legis veteris mutationem; in qua Sacerdotes & Pastores non, nisi ex tribu Aaronis, esse poterant: in lege autem Euangelica ex alienigenis legendi dicuntur Pastores, qui pascãt gregem Domini; & vinitores, qui vineam Domini excolant. Nec Iudæi, nisi diuina oracula more suo mendacij insimulent, ad se referre possunt hoc vaticinium. Quod enim sequitur: *Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini*, Apostolis, & Discipulis Domini dictum esse apparet, qui amplissimum Sacerdotium adepti, sanctissimèque omnia religionis munera obeũtes in eam curam incubuerunt, vt mortales à vitæ prauitate ad meliorem frugem reciperentur, & ad castissimæ religionis studium conuerterentur. Illud etiam, *Stabunt alieni & pascẽt pecora vestra*, de Apostolis, & eorum successoribus omninò intelligi oportet: cùm tantum absit, vt alieni pauerint Iudæorum greges, & eorũ vineas, & agros coluerint; vt potius eos, Iudææ vrbibus euersis, captiuos duxerint, & sibi per mille sexcentos fere annos seruire coegerint. Vnde Cyrillus septuaginta virorum interpretationẽ sequutus, ita verba illa, quæ idem Vates addidit ad vaticinationis suæ complementum, *Dabo opus eorum in veritate*, exponenda censuit: Efficiam, vt vbi vos laboratis, laborent alij qui me vera, & syncera fide venerentur, & colant. Cum his autem se perpetuum fœdus initurum pollicetur Deus, vt tam eos, quam nepotes, & posteros, ac eorum sobolem (sic enim septuaginta viri vertunt) ope sua fideliter tueatur.

Esa. cap. 61.

tur.

tur, reddatque ipsos inter omnes Gentes claros, vt, quantum dignitate cæteris antecellant, facilè appareat. Et hi quidem sunt ab illis primis Christi Discipulis, non carnis, sed spiritus semine propagati ad Ecclesiæ regimen, & cõseruationem Ecclesiastici status. Nam ex ipsis Gentibus ad Christianam religionem conuersis Sacerdotes & Pastores eligendos apud Esaiam dixit Dominus, vt quemadmodum nouos cælos & nouam terram à se fabricanda & mirabili Sacramento construenda (nouæ enim & insolitæ lucis splendor oriturus, nouaque forma diuinæ legis, & cęlestis Reipub. effingenda promittebatur) sineret sempiterna manere, vt nulla temporis iniuria deleri, nullo impetu labefactari possent; ita etiam Apostolorum semẽ, & nomen clarissimum sempiternum efficeret. Quo euidenter Ecclesię perpetuitas, & Pastorum continua successio, ac veluti quædam spiritus propagatio ad finem vsque sæculi futura à Domino promissa demonstratur.

2.Cor.cap.5. Ex his ergo omnibus ita manifestis aliquid tandem in hunc modum colligamus. Lux mundi est fides in Christum: *Per fidem enim,* ait Paulus, *ambulamus, & non per speciem:* & Dauid, *lucerna,* inquit, *pedibus meis verbũ tuum, & lumen semitis meis.* Hominũ vita in tenebris adeò versatur, vt longissimè ab eo fine, quẽ ipsi sibi proponunt, aberrent: & dũ felices ac beati fieri studẽt, in extremas miserias detrudãtur. Quod tamen illis euenire non solet, qui in verbum Dei aciem mentis intendunt: illud enim clarissima lux est, quę ad Deum dirigit: &, non solùm in credendis, sed etiam in agendis ducatum nobis præstat, ne vspiam offendamus; ne à recta vnquam declinemus, ne erroribus turbulentis implicemur; ne vllo metu impediamur, quominus ad cælestem patriam euolemus. Huius verbi, & doctrinæ cælestis, & fidei sanctissimæ annunciator est Christus magistrorum omnium præstantissimus, cuius ministri sunt primum Apostoli, deinde eorum successores, quibus ille se vsque ad mundi consummationem affuturũ promisit.

Ps.118.

Inter

Inter Apostolos primus fuit Petrus fratrum suorum confirmator, cui Christi grex commissus est, quia eum maiore, quàm alij, amore prosequebatur. Christus etsi pro omnibus Apostolis, & quibuscunque alijs, qui ab Apostolis ad fidem & religionem suam adducendi erant, Sempiternum Parentem orauit, tamen ordine quodam voluit preces suas effectum sortiri. Nam cùm Satanas cuperet cribrare omnes Apostolos, ipse non æqualiter pro omnibus precatus est, sed soli Petro dixit: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Quid ergo de alijs Apostolis fiet? Audi quid Dominus eidem Petro dicat, *Et tu confirma fratres tuos*. Ecce mirificum ordinem à Deo constitutũ habemus iam ante omnium oculos propositum. Deus enim confirmat Christum, quatenus hominem: Christus Petrum, vt Apostolorum primum: Petrus Apostolos, vt collegas suos: Apostoli reliquos, qui sub Christi vexillis militant. At qua in re confirmat Petrus Apostolos? Vtique in fide. Nam cùm Christus pro fide Petri roget, eique præcipiat, vt fratres suos confirmet, id de nulla alia re, quàm de fide intelligi potest, in qua ipse illos erat confirmaturus. Petro, vt manifestè ostendimus, successit Romanus Pontifex, qui eandem quam ille authoritatem retinet. Hic ergo ex Christi præcepto est omnium Antistitum, & reliquorum Christianorum in fide confirmator: hic inter omnes, qui Christum annunciant, maximè est lux mundi, sal terrę, & lucerna super candelabrum posita, quæ lucet omnibus, qui vel domi sunt; vel domum ingrediuntur. Cùm verò Christus vera lux, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, hoc ordine disponat, & gubernet Ecclesiam suam; per Euangelij autem promulgationem fides conseruetur & propagetur; & à summo fidei præcone Ecclesia maximè pascatur, & administretur: profectò cùm Christi instituto, & consilio optimè cohæret, & ipsa recti regiminis ratio postulat, vt illi Summo Pastori, pro cuius fide Christus rogauit, Ecclesiæ gubernatio in summo gradu committa-

Luc. cap. 22

Ioan. cap. 1.

Rom. c. 10.

mittatur, à quo certiſsima fidei, & religionis diſciplina vſque ad mundi interitum inſtituatur; & qui nullo modo ipſam in errorem aliquem, vel minimũ, poſsit impellere.

Nemini verò hoc mirum videri debet. Quis enim ignorat, Deum nec in ſuperfluis abũdare, nec in neceſſarijs deeſſe? En hæc illa eſt magni huius myſterij ratio. Promittit Chriſtus Simoni noui hominis impoſitionem: non tamen nouo illum nomine prius appellauit quàm ei muneris ſui fungendi oblata eſt occaſio; & ipſe perſonam Principis cæterorum omnium, qui Chriſti militiæ vel aſcripti iam eſſent, vel aſcribendi forent (quod nomen petræ indicabat) ſuſtinere potuit. Quemadmodum enim, ante omnium membrorum compactionem, & perfectam totius corporis compoſitionem, ſuperfluus videtur capitis vſus; ſic compactum, & coagmentatum corpus, cui caput deſit, tanquã monſtrum quoddam natura ipſa abhorret. Chriſtus ergo de nouo corpore myſtico Eccleſiæ ſuæ componendo ex multis ac diuerſis inter ſe partibus, in vnum tamen mutuò conſpirantibus, cogitans; ne vel in re ſuperflua abundaret, vel in re adeò neceſſaria deficeret, ſimul de corpore & capite prouidit. *Et aſcendens,* inquit Marcus, *in montem vocauit ad ſe quos voluit ipſe: & venerunt ad eum. Et fecit vt eſſent duodecim cum illo: & vt mitteret eos prædicare. Et dedit illis poteſtatem curandi infirmitates, & eijciendi dæmonia. Et impoſuit Simoni nomen Petrus.* Cùm, inquam, aſcendiſſet Ieſus in montem vicinum ſtagno Genezareth, electurus Apoſtolos, quorum officio & diligentia vteretur in Euangelio Iudæis tunc, & poſteà alijs Gentibus edendo, pernoctauit in precibus cõmendans Deo electionem illam. Poſtera autem die ex ijs qui ſe diſciplinæ ipſius tradiderant, quoſdam vocauit, è quorũ numero duodecim elegit, eiuſdem miniſterij Euangelici conſortes; quibus ſpiritum authoritatemq. ſuam impertitus eſt, ad miniſterium obeundum. *Et impoſuit Simoni nomen Petrus.* Paulus ad Corinthios ſcribit omnes antiquos Patres fuiſſe, Deo ita diſponente, ſub nube illa, partim

Mar. c. 3.

1. Cor. c. 10.

tim lucida, partim obſcura, quod mirabile arcanum continebat; omnes mare tranſiuiſſe illæſos; omnes euaſiſſe Pharaonis manus: omnes in Moſe fuiſſe baptizatos in nube, & mari: omnes eandem eſcam diuinitus miſſam, id eſt, mãna illud ſpiritualis ſignificationis myſterio admirabile comediſſe: omnes eundem potum, ſpiritualis refectionis ſignum bibiſſe: *Bibebant autem*, inquit ille, *de ſpirituali, conſequente eos, petra autem erat Chriſtus*. Sanè hic potus erat aqua ex petra emanans, quæ, ſpirituale quiddam deſignans, eorum iter ſequebatur: ſed certiſſima ſignificatione petra illa Chriſtus erat. Hæc autem aqua nunquam, vt ait Philon, Dei populo defuit; quamdiu per vaſtam illam ſolitudinem iter fecit. Vt ergo quondam vis aquæ ex petra profluxit, quæ non ſolùm populi tunc extremè laborantis, ſed etiam toto tempore, quo in deſerto ille commoratus eſt ſitim extinxit, & amœniſſimam viriditatẽ ex aridiſſima tellure elicuit, totamque illam terræ ſuperficiem, quam alluebat, herbarum, atq. plantarum inſolito cultu veſtiuit: ſic diuinæ gratiæ perennis quidam fons è petra, qui Chriſtus eſt, ſempiterna firmitate fundata in ſumma totius orbis vaſtitate, iã inde à primis Eccleſiæ initijs manat miniſterio alterius petræ, quæ, fidei ſtabilitate cælitus accepta, immobilis perſiſtit, & non modò ſitim leuat; verùm etiam omnes terras vitiorum aſperitate vaſtatas, & arefactas, aquis in omnes partes deductis, arboribus, & herbis lætiſſimis, amæniſſimiſque virtutum omnium viridarijs exornat, *Quia ſciſſæ ſunt*, inquit Eſaias, *in deſerto aquæ & torrentes in ſolitudine, & quæ erat arida in ſtagnum, & ſitiens in fontes aquarum.* Nam Euſebius, & Theodoretus (vt alios nũc ego omittam) hos fontes, hos fluuios, hanc innundantis aquæ copiam, doctrinam Euangelicam ſignificare putãt: eremum verò, mundum ipſum eſſe dicunt, qui arebat, & vitijs ſeneſcens, & putridus, nullos fructus omninò producebat. Idem Cyrillus ait: ſed tamen fontem aquæ ipſum Chriſtum Saluatorem noſtrum interpretatur, qui fons eſt

Eſa cap.

Euſe. lib. 6. Euãg. dem. c. 21. & lib. 9. c. 6.

vitæ, & aquæ viuæ puteus. Ex quo vt in terris olim Apoſtoli cæleſtis doctrinæ aquam hauſerunt quidem; ſed præcipuè Petrus, cui iniunctum fuit, vt cæteros in fide, & religione confirmaret: ſic inde, vita functo Petro, eius ſucceſſores Pontifices Romani, ex diuina promiſſione ſibi facta Spiritus Sancti beneficio Euangelicam veritatem limpidiſſimam, & ab omni contagione omninò liberam, ac diuinam prorſus ſapientiam exhauriunt ad Eccleſiæ vtilitatem, & hæreſum, ac vitiorum omnium extirpationem Quod optimè perpendens Arnobius (nec enim nos pudet vnam eandemque ſententiam frequenter referre) dicit vniuerſa flumina, quæ ſunt in vaſta huius mundi ſolitudine in hodiernum diem à Petro benedici; eumque eſſe exitum aquarum in ſitim, ita, vt, qui ab Eccleſia Petri foras exierit, ſiti maxima preſſus pereat.

In Pſ. 106.

Vnde ergo tanta dementia cæpit aduerſarios, vt, cùm Summorum Pontificum, qui Chriſti in terris vices gerũt, hæc certiſſima ſit prærogatiua, nos, qui Catholici ſumus, ſibilis proſequantur, & populorum inuidiam & odium acerbiſsimum in nos ſtruant & concitent, quòd credimus, & docemus Romanos Pontifices in iudicio fidei, & in tradenda morum norma minimè vnquã errare poſſe? Cæci ſunt, & duces cæcorum: in meridie lucem, & montem illum, qui Chriſtus eſt, non vident: tanquam temulenti in petram, & rupem firmiſsimam offendunt. Sed ſi tandem hanc deplorandam cæcitatem exuerint: (da Chriſte, vt aliquandò voti compotes fiamus?) &, in captiuitatem redigentes intellectum, in obſequium fidei, diligenter contemplari inceperint eam Chriſti orationem, non fruſtra à nobis toties inculcatam, *Petre Satanas expetiuit vos vt cribraret, ſicut triticum; & ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua;* non amplius negabunt ita Spiritum Sanctum Romano Pontifici Petri ſucceſſori, & Chriſti Vicario adeſſe quoties ille ad fidei iudicium accedit, vt à recto veritatis tramite aberrare non poſsit. Sed nobiſcum fatebuntur fidem

Luc. c. 22.

dem

dem Petri, pro cuius conſeruatione Redemptor noſter Parentem ſuum orauit, nunc etiam vigere, qua ipſe in ſucceſſoribus ſuis fratres, quos in Eccleſia habet, confirmat. Nã Deus ſibi ipſi, propoſitoque ſuo nunquam deeſt, nec vnquam donorum ſuorum eum pœnituit ſola enim pietate, & munificentia ſua mouetur, vt hæc agat, & præſtet: ideòque propoſitum & conſilium Dei priſtinum vehementer vrget, vt quemadmodum ille quondam voluit, vt fides, quam dono Apoſtolorum Principi, ad confirmandos collegas ſuos, dedit, tunc non defecerit: ſic etiam nunc, cũ Apoſtolis alij Paſtores & Doctores ſucceſſerint, qui magis quàm illi, confirmatore indigent, eadem fides apud Petri ſucceſſores perpetuò maneat, vt ipſi conſtantes in ea reddant Doctores, & Paſtores, quos proculdubiò fratres ſuos eſſe probe cognoſcunt.

Præterea, quis adeò rerum diuinarum, & antiquitatis ignarus eſt, vt neſciat Chriſti Eccleſiam eadem prærogatiua frui debere, qua olim Iudæorum Synagoga fruebatur? Nullus profectò. At Deus poſt tempora etiam Moſis inſtituit ſummum quoddam Pontificis maximi tribunal; quo non vulgares cauſas, ſed eas, quæ ob difficultatem, & grauitatem à minori iudice expediri non poſſent, deferri iuſſit. In quo tribunali etſi Leuitæ & Sacerdotes ſedebant, tamen ſummus Sacerdos primus erat iudex, qui vel ſolus in ſententia ferenda tantam authoritatem habebat, vt nemini ab eo, quod ille decreuerat, recedere liceret: quia eius iudicium certiſſimum, & veriſſimum fore promiſerat Deus. Nam apud Malachiam inquit: *Pactum meum cum Leui, lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non eſt inuenta in labijs eius. In pace & æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate.* Cur hoc? *Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiã, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt.* Vbi Hieronymus, & Cyrillus, nec non peritiſſimi quique Hebræorum, in Leui, non Aaronem, aut certum aliquem Sacerdotem (quod Theodoretus exiſtimaſſe viſus eſt) ſed

CAP. IIX.

Deut. c. 17.

Mal. c. 2.

genus Sacerdotale significari volunt. Nam solent sacri diuinæ historiæ scriptores Israelem pro omnibus Israelitis,

Iud. c. 17. Iudam pro tota tribu Iudæ, Leuim caput familiæ Sacerdotalis pro tota familia ponere. Hinc est illud Michæ, *Benefaciet mihi Deus habenti Leuitici generis Sacerdotem:* vt Hebraicè est. Siuè, *quoniam fuit mihi Leuita Sacerdoti:* quod habet Paraphrasis Caldaica. Quam sententiam septuaginta viri sic interpretantur. καὶ εἶπεν μιχὰ, νῦν ἔγνων ὅτι ἠγαθοποίησέν μοι κύριος, ὅτι ἐγενήθη μοι ὁ λευίτης εἰς ἱερέα. *Et dixit Micha: Nunc cognoui, quòd benefecit mihi Dominus: quoniam factus est mihi Leuites in Sacerdotem.* Cum hac vero Leuitica familia, cùm eam Sacerdotio insigniuit, hoc fœdus pepigit Deus, vt ab ea Sacerdotalem dignitatem minimè auferret, sed continua successione in ea duraret, donec Christus Sacerdotium suum secundum ordinem Melchisedechis in ea ciuitate institueret, quam sibi erat ædificaturus. Sic enim illud, quod de

Num. c. 25. Phinee dixit Dominus, intelligendum est: *Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quam semini eius pactum Sacerdotij sempiternum.* Qui autem ex Leuitico genere hoc Sacerdotium obierunt, tam veram doctrinam semper tradiderunt, etsi vita aliquandò dignitati non responderit, vt neminem vnquam deceperint, aut à cultu summi Dei callidè reuocauerint: sed potius sanis exhortationibus, & synceræ disciplinæ præceptis à scelerum perpetratione retraxerint multos, qui cæco impetu in animorum interitum ferebantur.

Hier. in cō. Pro. c. 10. Quod quidem, sicut Hieronymus significauit, ita propriū Sacerdotis munus est (cuius os vena vitæ à Salomone dici videtur) vt partes erant Dei populi, non aliunde, quàm ab ore Sacerdotis legis arcana, & diuinæ sapientiæ responsa haurire. Vnde Dominus Aaronem alloquens inquit:

Leuit. c. 10. *Vinum & omne quod inebriare potest, non bibetis tu, & filij tui, quandò intrabitis in tabernaculum testimonij, nè moriamini, quia præceptum sempiternum est in generationes vestras, & vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & profanum; inter pollutum, & mundum; doceatisque filios Israel omnia legitima mea, quæ loquutus est Dominus ad*

eos

eos per manum Moysi. Bernardus ad Summum Pontificem Eugenium ſcribit legem, non autem nugas, ex ore Sacerdotis requirendam. Vbi, legis nomine, non id intelligit, quod ſcriptura apertè tradit, vel ipſa ratio demonſtrat, hoc enim nec præceptorem poſtulat, nec auerſorem patitur; ſed quod dubium eſt, vtrum Deus ſic, an aliter fieri velit. Cyrillus verò affirmat, ſub nomine legis contineri notitiam omnium, quæ ad benè, beatèque viuendum exiguntur. Populo igitur præcepit Deus vt legem veritatis ab ore Leuitici Sacerdotis perquireret; in cuius labijs, non quidem iniquitatem, ſed ſynceram veritatem repertam fuiſſe, idem Dominus teſtatur: adeò certè, vt etiam Caiphas, etſi flagitioſus vir, vaticinatus fuerit, quia erat Pontifex anni illius. Nec apud Malachiam Spiritus Sanctus aliam rationem aſsignauit, cur Leuiticus Sacerdos tãtam habuerit authoritatem in tradenda doctrina, & in aperiendis abſconditis legis ſacramentis, quàm quòd Angelus Domini exercituum eſſet. Vbi Hieronymns, cùm optimè vertere potuiſſet, nuntius, conſultò tranſtulit Angelus: vt oſtenderet Sacerdotem non ſolùm Angelum dici: quia voluntatis Dei nuntius, & interpres eſt: verùm etiam: quia, vt ait Cyrillus, refert hominibus oracula diuina, nihil addens, aut ſubtrahens: ſed ſicut à Deo accepit: quod vt Angelis proprium eſt; ita non quibuſuis nuntijs commune cenſetur.

Ber. lib. 2. de conſid. & li. de diſp. & præc.

Ioan. c. 11.

Si ergo res ita ſe habet, vt quamdiu Synagoga durauit, priuati homines, ac iudices etiam minores è Summi Sacerdotis iudicio pependerint, quia Angelus Domini erat: ſi ratio eius rei certa eſt, ita vt nemo vnquam inter mortales extiterit, qui de ea vel tantillum dubitauerit; Si Chriſtus generis humani reparator & eiuſdem Dominus Moſe inferior non eſt; imò ſi Deus iam olim illud beneficium Synagogę contulit, tanquam familiæ ſuæ; ſi non minori Eccleſiam Chriſtianam, quã ipſam olim Synagogam, amore proſequitur; ſi Chriſtus ita in Eccleſia ſua habet Ange-

lum

lum & nuntium suæ voluntatis, vt in veteri fuit Synagoga: si fieri non potest, vt Angelus Domini in aliquem incidat errorem: si Petrus inter Christi Angelos primus extitit, & cæteros dignitate, & authoritate antecelluit: si Pontifex alius esse non potest, qui Petro, pro cuius fidei conseruatione Christus rogauit, successerit, quàm Romanus: si nullus alius tot hæreses repressit, & extinxit, & tot homines in Christi fide adunauit, & custodiuit: quis erit, qui affirmare non audeat hunc Christi Angelum, hunc noui testamenti Sacerdotem, qui in Cathedra prædecessoris sui Petri sedet, non posse in fidei iudicio quicquam errare? Negent licet hoc nouatores, opponant se, quantum volent, tartareæ potestates, ministros suos excitent & commoueant, machinas & bellica tormenta adhibeant, oppugnent pro libidine sua Romanam sedem: certè veritas est Christus, ipse firmiter & constanter dixit:

Luc. 6. 22. *Petre Satanas expetiuit vos, vt cribraret, sicut triticum, & ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua, & tu aliquandò conuersus confirma fratres tuos.* Dixit, inquam, & ita est, quia mentiri veritas nō potest. Propterea nos eius testimonio muniti credimus, & affirmamus Episcopum Romanum Petri successorem nec labi posse, nec vnquam lapsum fuisse in exponenda reliquis Episcopis fide; nec alicuius hæresis, aut deprauatæ opinionis authorem extitisse: nec alicui hæretico suam præbuisse authoritatem ad aliquam hæresim promulgandam. Petrum enim ex Euangelica historia didicimus non minus, quàm alios Apostolos, in successoribus suis viuere, & victurum vsque ad huius mundi ruinam, & Christum cum illis semper esse: & propterea Christi consilium fuit Reipub. suæ Petri successores præficere, qui, vt Petrum, sic etiam eos ab omni erroris lapsu in fidei & religionis iudicio liberos conseruat.

Sed quanquam hæc certissima sunt; tamen ille falsæ opinionis, & priuati consilij improbissimus spiritus, qui ab initio mundi mentes hominum inuasit, in id perpetuò

incum-

incumbit, vt eos à diuinæ obedientiæ recto tramite depellat,& à diuina doctrina advaria studia traducat,& in profundissimas tenebras releget. Constans certè, & perpetuum est Dei propositum circa genus hominum quos ipse ad imaginem & similitudinem suam effinxit: constans ad Israelem suum ornandum,promouendum,& amplificandum: constans ad eos cælestibus donis locupletandos, & Spiritus sancti præsidio muniendos, qui Christo filio suo sub signis Apostolorum, & eorum successorum militaturi erant. Sed vt Israel, in quem Deus tantum beneficium contulerat,à vocatione sua,& ab illa perenni contestataq. virtute patrum suorum nimium degenerans, dum sibi sapiens videbatur,Dei pactum violauit, & præceptum trãsgressus est,quo sibi magnum peperit malum: sic etiam nostra hac tempestate, (vt quæ antiquiora sunt silentio obuoluam) nouatores quidam Satanæ discipuli magnam sibi inuexerunt perniciem,dum cuiusdam inanis sapientiæ laudem ambientes à maiorum nostrorum institutis declinarunt: Dei præceptum neglexerunt, eius consilium parui fecerunt, ac diuina omnia vsque adeò contempserunt, vt etiam diuinum ordinem totum disturbare moliti sint. Tanta enim auiditate & insania suos proprios sensus sunt sequuti,vt communem fidei regulam despectui habeant, Euangelium,& vniuersam Sacram Scripturam,quam cæco quodam furore adulterarunt, ad libidinem suam fouẽdam detorqueant. Quemadmodum verò impudicæ fœminæ,postquam fidem honestis proprijsq. viris datam semel fefellerunt, in turpes amplexus ruere, & mille adulteria perpetrare solent: & non modò sana consilia & monita reijciunt,sed etiam, præ libidine, & impotentia amoris, quo in furorem illum mente captæ rapiuntur, commoda omnia postponunt, pericula & incommoda contemnunt: sic isti,quàm primùm Romano Pontifici (quem Christus vice sua sponsum Ecclesiæ suæ dedit, & veluti amoris sui Vicarium instituit) fidem datam fœdè violarunt(cùm do-

ceamur

ceamur authoritate nutuq. diuinæ & humanæ legis domitas habere libidines, & coercere omnes cupiditates) non solùm non duxerunt pudori sibi consulēdum fore, verùm etiam nefarias effusarum in omni intemperantia libidinũ contumelias, turpitudinesq. subierunt. Et qui fateri non audent, Romano Pontifici successori Principis Apostolorum, ob tanti muneris dignitatem & amplitudinem, fidei certitudinem in docendo à Christo fuisse concessam; nec æquo animo ferre possunt, vt is, quem hominem esse sciũt, tanta polleat authoritate, vt, in grauissimis fidei, & religionis nostræ causis, eius iudicio & sententiæ non modò Christianorũ populis, sed alijs etiam Episcopis standũ sit: nõ dubitant (proh pudor & dolor) salaces quosdã homines qui nemini successerunt, sed à seipsis missi sunt, tanquam deos colere, & eorum placita, quasi diuina quędam oracula, amplecti & suspicere. Vt iam non sine causa nunc de his dicatur, quod de Israelitis quondam dictum fuisse legitur: *Suscitauit Dominus iudices, qui liberarent eos de vastantium manibus. Sed nec eos audire voluerunt, fornicantes cum dijs alienis, & adorantes eos. Citò deseruerunt viam, per quam ingressi sunt patres eorum: & audientes mandata Domini, omnia fecere contraria.* Contemnunt legitimam Romanorum Episcoporum successionem, quorum est synceram & certissimam religionis Christianæ disciplinam tradere, & labentes in errorem aliquem ad veritatis tramitèm reducere, sicq. è cacodæmonis potestate, qui animorum interitum, nullo puncto temporis intermisso, molitur, strenuè vendicare: & Luthero, Caluino, Brētio, Petro Martyri, Theodoro Bezæ, horumq. sectatoribus perfidis & obscænis hominibus instituendos tanta submissione se totos tradiderunt, vt præ illorum placitis vniuersam etiam Sacram Paginam partim corrumpant, partim temerè reijciant. Ecce qui regendos & Euãgelica disciplina imbuendos non audent Romano Pontifici se committere, quia homo est, quamuis exploratum sit, ei fidem docenti Spiritum sanctum adesse, cuius numine fo-

Iud.c.2.

ne fouetur, ne à vero poſſit aberrare: audacter hominibus impuriſſimis ſe erudiendos tradunt, quibus tantam fidem adhibent, vt eorum placita, pluris, quam Apoſtolicam doctrinam, facere non dubitent. Quò fit, vt illud Iuuenalis de illis fæminis, quæ coniugali fide contempta, adulterio ſe polluerunt, in eos iactari poſſe videatur.

——————Iuſta pericli
Si ratio eſt, & honeſta, timent, pauidoque gelantur Iuue.Saty.6
Pectore, nec tremulis poſſunt inſiſtere plantis.
Fortem animum præſtant rebus, quas turpiter audent.
Si iubeat coniux, durum eſt conſcendere nauim.
Tunc ſentina grauis, tunc ſummus vertitur aer:
Quæ mœchum ſequitur, ſtomacho valet; illa maritum
Conuomit, hæc inter nautas & prandet, & errat
Per pupim, & duros gaudet tractare rudentes.

Atqui natura rei, ratioque apertè docet Summi Pontificis placita, & de rebus ad religionem ſpectantibus decreta in perpetuum conſtituta, vni præcipuo fundamento inniti, videlicet ſapientiæ, & virtuti Omnipotentis Dei, & Filij eius Ieſu Chriſti; qui cùm omnia gubernet, ſicut olim, dū in terris vixit, multis ſignis & miraculis ſe Regē, & Deum peculiariter ijs oſtendit, per quos Eccleſiam ſuam prouidè moderabatur: ita poſteà ſe doctorem ſic exhibuit, vt nos, qui audacter fatemur Romanorum Pontificum ora, & mentes diuinitus informari, cùm fidei controuerſias dirimunt, ipſius prouidentiæ, & Sanctiſſimi Paracleti ſubſidijs, quicquid ab illis de religione decernitur, & omnem, qua eminent, authoritatem, & fidei certitudinem aſsignemus. Nec verò illi minus officium præſtant optimorum patrum, qui liberos, quos aliàs fouerunt, inſania poſteà laborantes virgis, minis, terroribus, & nonnunquam monitis curare contendunt; quàm paſtorum partes ſuſtinent in puniendis ouibus, quę vocem ſuam, & ſuauem cantum neglexerunt. Verùm hi, qui humanæ cuiuſdam aſtutiæ vi, & inanis magis, quàm ſolidæ ſapientiæ rationibus im-

pelli ad agendum ſolent, Romanorum Pontificum, omni Dei timore depoſito, authoritatem adeò contempſerunt, vt nec eorum monitis, & præceptis obtemperauerint, nec minas & ſupplicia perhorruerint: ſed pro ſapientiſsimis Doctoribus, imperitiſsimos magiſtros aſſumpſerint: pro parentibus charitate in filios inflammatis, crudeles hoſtes elegerint: pro Chriſto vero Dei filio Lutherum, vel quēpiam alium ſpurcitia refertum hominem amplexati ſint. En, proh Summe Deus, hi qui præ libidinis impotentia non audent ſe Romanis Pontificibus Petri ſucceſſoribus, Chriſti Angelis tradere regendos, & cæleſti doctrina excolendos; deſerentes viam notam, tritam, probatam, & exploratam, non ab alienis & ignotis, ſed per quam olim patres noſtri inceſſerunt quibus in toto vitæ curriculo vnica tantum fuit cura in omni tum communis, tum priuatæ vitæ conſilio à propoſitis & ſancitis legibus, atque à noui fœderis à Deo cum hominibus initi ratione nō diſcedere) temerè ſibi aſſumpſerunt in duces, nō Chriſti Angelos, à quibus rectà duci poterant, ſed cacodæmonis miniſtros, quibus prçuijs, ingreſsi ſunt vias inextricabiles, æſtuoſas, & aſperas: nec ſibi vllo modo timent, quamuis infeſtiſsimis hoſtibus ſe ſe crediderint: Adeo

Fortem animum præſtant rebus, quas turpiter audent.

Quæ, amabo, maior, quàm hæc inſania excogitari poteſt? Eius regimen & præfecturam perhorreſcunt, cuius fidem certam, & conſtantem in docendo futuram Chriſtus promiſſit: illorum autem dominatum & tyrannidem non timent, qui non modò poſſunt, & ſolent in fide errare, ſed etiam ab ea deficientes, alios penè innumeros in eandem ſecum perniciem trahere conſueuerunt. Quod euidentius ſtultitiæ ſignum, quàm eos, qui datam Romanæ Cathedræ fidem violarunt, tanquam diuinum numen colere, & ab ijs paſci velle, quos, vtpotè cæleſtium rerum ignaros, inanium verò & caducarum amatores, optimè norunt nō gregem paſcere, ſed occidere; non plebem amore ad Chri-

ſtum

ſtum allicere, ſed odio à Chriſto abducere: templa Chriſti, ſacra vaſa, opes Eccleſiaſticas, ac ipſum Chriſtum ſibi inaudita quadam impietate ſubijcere moliri; & denique quicquid ad Dei cultum vel à Sanctiſſimis Pontificibus, vel etiam ab ipſis Apoſtolis inſtitutum fuit, turpiter deformare ſub callida delendæ ſuperſtitionis ſpecie?

Antiqui & cordati viri illos inprimis felices iudicarũt, qui ſponte ſua ſaperent, & ſecundo loco eos addiderunt, qui ex aliorum conſilio aut exemplo ſapientes euaderent: illos autem infelices cenſuerunt, qui nec per ſe ſaperent, nec ſapientium vterentur conſilio: eos verò omnium miſerrimos prædicarunt, qui ex alieno periculo ſibi cauere neſcirent. Salomon certè inquit neminem vllo modo ſapientem futurum, præter eum, quem diuinus ſpiritus erudierit: cùm vniuerſa natura nullis proprijs viribus opes diuinas comparare poſſit; inter quas, quid magis excellat, quàm ſapientia, animo cogitari non poteſt. Is ergo ſolus ſapientiam nanciſcetur, qui Deum vitæ magiſtrum habebit. Habebit autem, qui illius ſanctiſſimum numen, quo decet, animi candore venerabitur: qui horrenda illius iudicia non fictè pertimeſcet: qui religioſa formidine perculſus mentem à ſceleribus auocabit, & manus à perpetratione flagitij continebit: atque ita ſe geret in moderando animi ſui ſtatu, vt nihil magis, quàm Dei offenſionem metuat: eſt enim timor Dei firmiſſimum ſapientiæ fundamentum. Quo conſtituto ſequitur eos, qui nimium viribus ingenij ſui fidunt, qui iuſtitiam, & omne probitatis genus irrident, qui denique, tantum abeſt, vt ſe vllius conſilio indigere putent, vt potius ſibi perſuadeant ſe poſſe conſilio & ſapientia vniuerſo terrarum orbi imperare, non ſolùm inſipientes eſſe, verùm etiam, quamdiu hoc morbo laborabunt, nulla omninò ſpe acquirendæ ſapientiæ, cuius præcepta deſpiciunt, ali poſſe. Tales igitur cùm ſint iſti falſorum dogmatum fabricatores, & eorum aſſeclæ, minimè profectò mirandum eſt, ſi in peſtem ante oculos

Pro. c. 1.

grassantem sponte sua feruntur. *Frustra* quidem, vt inquit
Pro. c. 1. Salomon, *iacitur rete ante oculos pennatorum:* & ideò impij homines, qui cupiditate obcæcati in miserrimas calamitates ruunt, iure optimo amentissimi existimandi sunt: quia quamuis oculos habeant perspicaces, & ingenio, & industria valeant, qua, tanquam alis, erigi possint, vt insidias euadant: tamen sicut aues incautæ & improuidæ, quæ in rete, quod cernunt inuolant, ipsi in funestum exitium ante oculos positum se se præcipitant.
Ibidem *Vsque quo paruuli diligitis infantiam, & stulti ea, quæ sibi sunt noxia cupient, & imprudentes odibunt scientiam.* Hebræa sic rectè verti possent. *Quousque stolidi stoliditatem diligitis, & illusores sibi illusione placent, & stulti scientiam odio habent?* An non stulti, & illusores illi sunt, qui cùm maxima amentia detineantur, sibi tamen multum tribuunt, & insulsissima dicacitate subnixi sapientiæ sectatores irrident? Summum profectò stultitiæ genus est vera bona despicere, & viros sanctimonia insignes ludibrio habere. Quid dicam eos odio acerbissimo prosequi? O miseri, o infelices hæretici, qui vitam in vanis studijs consumunt, neque mentes vnquam ad cogitationem sempiternæ felicitatis erigunt? O stulti, & stolidi, qui cùm execranda mentis cęcitate laborent, se omnium sapientissimos iactitant, & eos, qui veram sapientiam nacti sunt, & quos Spiritus Sanctus mirificè fouet & instruit, insipientes prædicant.
Pro. c. 1. *Cùm irruerit repentina calamitas, & interitus, quasi tempestas ingruerit: quandò venerit super vos tribulatio, & angustia: tunc inuocabunt me, & non exaudiam: mane consurgent, & non inuenient me: Eo quod,* inquit idem Salomon, *exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquieuerint consilio meo, & detraxerint vniuersæ correptioni meæ. Comedent igitur fructus viæ suæ, suisque consilijs saturabuntur. Auersio paruulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet illos.* Quod cùm miseris continget, tunc malo suo discere incipient, quanto furore, & quanta amentia incensi non se tantum perturbauerint; verùm etiam vniuersam Christianam Rempub.

euer-

euertere fuerint moliti. Sed iam aliò transeamus, & quo illi prætextu impietatem suam velare contendant, breuiter dicamus.

CAP. IX.

POtest, inquiunt, Romanus Pontifex in auaritię, superbiæ, & lasciuiæ scelus, vt res ipsa comprobauit, incidere: Cùm autem Paulus dicat quosdam circa fidem naufragium fecisse; quia scelerùm turpitudine se contaminarunt; consequens (colligunt illi) est posse Summum Pontificem ex auaritia, vel quouis alio scelere in tantam impietatem labi, vt hęresim authoritate sua foueat. Quod Hieronymus sensisse videtur, qui obiecta sibi Romanę Ecclesiæ consuetudine, sic inquit in ea, quam ad Euagrium scripsit, epistola: *Si authoritas quæritur, orbis maior est vrbe. Vbicunque fuerit Episcopus, siue Romæ, siue Constantinopoli, siue Alexandriæ, eiusdem meriti, eiusdem est & Sacerdotij. Potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit. Cæterum omnes Apostolorum successores sunt. Quid ergo mihi profers unius vrbis consuetudinem? Quid paucitatem de qua ortum est supercilium in leges Ecclesiæ vindicas?* Hieronymo adstipulatur Ambrosius, qui, cùm eadem sibi consuetudo opposita fuisset, ita loquutus esse legitur: *In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam: sed tamen & nos homines sensum habemus; ideò quod alibi rectius seruatur, & nos rectè custodimus. Ipsum sequimur Apostolum Petrum, ipsius inhæremus deuotioni. Ad hoc Ecclesia Romana quid respondet? Vtique ipse author est nobis huius assertionis Petrus Apostolus, qui Sacerdos fuit Ecclesiæ Romanæ.* Quod si Hieronymus, & Ambrosius, instant ipsi, ita facilè reijciunt Ecclesię Romanę instituta: non est, cur morum regulam à sede Apostolica pręscriptam sequi debeamus.

Hierony. ad Euag.

Amb. lib. 3. de Sacr. c. 1.

Scio equidem Gersonem, & Almainum, quos sequuti sunt Adrianus, & Thomas Vualdensis, (quamuis posteà rectius mentem suam aperuerit,) adductos his potissimū argumentis sibi persuasisse veram esse hanc opinionem; cui fauere videtur Gratianus: & ab ea non abhorret Cardinalis à Turre cremata, etsi alibi contrariam sententiam ipse

Adr. in 4. de conf. q. ult.
Vual. lib. 2. doct. fid. c. 19
In lib. de sacr. doct. 10.
Gra. 19. dist. c. hoc autē intelligēdū.
Tur. lib. 4. p. 2. ca. 16. & lib. 2. c. 109. & 110.

ipſe probauerit. Hanc Eraſmus, hanc Lutherus, hanc Caluinus, & cæteri Reipub. Chriſtianæ perturbatores libentiſſimè amplectuntur.

Non tamen eſt difficilè omnes aduerſariorum machinas euertere, & à temerarijs impiorum hominum conatibus Romanæ ſedis authoritatem, & fidei certitudinem atque conſtantiam vendicare. Sed antequam hoc aggrediar, operæ pretium erit de vno vel altero Catholicum lectorem admonere. Ac primum illud eſt, nec huius loci, nec inſtituti noſtri eſſe, deprauatos Vrbis Romanæ mores, ſi ex hac cauſa fortè laborauerit, defendere: alterum verò eſt, vrbem hanc (quæ caput orbis eſt, vbi Petrus ſedem ſuã conſtituit, & Clemens VIII. Sanctiſſimus Pontifex nunc ſedet, qui extirpandis ſceleribus, & moribus efformandis totus incumbit, longè aliter eſſe à Catholicis reprehendẽdam, ſi quę in ea vel minus rectè agantur, vel etiam aliquibus vitijs abundet, quàm ab hæreticis fieri ſolet, qui non quòd Catholicorum peccatis offendantur, ea commemorant, ſed quòd illorum honori & gloriæ amplitudini turpiter inuideant, illos contumelijs & opprobrijs afficere conantur. Inuidia enim, (quam Ariſtoteles triſtitiam eſſe dixit in apparenti alicuius felicitate) cuncta bona, inquit Iſocrates, ardore peſtifero deuorat. Vnde Ouidius, inuidiam deſcribens, hæc carmina excelſo quodam mentis inſtinctu fudit.

Ariſt. lib. 2. Top.

Iſoc. in Syno.

Lib. 2. metamorph.

Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto:
Nuſquam recta acies: liuent rubigine dentes:
Pectora felle virent: lingua eſt ſuffuſa veneno.
Riſus abeſt, niſi quem viſi fecere dolores,
Nec fruitur ſomno, vigilantibus excita curis.
Sed videt ingratos, intabeſcitq. videndo,
Succeſſus hominum, carpitq. & carpitur vna;
Suppliciumq. ſuum eſt. ————

Sunt quidem illi Chamo ſimiles, qui cùm vidiſſet pudenda patris ſui nudata, è cubiculo ad fratres cucurrit, vt quod

viderat

viderat nunciaret. Nuditatem itaque & turpitudinem patris ſciens & libens aſpexit, cum contemptu irriſit, diuulgauit, & fratres ſuos in idem ſcelus impellere conatus eſt: (quot in vno facto crimina apparent) ac denique tã fœdo paternæ nuditatis ſpectaculo lætatus eſt. Ecquid mirum? Improbus enim erat, & aliorum erratis, tanquam ſuorum criminum ſolatijs, gaudebat. Quamobrem Ambroſius ait omnem hominem flagitioſum, quia longè abeſt ab omni diſciplina, non ſolùm in conſolationem erroris ſui accipere aliorum lapſus, quòd eiuſdem criminis conſcios inuenerit: verùm etiam improbo lætari affectu, tanquam ſua ipſe delicta correxerit. Lætatur mala mens, ſi aliquid præter propoſitum ſapienti accidit: cùm tamen corporis lapſus nemini dari vitio debeat, niſi animus quoque labatur. Lætatur mala mens, cùm credit erraſſe ſapientem; atque ei cuius mores ſuis contrarios agnouit, inſultandum arbitratur; quòd ipſi neque ſua ſapientia profuerit, neque iuſtitia ſuffragata ſit; nec ea quæ circa corpus verſantur, proſperos habuerint ſucceſſus. Solent inuidi maleuoliq. homines aliorum bonis torqueri, malis autem gaudere. Vnde illud Horatij carmen. *De Noe & arca.c.30.*

Inuidus alterius rebus macreſcit opimis. *Hora. lib.1. ep.2.*

Et illud Ouidij:

Vixq. tenet lachrymas, quia nil lachrymabile cernit. *Lib.2. Met.*

Baſilius verò inquit illos ea eſſe natura, vt, quemadmodũ vultures ad male olentia feruntur, loca verò, quæ ſuauem emittunt odorem, præteruolant, & quemadmodum muſcæ ſanum & incorruptum prætereũt, morbidum autem & vlceroſum petunt, ſic ipſi ea, quæ in vita præclarè & glorioſe geſta ſunt, non reſpiciant, at quę non ita ſe habent, diligentiſſimè intueantur; vt vel minimum erratum in omnium oculos ſtatim proferant, ex quo homines cognoſcãtur. Sunt enim tanquam imperiti pictores, qui formas eorum, quos penicillo exprimere neſcierunt, vitio aliquo vel à morbo, vel à natura profectò notant, ex quo eos cupiunt *Oratio. de inuid.*

Ambr. de Noe & arc. c. 31. agnosci. At longè aliter alij duo filij Noæ se gesserũt; quippe qui nudatum amictu patrem intueri noluerunt: ne reuerentia illi debita, quæ frequenter tacito etiam vultu offenditur, ipso minueretur aspectu. Quod quidem factum, tum ob insigne reuerentiæ ac pietatis paternæ officium, tũ ob illustrem significationem castissimi animi, & laudatissimi pudoris, nulla vnquam ætas conticebit: non enim minor hominum prædicatione atque imitatione, quàm illud Chami vituperatione dignum existit. *Eccle. c. 3.* *Ne glorieris*, inquit Ecclesiasticus, *in contumelia patris tui: nõ enim est tibi gloria eius cõfusio: gloria enim hominis ex honore patris sui: & dedecus filij pater sine honore. Fili suscipe senectã patris tui, & nè contristes eum in uita illius: & si defecerit sensu veniam da, & ne spernas eum in virtute tua.* An verò par, an etiam maior reuerentia parẽtibus ijs, qui nos spiritualiter genuerũt, hoc est, Sacerdotibus, & Episcopis debeatur, Constantinus Imperator non obscurè indicauit. Ille enim cùm Synodo Nicænæ interesset (vbi erant trecenti decem & octo Episcopi, qui stabiliendæ fidei caussa conuenerant) libellos famosos sibi à quibusdam calumniatoribus Episcoporum oblatos accepit, & illos vinculo constrinxit, & annulo suo obsignauit, ac seruari iussit. Deinde eos, re feliciter composita, in ignem mittendos curauit, adiecto iureiurando, se nè verbum quidem in ipsis scriptum legisse. *Nam Sacerdotum vitia*, inquiebat ille, *non sunt populo aperienda, nè ille inde causa offendiculi arrepta licenter peccare agrediatur*. *Theo lib. 2. hist. c. 11.* Hinc Gregorius diligenter considerans exemplum insignis pietatis Semi, & Iapheti erga patrem suum, id ad instructionem eorum, qui aliorum imperio reguntur, aptissimè accommodat, ne suorum gubernatorum vitia aut stultè imitari conentur, aut imprudenter irridere studeant, aut contumeliose in vulgus efferre audeant. *Lib. 25. moral. c. 15.* *Si magistrorum*, inquit, *vita iure reprehenditur, oportet vt eos subditi, etiam cum displicent, venerentur. Sed hoc est solerter intuendum, ne aut quem venerari necesse est, imitari appetas: aut quem imitari despicius, venerari contemnas. Subtilis enim via tenenda est*

recti-

rectitudinis & humilitatis, vt sic reprehensibilia magistrorum facta displiceant, quatenus subditorum mens à seruanda magisterij reuerentia non recedat. Quod benè in Noe inebriato exprimitur, cuius nudata verecunda boni filij auersi veniendo texueruut. Auersari quippe dicimur, quod reprobamus. Quid est ergo, quod filij verecunda patris superiecto dorsis pallio auersi venientes operiunt, nisi quòd bonis subditis sic Præpositorum suorum mala displicent, vt ea tamen ab alijs occultent? Operimentum auersi deferunt: quia iudicantes factum, & venerantes magisterium, nolunt videre quod tegunt.

Sed iam aduersarijs concedamus, quod ipsi efflagitant, extitisse aliquandò Romanos aliquos Pontifices, quorũ mores tantæ celsitudini, & dignitati minimè respõderint. Nam quanquam Romana sedes à tyrãnorum infestationibus vix vnquam libera fuit (in illam enim Romani Imperatores vsque ad Constantinum Magnum insurrexerũt, deinde Constantius, Iulianus, & Iustina, posteà Theodoricus, & alij Italiæ Reges, & Constantinopolitani Imperatores arma sumpserunt: & à Simone Mago omnes hæretici, quòd ab ea excommunicati fuerint, ipsam oppugnarunt, & præcipue Mahometes, qui totam fidem in Christum abnegauit) omnium tamen grauissima ea censenda est, qua sedes Petri iam foris pacem sortita in se ipsam arma conuertit. Quandò enim hæreses penè omnes extinctæ erant, & earum reliquiæ in Mahometis sectam conuersæ; & Imperatores cum Romanis Pontificibus pacem habebant: tunc quidem ipsi Romani Præsules, alij ambitione, & inani quadam gloria elati, alij studio iustitiæ commoti, hinc isti, illinc illi grauiter se ipsos mutuò oppugnarunt, adeò certè, vt nullum planè tentationis genus fuerit omissum, quod in sedem Romanam non irruerit. Tamen post tot oppugnationes, post tot schismata domestica, post tot hæreses externas, stat, floret, atque regnat: cùm interim Alexãdrini, Antiocheni, Hierosolymitani, atq. etiam Constantinopolitani Patriarchæ, quos ijdem Imperatores, qui Romanos Põtifices oppugnarũt,

euehere cōnati ſunt, aut nihil prorſus ſint, aut ita iaceant vt in miſerrima captiuitate vitam degant. Demus etiam aduerſarijs hanc prærogatiuam, quæ Romanam ſedem comitatur (vt eius principium apertius conſtet) non ex Pontificum meritis oriri. Nam quamuis per octingentos fere annos viri ſanctitate clariſſimi in illa ſederint: inficiari tamen nolumus aliquos deinceps tam malè de ea meritos fuiſſe, vt, ſi hominum facta eſſent inſpicienda, ipſa maximè obſcuranda videretur. Quod enim flagitium vnquā excogitari potuit, (vnum tantum excipito hæreſis crimē) quo aliquandò qui in ea Cathedra ſedebant, contaminati non fuerint? Nunquam tamen eam hæreſis occupauit. Cur ita? Sanè vt inter omnes liquidò conſtaret Romanam Cathedram ex Dei bonitate ita diuinis Spiritus Sancti præſidijs munitam eſſe, vt nullis Pontificum ſceleribus (ſi fortè aliqui non ita probi, vt par eſt, vnquam reperiantur) cōmaculari poſſit. Si enim Paulum attentè audiuerimus, intelligemus hæreſim nūquam eſſe primum hominis peccatum, ſed pœnam potius grauiſsimorum, quæ præceſſerunt, ſcelerum. Sic enim ille inquit in priori, quam ad

1.Timot.c.1 Timotheū dedit, epiſtola: *Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee; ſecundùm præcedentes in te prophetias, vt milites in illis bonā militiam, habens fidem & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt*, Hoc, inquam, præoculis habeas, O Timothee, vt doctrina & moribus id defendas, & præſtes, quod verum eſſe noſti, nihil tibi arrogans, nihil alicui concedens præter verum & æquum, nihil à publico & Catholico fine ad tuam vel aliorum priuatam rem vel tātillum deſciſcens: quia ex proprietatis ſtudio ad charitatem animus dilabitur, atque ita circa fidem nafragium

Theod. facit. Atque adeò Theodoretus, hunc Pauli locum explanans, dixit fundamentum impietatis eſſe prauam vitam. Vnde quidam profligatiſsimis moribus infecti, cùm ferre non poſſent graue ipſius conſcientiæ pondus, & Dei negarunt prouidentiam, & quæ à ſe facta fuerant Fatis, & Par-

cis

eis adſcripſerunt. Alij etiam in alias hæreſes, vt Epiphanius narrat, de Baſilidis, Nicolaitarum, Gnoſticorum, Arij erroribus diſſerens, voluptatis cauſa inciderunt. Hieronymus omnem ferè hæreſim ad ventrem & gulam ſpectare dicit: & alibi hominem hæreticum rarò diligere caſtitatem tradit. Quod optimè ſciens Paulus, cùm vellet manifeſtare hæreſim à prauis moribus proficiſci, elegantiſsima vſus metaphora, inquit: *Habens fidem & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt.* Eſt enim bona conſcientia, quæ oritur ex rectè factis, tanquã ſacra quædã anchora firma & conſtans, fides autẽ eſt veluti nauis in medio pelagi, quã ſine anchora grauiter iactari à ventis & fluctibus, ac tandẽ naufragium facere, id eſt, penitus deficere neceſsè eſt. Conuenit autem cũ hac ſententia, quod idem Paulus in eadem epiſtola prius dixerat: *Finis præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. A quibus quidam aberrantes, conuerſi ſunt in vaniloquium.* Vbi verbum Græcum ἀςοχέω pro quo Latinus interpres vertit, aberrantes, eleganti proprietate ſermonis ſignificat à ſigno, vel ſcopo aberrare, ſumpta ſimilitudine à iaculatoribus, qui ſcopum attingere non poſſunt, quòd ſine arte ſagittas iaciant. In quam ſententiam optimè Chryſoſtomus philophari mihi videtur. Docet enim rectè Paulũ eo verbo vſum fuiſſe, quod ſcilicet arte opus ſit, & gratia diuina, ne quis in caſſum iacula intorqueat, vel extra ſignum ſagittas dirigat. Sunt enim multa, quæ à recto itinere noſtros detorquent conatus, quos ad vnum ſignum dirigere oportet. Chryſoſtomo adſtipulatur Oecumenius, qui diſertè ait artem neceſſariam eſſe, nè aliquis extra veritatis ſcopum collineet. Quo fit vt aptè Ariſtoteles dixerit, multis modis contingere, vt quis peccet; ſed vt rectè agat, vno tantum: quorum alterum facile, alterum verò difficile eſſe affirmat: nec minus arduum eſſe in vnoquoque medium attingere, quàm circuli medium inuenire. Quamobrem Paulus cùm ad Philippenſes ſcripſit,

Epiph. lib. 1. tom. 2.

Hier. in Hiere. c. 3. & in Oſeæ. 6. 7.

Chry. & Theophil.

Lib. 2. Ethi. c. 6. & 7.

Aug. in pſ. 38.

Ad Philip. cap. 3. *Fratres ego ad destinatum persequor*, nihil aliud significare voluit, quàm se propositum signum petere, & procurrere versus metam ipsam. Finis ergo præcepti est charitas, & recta in Deum fides, à quibus quoniam aliqui aberrarũt, in vanam doctrinam deflexerunt, veritatis scopum minimè attingentes. Cùm itaque hæresis, quæ cum animi cæcitate coniuncta est, non sit, vt diximus, primum peccatum, quod hominem inuadit, sed supplicium potius criminibus præcedentibus illatum; eo profectò illustrior Romanæ Cathedræ prerogatiua ostenditur, quo magis in eam hæretici debachantur, & constantius affirmant grauiora scelera Romanos Præsules admisisse, quàm Alexandrinos, Antiochenos, aut etiam Constantinopolitanos. Quid enim? Si in alijs Patriarcharum sedibus non modò hæretici permulti, verùm etiam hæresiarchæ sederunt, quod Romanæ Cathedræ minimè contigit, cùm tamen illis non tanta peccandi occasio, quanta huic fuerit oblata, non nè euidens inde desumitur argumentum voluisse Christum Ecclesiæ suæ hoc honoris insigne deferre, vt saltem prima sedes à recta fidei regula exorbitare non possit? Quæ enim Cathedra (vt de superbia & ambitione, ex quibus hæresis proximè oritur, dicamus) tot anteactis sæculis fuit, cui tanta superbiendi materia se se obtulerit, quanta Romanæ, quæ omnium prima semper habita est? Nnlla sanè. Atqui nec hæc tantæ dignitatis amplitudo, quę in aliorum Patriarcharũ oculis fallacis cuiusdã honoris causa sæpe extitit, efficere potuit, vt illa vel hæresim excogitauerit, vel defenderit, cùm tamen omnium maximè impunè aberrare potuerit. Cur ita? Vt vel hinc omnibus certum esse possit, non humano consilio, prudentia, viribus Romanum Pontificatum tãdiu consistere, sed quia hæc petra ita à Domino roborata, diuinitus fundata, Angelorum custodijs septa, singulari Dei prouidentia & protectione munita est, vt aduersus eam portæ inferorum nullo modo præualere possint, siue

illis portis perſequutio Tyrannorum, ſiue rabies hæreticorum, ſiue ſchiſmaticorum furor, ſiue ſcelera & flagitia deſignentur; *Quia,* inquit Dominus, *ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum, in fundamento fundatum.* Fundamenta Sionis Apoſtoli ſunt: in his numeratur, & excellit ſingularis quidam lapis Petrus, cui Romanus Pontifex ſucceſſit, qui, non vnum tantum, quemadmodum Iudæorum Pontifices, ſed duos Iudæorum & ethnicorum populos, quaſi parietes duos ſimul coniunctos, atque vnam Chriſtianam Eccleſiam efficientes continet & ſuſtentat: & nè, ſi ipſe ſuper quem illa conſtructa eſt, labatur, tota ædificatio corruat, eſt *in fundamento fundatus*. Quamuis igitur Romani Pontifices homines ſint, & ideò nihil humanum ab eis alienum eſſe putemus: Chriſtus tamen ita Eccleſiæ ſuæ prouidit, vt Petri ſedem velut petram firmiſſimā conſtituerit, in quam falſa vel fidei, vel morum doctrina conſtanter cadere nunquam poſſit. *Ego,* inquit ille, *pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquandò conuerſus confirma fratres tuos.* Inſurgant nunc hęretici & Pontificum Romanorum peccata connumerent, quæ quanto turpiora ab illis obiecta erunt, tanto magis Romanæ ſedis diuinum priuilegium apparebit. Qui fieri enim poſſet, vt poſt tam grauia, & atrocia crimina, quæ illi Pontificibus exprobrant, Pontificia authoritas per tot ſæcula eandem doctrinam perpetuò traderet, eandemq. totius militantis Eccleſiæ communionem in ſe ipſa collectam adunaret, niſi Chriſtus, qui huius communionis caput vitale eſt, hoc tam ſingulari beneficio affeciſſet Romanos Præſules, per quos myſticum Eccleſiæ ſuæ corpus in vnitate fidei ac doctrinæ conſeruat?

Eſa. c. 28. Rom. c. 9. 1. Pet. c. 2.

Luc. c. 22.

Quibus præmiſſis, vt iam ad Hieronymi ſententiæ explicationem accedamus, proponimus in primis, conſuetudines alias eſſe Romæ cum tota Eccleſia cōmunes; quæ videlicet ex Apoſtolorum Petri & Pauli traditionibus profectæ creduntur (de quibus Auguſtinus ad Ianuarium multa,

Cano lib. 6. de loc. in fine.

Inno.d. 12. c. illa. multa, sed multo plura Innocentius primus ad Decetium scribit (alias verò, quas Ecclesia Romana vel priuatim instituit, vel à Petro quidem Apostolo accepit, non tamen vt eas in vniuersum orbem promulgaret: de quibus idem Pater Augustinus eleganter ad Casulanum & Ianuarium scribit. *Aug. ep. 86 & 118.* Priores igitur consuetudines non solùm tenet Ecclesia Romana, verùm etiam docet eas ab omnibus Ecclesijs esse seruandas: vt Iulius, Innocentius, Calistus, & Gregorius Romani Pontifices præscripserunt. *Dist. 11. c. nolite. ibid. c. quis nesciat. dist. 12. c. nō debet. & c. præceptis.* Posteriores verò consuetudines, Augustinus ad eundem Ianuarium & Casulanum appositè scripsit, non opus esse, vt à priuatis Ecclesijs obseruentur. *Dist. 12. ca. scit. & c. nouit. dist. 31. c. quoniam. & c. aliter. De conse. d. 4. ca. de trina. ex Greg. lib. 1. ep. 41.* Quod etiam à Nicolao, & Gregorio traditum fuisse legimus. Interrogati enim, an infantes semel tantum, an ter ex vi iuris essent in aqua immergendi, responderunt; Ecclesiam Romanam solitam esse ter infantes mergere in memoriam triduanę Christi sepulturę; *vt dum tertio infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur*: eos verò minimè repræhendendos esse, qui vnica tantùm immersione vsi fuerint, quia per eam singularitas diuinitatis, quemadmodum etiam per trinam Personarum Trinitas potest designari. Atque de hoc posteriori consuetudinum genere intelligendæ sunt Hieronymi, & Ambrosij sententiæ ab aduersarijs obiectæ: vt facilè videbit, qui epistolas, ex quibus illæ depromptæ sunt, non lippis oculis euoluet, sed attento animo leget.

Satis quidem à nobis comprobatum esse videtur, Romanum Pontificem nullo modo errare posse in his, quæ fidei sunt, cùm totam Ecclesiam suo regimini commissam docet. Lubet tamen adhuc pauca quædam ad pleniorem eiusdem veritatis ostensionem in medium adducere. Est autem illud, quod Lucius Sanctissimus Pontifex & Martyr ad Hispaniæ & Galliç Episcopos scripsit, ad huiusce rei commendationem, memoria dignum. *Luc. ep. 1.* *Ecclesia enim*, inquit ille, *Romana Apostolica est, & mater omnium Ecclesiarum, quæ à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errare probatur, nec hæ-*

reticis

reticis nouitatibus deprauata succubuit, secundùm ipsius Domini pollicitationem dicentis: Ego pro te rogaui, Petre, vt non deficiat fides tua. Quam Saluatoris nostri sententiã ita Augustinus, Chrysostomus, & Theophilactus de Petri fidei constantia exponunt; vt, licet dicant Christum à sempiterno suo Parente impetrauisse, vt Petrus in fide liberrimã, fortissimam, & inuictissimam voluntatem haberet, non tamen inficientur alterum eo loci Petro priuilegium in Ecclesię vtilitatẽ indultum fuisse, ne scilicet in fidei doctrina populis tradenda à veritate aberrare posset. Quod Sanctissimum Leonem elegantissimè dixisse video. *Specialis*, inquit, *cura Petri à Domino suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tanquã aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis cæteris conferatur.* Hoc idem Felix I. Agatho, Nicolaus I. Leo IX, & Innocentius III. Omnes Summi Pontifices, omnes insigni sanctitate, & singulari eruditione cõspicui, ità apertè literis mandarunt, vt de eo quisquam amplius dubitare non possit.

Ser. 3. de assump. sua ad Pont.

Fel. ep. 1. ad Benig. Aga. in epist. ad Const. Imp. in 6. Syn. act. 4. Nicol. ep. ad Michae. Leo ep. ad Petr. Antio. Inno. epist. ad Episc. Arel. habetur in ca. maiores. ext. de baptis.

Sed quoniam veterum Romanorum Pontificum testimonijs denuò vti cæpimus, haud ingratum erit etiam eos, qui illos præcesserunt, in testes adducere: ex quibus, quanta sit Romanę sedis authoritas, & in fide certitudo, luculenter apparebit. Nam Anacletus natione Grȩcus difficiliores, & grauiores quȩstiones ad sedem Apostolicam deferendas tradit: *quoniam*, inquit, *Apostoli hoc statuerunt iussione Saluatoris*. Alibi verò ordinem Patriarcharum prȩscribens inquit: *Aliæ primæ ciuitates, quas vobis conscriptas in quodam tomo mittimus, à Sanctis Apostolis, & B. Clemente prædecessore nostro, siue à nobis, primates prædicatores acceperunt. Hæc verò sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super vniuersas Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem assequuta est, sic vt ipse B. Petro Apostolo dixit: tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo*

22. dist. c. sacrosancta. Epist. 3.

cabo Ecclesiam meam. Hoc ipsum Euaristus natione etiam Græcus, natus tamen ex patre Iudæo Bethleemite, qui Anacleto successit, ab Episcopis Africanis de quadam fidei quæstione consultus respondit, cùm horrenda hæresum monstra Christi Ecclesiam grauiter oppugnarent. Nec ab his dissentit Alexander Romanus Pontifex huius nominis primus origine item Romanus in ea, quam ad omnes orthodoxos scripsit, epistola: similiter nec Sixtus primus in literis quas ad Gallicanas Ecclesias dedit: nec Pius primus Aquileiensis ad omnes Ecclesias scribens. Victor quoque Felicis filius ex Africa oriundus, dum in Cathedra Petri sederet, ad Theophilum literas misit, in quibus tradit omniũ Episcoporum causas iam inde ab Apostolorum tempore deferri oportere ad Romanam sedem, quam ipse vniuersalem Apostolicam Ecclesiam eo loci appellat: & hunc canonem Apostolicum commemorat etiam Sixtus secundus. Zepherinus item Romanæ Ecclesiæ Antistes, *Maiores*, inquit, *Ecclesiæ causæ à sede Apostolica, & non ab alia, sicut Apostoli statuerunt, sunt terminandæ.* Non desunt Marcelli, non Eusebij, non Melchiadis, non Marci, non Iulij, non Damasi testimonia: sed, cùm nullus vnquã Petri successor fuerit, qui non constanter asseruerit illam fidei soliditatem Petro à Deo impartitam in Romanos Pontifices eius legitimos successores translatam esse, illis supersedebo; vt quid ad Benignum Episcopum Felix primus scribat, proferam. *Suscipientes*, inquit, *fraternitatis tuæ epistolas, quibus me requisisti super fidei documentis, quæ ab alijs habebantur aliter, quàm rectæ fidei contineant sacramenta, pro vt Dominus dedit, pro fraternitatis amore respondere nõ refutauimus. Semper enim dubia & maiora negotia terminum ab hac sancta sede, à tempore Apostolorum, qui eam suis documentis instruxerunt, accipere consueuerunt.* Deinde nonnullis interiectis: *Hæc*, ait, *sancta & Apostolica mater omnium Ecclesiarum, Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam, à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur, nec ab hæreticis nouitatibus deprauanda sucubuit, sed vt in exordio normam*

Marc. ad Epist. Antioch. Pro. Euseb. ad Epis. Camp. Melc. ep. ad Epi. Hispan. Zepher. ad Sicilia. Epis. Marc. ad Athan. Iuli. ad orien. Epis. & ad Episc cõgre. Antioc. Damas. ad triũ Concil. Afric. Epis. Felix. ep. 3.

mam fidei Christianæ percepit ab authoribus suis, Apostolorum Christi Principibus illibata finetenus manet, secundum ipsius Domini Saluatoris diuinam pollicitationem. Posteà subiunxit: *Dominus & Saluator omnium, cuius fides est, qui pro nobis mori non dubitauit, & proprio nos suo redemit sanguine, fidem B. Petri non defecturam promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit: quod Apostolicos Pontifices, meæ exiguitatis prædecessores, confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum.*

Sed iam mihi videor præsentire aduersarios cachinnos irridentium commouentes, quòd nos eorum testimonijs, qui tanquam in propria causa authoritatem habere non debeant, in præsentiarum vtamur: flocci tamen horum irrisiones faciendas ducimus, quia à stulto pectore proficiscuntur. Quis enim, vel mediocriter sapiens nescit, non hanc Pontificum Romanorum, sed totius Ecclesiæ causam esse? Aequiori igitur iure illi sibillis explodendi erunt. Maximè verò, quoniam in adducendis testibus diligenter Latinos cum Græcis, & Africanis coniunximus; & Hispanos, & Gallos, & Germanos idem fassos esse demonstrauimus; quibus ferè omnibus Romanæ Sedis causa, non solum propria non videbatur, sed etiam aliena iudicari poterat. Adde etiam, quòd hi omnes Pontifices, quorum authoritate, nostram confirmauimus sententiam, adeò graues, & vita, ac moribus ornati fuerunt, vt, licet pro causa propria testificati essent, ratam fidem habere debuissent. Quapropter aspidi aures obstruenti persimiles mihi videntur, qui doctissimorum, & sanctissimorum heroum nostrorum testimonia incorrupta, nec suscipere, nec audire volunt, quæ fidem barbaris etiam facere possunt. His tamen vnius, vel alterius, ex grauissimis, & antiquissimis Græciæ Patribus, testificationes adnectemus: atque in primis Petrum Chrysologum in testem producemus, qui ad Eutychetem scribens ait: *Hortamur te, frater honorabilis, vt his, quæ à Beatissimo Papa Romanæ ciuitatis scripta sunt, obedienter attendas, quia B. Petrus, qui in propria Sede viuit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.* Quod optimè agnoscens Chrysostomus

Habetur in 1. tom. Conc. ante Concil. Chalced.

Chrysost. in Matt. c. 16. mus dixit, solum Deum efficere potuisse, vt Ecclesia super vnum piscatorem, & ignobilem virum fundata non caderet, cùm tam multæ, & graues tempestates iam ab antiquis temporibus in eam irruerint. Et Theodoretus ex eo probat Ecclesiæ Romanæ datam in omnes alias potestatem fuisse; quòd ipsa à Fide deficere non posſit. *Tenet*, inquit, *sancta ista Sedes gubernacula regendarum cuncti orbis Ecclesiarum, cùm propter alias, tùm quia hæretici semper fœtoris expers permansit.*

Theod. epist. ad Renat. præs. Roma.

Quis igitur adeò verecundiæ fines transegit, qui etiam nunc audeat negare Petri successores, eandem cum eo potestatem, & Fidei soliditatem cælitus acceptam habere, cùm videat nullum esse Patriarcham, præter Romanum Pontificem, cuius in Fide iudicium ex diuino priuilegio rectum, & constans semper existat? Quis adeò temerarius, qui dicere non reformidet firmitudinem illam Fidei, quæ in Petro viguit, cum eo extinctam, nec vlli alij vsque ad hanc diem post Petri obitum fuisse concessam? O stultam, O mentē peruersam? Certè, si ita se rem habere semel conceditur, tota fides dilabitur, & perit. Quomodo enim huc vsque Christi Ecclesia administrata est? Quomodo Baptismum suscepimus? Quomodo Synodi constitutæ? Quomodo hæretici expulsi? Quomodo Ecclesia illustrata est, sublato capite? An illa tamdiu perdurasset, nisi caput vnū, & pastorem, ac Principem summum habuisset, cui, & in administrando potestas, & in docendo certitudo fuisset! Quomodo Saluator noster, qui discipulis suis dixit, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi*, promissa seruauit, si cum Petri successoribus non manet? Profectò, qui hac Romanos Pontifices prærogatiua spoliant, nihil aliud, quàm Catholicæ Fidei, & Oecumenicarum Synodorum, & omnium, quæ sanctissimi viri tradiderunt, euersionem moliri videntur. Hieronymus eum appellat profanum, & morti æternæ addictum tradit, qui Romanæ Sedis fidem deseruerit. Cyprianus etiam profanum, & alienum, & hostem eum esse dicit, qui vniuersalis

Matt. c. 28.

Hiero. epist. ad Damas.

Cyprian. de vnit. Eccle.

lis Ecclesiæ vnitatem non habet, hoc est, lumen vnum, vnde multi radij effunduntur; fontem vnum, ex quo multi riui effluunt; radicem vnam, vnde multi rami pullulant; petram vnam super quam Ecclesia ædificata est; vnum Pontificem, qui cęteros omnes authoritate sua in officio contineat: ita vt quemadmodum radium si separas, extinctum vides; si riuum detorques, arefactum cernis, si ramũ abscindis, & viriditatem, & vitam protinus amisisse cognoscis; sic etiam illum, qui in fidei controuersijs Apostolicæ sedis fidem, iudiciumque detrectat, non Ecclesiæ vnitatem tenere, non lumen, non radicem, non fontem, sed profanum & alienum esse certò scias. *Qui Cathedram Petri*, addit Cyprianus, *super quam ædificata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse non confidat.* Ambrosius pro eodem penitus accipit, Catholicum esse, & cum Ecclesia Dei conuenire. Gregorius ita sedis Romanę authoritatẽ in fidei causis amplectendam tradit, vt, qui hoc facere recusauerint, ab illius petrę, super quã Christus vniuersalem Ecclesiam construxit soliditate auellantur. Leo exortem diuini mysterij eũ esse affirmat, qui audet à Petri soliditate se præscindere, & temerariam, atque impiam præsumptionem appellat, quę huius petrę firmitatem à Christo traditam nititur violare. Nicolaus asserit eum, qui illa singulari pręrogatiua à Christo summo Ecclesiarum omnium Principe cõcessa Ecclesiam Romanã priuare conatur in hęresim manifestam incidere. Quam Nicolai sententiam octaua synodus ita approbauit, vt Phociũ, & Michaelem condemnauerit, qui hoc sedis Romanę priuilegium infringere nitebantur. Quòd si læsæ maiestatis, & hæresis crimen committit, qui Ecclesiam Romanam cæteris præesse negat; quid de eo sentiendum est, qui priuilegia Petro in Ecclesię vtilitatem elargita ad eius successores transire non credit? At enim vniuersa hæc, sana doctrina pascere oues, vniuersis Gẽtibus annunciare Euangelium, fratres in fide confirmare, esse lapidem Ecclesiæ fundamẽtalem, vt por-

Lib.4. ep.9. lib.de exces. Satyri c. 7. 12.d.c.præceptis. 19.d.ca. ita Dominus.

22.d. c.omnes.

Actio.1. & 7.

tæ inferi non præualeant aduersus eam, non Petro tanquã priuato homini, sed tanquam Reipub. Christianæ præfecto ita concessa sunt, vt cum persona ipsius minimè interierint, sed ad mundi interitum sedem Romanam, non secus ac perpetui comites, sequantur. Quamobrem dubitandum non est, quin iudicia Romanæ sedis de fide, & religione certissima sint, cùm sacrarum literarum testimonijs, Apostolorum verissima traditione, Summorum Pontificum decretis, priscorum Patrum sententijs comprobatum sit Romanum Pontificem in fidei decisionibus errare non posse. Hoc perpetuus Ecclesiæ vsus tenet. Hoc ipsa Ecclesia ab hinc plusquam annos quadringentos docuit: cuius rei testes sunt locupletissimi Bernardi libri ad Eugenium Pontificem Romanum. At verò quod tenuit & docuit Ecclesia, quo tempore vixit Bernardus, multò ante superstitibus Hieronymo, & Cypriano tradiderat. Hoc idem ante mille trecentos annos, dum Irenæus vitam ageret, credendum proposuit. Quam profectò doctrinam ab Apostolis veluti per manus traditam, non modò ante Phocam, & Constantinum, & Nicænam Synodum, verùm etiam ante quemcunque post Neronem Imperatorem, & quodcumque Ecclesiæ Concilium, & quoscunque post Petrum Pontifices acceptam, ab Ecclesiasticis viris cognitam fuisse testantur epistolæ Anacleti, qui Petri fuit discipulus. Quod cùm ita sit; non ideò Romanus Antistes Petri successor, Christi Vicarius in Ecclesia habetur supremus causarum ad religionem spectantium iudex, quia sic docuit Bernardus, sic tradidit Cyprianus, sic libris suis inseruit Hieronymus, sic scriptum reliquit Augustinus, sic testatus est Irenæus, sic literis mandarunt cæteri omnes Ecclesiastici scriptores, tàm Græci, quàm Latini: sed ideò orthodoxi omnes ita firmiter & constanter id tradiderũt; quia iam inde ab exordio suo ad hæc vsque tempora sic Ecclesia credidit, sic docuit: quæ profectò plenissima, & certissima ostensio veritatis est.

Irenæus.

Quoniam

Quoniam tamen, his omnibus non obstantibus, aduersarij quàm multos Rumanos Pontifices, quos à fidei Catholicæ regula longè aberrasse grauissimi viri tradiderũt, iterum, atque iterum in medium adducunt, vt nos loco moueant: demus eis ita esse, (quamuis non minoris authoritatis scriptores, vt diximus, illos ab omni hæresis labe immunes fuisse doceant) non enim est cur in temporum historijs euoluendis nunc immoremur, vt facti veritatem, tanquam è tenebris in lucem educamus. Demus, inquam, Honorium, Anastasium, Liberium, cæterosque quos inuidia potius, & contentionis fouẽdæ, magis quàm veritatis indagandæ, studio nobis opponunt, in hæresim lapsos fuisse. Quid inde, amabo, efficaciter colligent? Ergo nè Summorum Pontificum definitionibus in causis fidei & religionis standum non erit? Vnde hæc collectio? Sanè initio huius disputationis hoc veluti totius fundamentum iecimus, duplici modo Summum Pontificem considerari, aut vt quemlibet hominem priuatum, aut vt Petri successorem, & Chtisti Vicarium. Priori quidem modo, cùm non sit hæres priuilegiorum, quæ cum publica Petri potestate coniuncta erant, mirandum non erit, si aliquandò contigerit vt nonnulli ad Summum Pontificatum assumpti à fide Catholica defecerint. Posteriori autem, cùm priuilegijs Petro, vt Ecclesiæ Pastori vniuersali, concessis succedat, & omnia in prædecessorem suum cælitus collata munera ad Ecclesiæ vtilitatem possideat (qualia sunt vniuersam Christi in terris Rempub. suprema authoritate moderari, fratres in fide confirmare, omniaque ad religionem spectantia certissimo iudicij ordine disponere) fieri non potest, vt à fidei veritate aberret. Quod vsque adeò verum est, vt hi, quibus conceditur Romanũ Pontificem, tanquam priuatum doctorem, in fidei disputationibus hallucinari posse, & re ipsa aliquos à fide defecisse (hinc enim Bonifacius, Eusebius, Innocentius Romanę Ecclesiæ Præsules decreuerunt Romanum Antistitem, nisi in cri-

Dist. 40. c. si Papa. 2. q. 7 c. oues. Inno. ser. de consecr. summ. Pont.
Anacl. ep. 3
Octaua Syn. act. 1.

mine

mine hæresis, non posse, aut debere ab Ecclesia iudicari) nullum prorsus inueniant exemplum, quo probare possint Petri successorem in fidei cõtrouersijs dirimendis vnquam à veritatis Euangelicæ tramite deflexisse; aut ita hæresim contraxisse, vt aliquid contra fidei Catholicæ regulam statuerit. Hoc enim & Christi consilium in Petro Ecclesiæ suæ pastore instituendo, hoc ouium salus, & incolumitas alijs grauissimis exposita periculis, hoc deniq. rectæ gubernationis ratio priscis Patribus, iam inde ab Apostolorum ætate, postulare visa sunt.

CAP. X. NOn est autem nobis hic sistendum: nam hoc priuilegium ad Petri successores cum Pontificia dignitate cęlitus translatum non solùm circa fidei doctrinam versatur; sed etiam ad morum normam vniuersæ Ecclesiæ præscribendam extenditur. Ad quam veritatem demonstrandam eò libentius accedimus, quò manifestius ex illius probatione cõstare potest, quàm sint impudentes, & in Christi gloriam contumeliosi, & Christianæ Reipub. perniciosi, qui non modò Pontificibus negant potestatem esse canonizandi Sanctos, (licet enim verbis minus Latinis ab Ecclesia assumptis ad rei explicationem Latinè nonnunquam vti) verùm etiam, qui eos in huiusmodi actis errare posse contendunt: propterea quòd non necessariò diuinis monitis, sed testimonijs hominum, qui sicut facilè decipi, ita etiam, vel ex animo, vel præter mentis intentionem decipere possunt, innixi ad hoc iudicium ferendum accedant. Quod quanto magis fauere videtur perditissimis his hominibus, qui Apostolicæ sedis authoritatem semper euertere moliuntur; tanto maiori conatu extirpandum esse arbitror. Nam si semel aduersarijs concederemus Romanum Pontificem decipi posse; dum viri alicuius vita, & moribus, & si quædam alia sunt, quæ sanctitatem manifestè demonstrent, optimè consideratis, eum in sanctorum catalogum refert, inde quiddam dictu horrendum consequetur, sedis Romanæ non esse, aliquem etsi miraculis

memorandis præclarum, in diuorum numerum referre: quod illi temerè inculcantes Sanctorum implorationem, & pium eis cultum à nobis exhibitum mille prosequuntur conuicijs, & execrationibus, atque ita Reipub. Christianæ tranquillitatem, & Fidei nostræ certitudinẽ magis, ac magis perturbant. Quid enim est, quod maiores excitet turbas, quàm inficias ire eum debita reuerentia dignũ esse, quem Sempiternus Parens honoribus afficit? Nonnè Christus veritatis assertor ait, *Qui mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus?* Cur ergo homines ad Sempiterni Dei exemplum, debita obseruantia non colent eos, qui Christi vestigiis incedentes, & illius præceptis obtemperantes, eius viuendi normam, quantum licuit imitati sunt? Cur honorem non deferent ijs, qui Christo ministrauerunt, & pro illius legis obseruatione, propriam vitam mille periculis obiecerũt? Christus, Dominus, & Redemptor noster pollicetur se honore insigniturum ministros suos: & sunt qui populũ auertere moliantur à veneratione Sanctis exhibenda, qui cum Deo in æternum regnant? Heu quàm dissona & contraria sunt quæ à Christo promittuntur, & quæ ab hæreticis perfidè asseruntur? Nam ille, apud Lucam, apertissimè inquit: *Beati sunt serui illi, quos cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes: amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere; & transiens ministrabit illis*: (sub qua parabola significauit se viros iustos maximè cohonestaturum) hi verò Sanctos minimè esse honorandos prædicant. Christus Saluator noster præcingit se, vt amicis suis, in cælesti Regno famuletur: hæretici autem eis insultare nunquam desinunt. Creator omnium à se conditæ creaturæ accubitum parat: creatura suum creatorem in Sanctis suis mirabilem aspernatur. Dei Filius, generis humani Redemptor transiens ministrabit seruis suis: impij homines nos diuini præcepti transgressores appellant, quòd illis honoris ministerium præstemus. Est quidem vnicuique Christianorum satis notum atque compertum illud Dei præce-

Ioan. c. 12.

Luc. c. 12.

ptum:

Deut.c.6.& 10. ptum : *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*: quod Paulus,& Barnabas minimè violandum ostenderunt, qui
Matth.c.4. cùm homini claudo rectum incessum in nomine Christi tribuissent (quod admirati populi Licaoniæ ciuitatis ex-
Act.c.14. clamarunt, *Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos*) vidissentque Sacerdotem Iouis,& reliquam multitudinem coronas afferre ,& tauros ante ianuam adducere , vt eos sibi immolarent, *conscissis tunicis suis exilierunt in turbas, clamantes, & dicentes: viri quid hæc facitis? & nos mortales sumus similes vobis homines*. Beneficium enim diuinitatis signum,vel à Diuinitate profectum esse omnes nationes interpretantur : sed cùm beneficio naturæ exempla superantur, manifestum Diuinæ virtutis argumentum est. Quod admirati illius ciuitatis homines, Apostolos Deos esse credebant, qui humana facie induti se conspiciendos humanis oculis offerebant. Quamuis autem hæc popularis aura mortales sæpenumerò ita decipiat, vt diuinos ambiant honores, eos tamen Apostoli spontè oblatos forti constantique animo repulerunt, tanquam sibi, qui homines erant,nequaquam debitos. Hæc profectò sunt adeò certa, & indubitata apud omnes, vt à viris Catholicis minimè negari possint. Nec nos ij sumus, qui huic veritati aliquid contrarium asseramus: qui Sanctos non eodem modo, quo Deum, colendos esse credimus: sed longè aliter venerandos, eo solo prædicamus, quòd diuinæ excellentiæ participes existunt. *Ego*, inquit Dominus apud Regium Vatem, *dixi dij estis, & filij excelsi omnes*. Hoc est, ego vos sum dignatus mea appellatione. Paraphrasis Chaldaica habet:

Psal.81. אֲנָא אֲמָרֵת הֵיךְ כְּמַלְאֲכַיָּא אַתּוּן חֲשִׁיבִין וְהֵיךְ אַנְגְּלֵי מְרוֹמָא כּוּלְכוֹן

Ana amereth hech chemalachaia attun chascibhin uehech anghelè meroma culechon. Hoc est : *Ego dixi: veluti Angeli vos estis reputati, & tanquã Angeli Excelsi (Dei) uos*
Rom.c.8. *omnes*. Paulus etiam de Sanctis illis loquens, qui in cælesti Hierosolymorum ciuitate existunt, vel in militante Ec-

clesia

clesia adhuc versantur, inquit: *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui: vt ipse sit primogenitus in multis fratribus.* Adoratio igitur illa, quæ Deo omniū factori optimo, Redemptori clementissimo, & munificentissimo Domino debetur, ab Augustino, & Chrysostomo, & tota Theologorum schola latria appellatur: altera verò, quæ sanctis exhibetur, dulia dici solet. Scio equidem aduersarios ea esse natura, vt hanc recentium vocabulorum inuentionem otiosam esse dicant: sed, cùm sancti Patres, tùm ad sacrarum literarum illustrationem, tùm etiam ad quorundam locorum conciliationem, eam piè, & salubriter nobis tradiderint, aduersariorum inuidiosam calumniam, æquiori iure inanem iudicantes, dimittamus. Paulus ergo non hunc sanctis hominibus cultum debitum exhorruit: sed diuinos honores sibi exhiberi religiosè prohibuit. Vnde idemmet Paulus in ea, quam ad Romanos scripsit, epistola inquit *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum Iudæo primum & Græco.* Quod sanè Apostolus nunquam dixisset, nisi præcepto Dei haudquaquam repugnare cultum qui sanctis & iustis hominibus exhibetur certò cognouisset. Sic Abraham Angelos; Nabuchodonosor Rex Danielem; & Iudith Holofernem; ac Nathan Propheta Dauidem Regem adorasse dicuntur. Et Iosues cùm vidisset in agro Vrbis Ierichο virum, qui se Principem exercitus Domini dicebat, humi prostratus adorauit eum. Quid? Num Iosues illi viro, Nathan Dauidi, Iudith Holoferni, Nabuchodosor Danieli, Abrahamus Angelis diuinos honores, & summum illum latriæ cultum, qui soli Deò debetur, detulerunt? Nihil minus certè: sed religiosa quadam obseruantia illos coluisse dicuntur. Nec etiam nos Sanctis Martyribus, & Confessoribus, & quibusuis alijs ex beatorum ordinibus, quos olim mortales homines fuisse scimus, nunc autem cum Christo regnare credimus, cultum latriæ exhibemus: sed tanquam fideles Dei seruos, qui Christi vestigia sequuti coronas triumphantium obtinuerunt, piè

Rom. cap. 8

Rom. cap. 2.

Gene. c. 18.

Dan. cap. 2.

Iudith. c. 16.

lib. 3 reg. c. 1

Iosue. cap. 5

veneramur, & eorum reliquias religiosè inuisimus, & obseruamus. Iam nunc hæretici dentibus fremant, vel ad rauim vsque clamores attollant: *Non enim*, inquit Hieronymus, *sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas dæmones rugiunt. Non sacrilegus Arcadius, qui ossa Beati Samuelis longo post tempore de Iudæa transtulit in Traciam: non sacrilegi iudicandi sunt Episcopi, qui cineres dissolutos in serio, & vase aureo portauerunt: non sacrilegi omnium Ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis reliquijs, & tanta lætitia, quasi præsentem, viuentemque Prophetam cernerent, susceperunt: vt de Palæstina vsque Chalcedonem iungerentur populorum examina, & in Christi laudem vna voce resonarent.* Non vitio Romano Pontifici dari debet, quòd super Petri, & Pauli iam hac vita defunctorum veneranda ossa, quæ hæretici non pluris, quàm terræ pugillum, faciunt, sacrosanctum Domino offert sacrificium, & eorum tumulis pro altari vtitur. Cùm enim, vt inquit D. P. Augustinus, non ignoret reliquias Martyrum recta, apta, & cōuenienti obseruantia coli oportere, non impietati, sed religioni adscribēdum est, quòd debito cultu eas prosequatur; & Christianis omnibus præscribat, vt eas piè & religiosè venerentur. Cuius edicto eò nos lubentius obtemperamus, quò firmius tenemus illum diuinitùs instructum nec quoad fidei dogmata sancienda, nec quoad præcepta morum præscribenda, quæ ad vniuersam Ecclesiam spectant, & animorum saluti conducunt, errare vnquā posse. Sed iam id luculentiùs ostendamus.

Contr. Vigilam.

Aug. epist. 105.

Diuinus ille Reipub. Christianæ institutor optimè præuidēs à supremo eius moderatore multas leges ferri oportere, quibus illa rectè gubernari possit, ita de salute & incolumitate illius solicitus fuit, vt summum Rectorem, quem ipsi ad patrem suum ascensurus relinquere decreuerat, diuina sapientia imbuendum curauerit: ne si in morum præceptis, quæ ad salutem necessaria toti Christianorum cætui præscriberet, errare posset, populum sibi cō-

missum

missum in errorem secum traheret. Huc enim illud, quod Dominus apud Ioannem dicit spectare mihi videtur: *Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* *Ioan. c. 16.* Sunt autem Ecclesiastica præcepta in triplici differentia. Vnum genus est eorum, quæ Christianæ Reipub. vsque adeò sunt necessaria, vt sine ipsis optimus illius status neque collocari, neque retineri possit: alterum quod in rebus leuioribus positum est, quæ tantum ad venustatem regiminis Ecclesiæ faciunt: tertium quod circa quasdam priuatas Ecclesias aut personas versatur. In primo quidẽ Romanorum Pontificum iudicium nõ minus est certum, integrum, & incorruptum, quàm in fidei dogmatibus explicandis: cùm sicut vera & syncera fides, ita sanctæ & castæ leges necessariæ sint ad sempiternam felicitatem consequendam, ad quam nos Romanæ sedis Præsules, quibus omnium nostrum salus commissa est, rectà dirigere student. Esset enim cælestis spiritus procuratio mutila & imperfecta: si quos in explicatione mysteriorum ad religionem spectantiũ fouet, eos in legum necessariarum sanctione desereret, & permitteret, vt, qui afflatu suo falsa dogmata à veris secernunt, Ecclesiæ integritatem perniciosis legibus corrumperent, atque illorũ mentes, quos sanæ fidei splendor illustrat, impuris canonibus fœdaret. Absit, absit, vt aliquis unquã suspicetur Romanos Pontifices vniuersales Christiani orbis Præsules, Christi Vicarios à Spiritu Sancto ita de relinqui, vt quæ sunt nobis necessaria, vana, & futilia iudicent; necessariauè statuant, quæ nè vtilia quidem erũt. Dati sunt illi nobis Doctores, & Pastores *ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.* *Eph. cap. 4.* Hoc est, vt ab ipsis munere suo ritè fungentibus, omnes, qui ad diuinitatem colendam vocati sunt, perfecti, & omni ex parte absoluti reddantur, nihilque illis ad iustitiæ & sanctitatis officia præstanda deesse vnquam posse videatur. Quandiu autem hæc Ecclesiasti-

ci muneris admirabilis & perfecta functio sit duratura, accuratè docet Paulus dicens: *Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionem filij Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*. Hoc est; quoad omnes mortalitatis nexibus expediti, & ignorantiæ nebulis exuti, & ab vniuersis vitiorum sordibus purgati arctissimo beatitudinis vinculo cum Christo Iesu copulemur; virique maturæ iam ætatis, relicta pueritia, quæ varijs opinionum tumultibus, tanquam marino quodam æstu, huc atque illuc impellitur, in illo efficiamur, in eam magnitudinem crescentes, quam obtinent ij, quos ille spiritu suo implet. Vellem equidem, nunc mihi dicerent aduersarij, qui semper mussitare solent, quomodò hæc Pauli sententia vera est, si Romani Pontifices in rebus ad felicissimam illam coniunctionem cum Christo Saluatore nostro assequendam necessarijs tantoperè cæcutiant, vt quæ necessaria sint non videntes mortifera pro salutaribus tradant. Quomodò felicitatis illi nobis aditum aperient, si ipsam felicitatem nō agnoscant? Quomodò Euangelicæ perfectionis viam Romanæ Cathedræ Præsules demonstrabunt, si non habeant

Leuit.c. 10. *Scientiam discernendi inter sanctum & profanum, pollutum & mundum?* Hinc profectò illi, qui Pauli dicta vt par est, amplectuntur, & augustissimam Summorum Pontificum dignitatem præclarè perpendunt; eos nequaquam labi posse in legibus ferendis, quæ communi Ecclesiæ saluti necessariæ sunt, iure optimo contendunt: præcipuè cùm Christus sempiterni Dei filius Petro, & eius successoribus claues Regni cælestis tradiderit, vt nobis aperiant ianuam æthereā; quæ non solùm fidei, verùm etiam rerum agendarū ignoratione clauditur. Accedit etiam, quod idem Paulus, postquàm, ad Timotheum scribens, docuit non ex euentu rē ipsam consequente, sed ex primæua institutionis ratione, & causa, atq. adeò ex ipsa significatione actionis sentiendum, & pronunciandum esse de sacris nominibus, quibus

1.ad.Tim.c. 3. Ecclesiastici ministri appellantur, adiecit: *Hæc tibi scribo, sperans*

rans me ad te venire citò. Si autem tardauero: vt ſcias quomodò oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis. Nam ſi illi, quorum eſt Chriſti oues ad læta & ſalutaria paſcua ducere, errare poſsent in legibus ferendis, quæ ad communem Reipub. Chriſtianæ vtilitatem ſpectant; nequaquam Apoſtolus Eccleſiam appellaſset columnam, & veritatis fundamentum. Quare ſiuè leges Eccleſiaſticæ à Summis Pontificibus latæ ſacramentorum diſpoſitionis normam contineant (cuiuſmodi eſt illa, quæ laicis præſcribit, vt ſub vna ſola ſpecie auguſtiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum ſuſcipiant) ſiue naturalis iuris principia explicent (quales ſunt quę ab vſuris & ſimonia Chriſtianos arcent: nec enim ſingulas, quę ad doctrinam veritatis ſpectant, in pręſentiarum attingere licet) eas ab omni, non dicam errore ſolùm, ſed erroris etiam ſuſpicione liberas eſse fateri oportet.

In eo autem legum genere, quæ Chriſtianæ Reipub. ſaluti minimè neceſsariæ putantur, quamuis ipſius decori conueniant, negandum non eſt Romanos Pontifices hallucinari poſse: (ſic tamen, vt nihil, quod legi diuinę contrarium ſit, ſtatuere queant) propterea quòd dum nimis ſeueri, aut humani, auſteri, aut indulgentes eſse volunt, à prudentiæ moderatione deflectere nonnunquam poſsunt. Nec nos quicquam in hoc detrahimus Summorum Pontificum dignitati: ſi, dum illorum integerrimam fidem in myſterijs religionis noſtrę explicandis, & ardentiſſimum ſtudium in Eccleſia moderanda, & ſummam in legibus neceſsarijs ferendis æquitatem admiramur, aliquantulũ in eis prudentiæ deſideremus, cùm de leuioribus rebus aliquid decernunt; atque in exornanda aliquandò ab illis Eccleſia plus fortaſsè ſtudij, quàm modi eluceat. Cùm pręſertim auguſtiſsima authoritate, qua pollẽt, omnia de his rebus data pręcepta poſteà pro temporũ ratione, atq. neceſsitate, vel corrigere, vel omninò abrogare poſsint.

Reſtat, nunc, vt de tertio pręceptorum genere, quod

in ijs iudicandis, & constituendis, quę ad particulares, vel Ecclesias, vel personas spectant, potissimùm versatur pauca dicamus: in quo Summos Pontifices errare posse ex ignorantia, interdùm etiam ex malitia Alexander tertius his verbis apertè docuit: *Iudicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper innitur: iudicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpe contingit, & falli: Propter quod contingit interdum, vt, qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiã sit absolutus: &, qui liber est apud Deum Ecclesiastica sit sententia innodatus.* Quo in loco diligenter animaduertendum est, longè differre iudicium rerum gestarum, à præscriptione legis, quæ ad aliquam peculiarem Ecclesiam dirigitur. Iudicium enim forẽse potest à veritate deficere vel ob ignorantiam, quia ex incertis hominum testimonijs pendet, vel ob prauum Pontificis iudicantis animum: cùm ille aut odio, aut auaritia commotus ex æquo non iudicat. Quamuis autem non ita facilè credendum est Romanæ Ecclesiæ Antistitem prauo auaritiæ, odij, aut quouis alio humano affectu potiùs, quàm veritate, aut iuris norma vnquam iudicare: tamen si cõcedamus posse eum ex malitia, odio, vel amore peruertere iudicij forensis æquitatẽ in singulari sententia; non ideò quicquam derogabimus Apostolicæ sedis authoritati, & eius certitudini in rebus fidei, & morũ decernendis: cùm ille in huiusmodi actionibus non fungatur officio supremi Pastoris erga totam Ecclesiam, sed iudicis in causa inter priuatas personas controuersa. Hoc enim etiam Concilijs Oecumenicis euenire posse apertè colligitur ex eo, quòd Synodus Chalcedonensis omnium consensu celeberrima Ecclesiam Constantinopolitanam anteponendam nullo iure statuit Antiochenæ, & Alexandrinæ, quæ antiquitatis gloria eminebant. Quamobrem sanctissimus Leo Christi Vicarius, qui omnia illius Concilij acta approbauit, hoc decretum Nicænæ Synodi sanctionibus aduersum rescidit, atque refixit. Hoc verò nemini mirum videri debet. Nam cùm huiusmodi

Cap. à nobis de sent. exom. c

iuſmodi ſcita rumoris auram ſequantur, quę plerunque ex fallacibus hominum opinionibus proficiſcitur, in illis, ſi parum firma ſint, & Concilia, & Summi Pontifices hallucinari poſſunt, quoniam non Spiritus Sancti certiſſimũ afflatum, ſed forenſem famam conſectantur. At verò cùm leges alicui, particulari etiam, Eccleſiæ præſcribunt, vel iudicium ſub ratione ſtatuti ferunt, credendum certè non eſt illos aut ex ignorantia, aut quocunque humano affectu ita errare poſſe; vt, quod Euangelij doctrinæ, vel legi naturali repugnet, obſeruari præcipiant. Pendet enim huiuſmodi legiſlatio, non ex hominum teſtimonio, ſed ex Pontificis inſtinctu, &, (vt dicitur) proprio motu, qui pro ratione muneris ſibi crediti optimè perpẽdens tẽporis, loci, & perſonarum conditionem ea præcepta vtilia, & apta, atq. conuenientia eſſe iudicat. Quopropter quemadmodũ ſi Romanus Pontifex ab aliqua priuata Eccleſia conſultus aliquid de fide ſtatuat, id perindè certum, ac ſi ab vniuerſali Eccleſia conſultus fuiſſet, habendum eſt, quia vna eademq. eſt fides omnibus Eccleſijs communis: ita etiam ſi quicquam alicui priuatę Eccleſiæ circa morum diſciplinã præſcribat, id æquè certum, ac rectum; & neq. Euangelij doctrinæ, neq. legi à natura nobis inſitæ contrarium iudicari oportet, ac ſi vniuerſæ Eccleſiæ præſcripſiſſet; quia mores omnibus Chriſtianis neceſſarij ijdem ſunt, in quorum norma tradenda errare, vt diximus, non poteſt: cùm in hoc Vicarium Chriſti ſe gerat, cuius eſt oues Domini ſana doctrina, tanquam ſalutari cibo, paſcere & reficere.

Verùm non magis illos reprehendendos eſſe exiſtimamus, qui legis vim & naturam communibus commodis definientes, eas leges inanes fore prædicant, ſi quas Summus Pontifex, non in Eccleſiæ vtilitatem, ſed in proprium commodum, aut voluptatem ferat: quàm eos, qui affirmant illum decipi poſſe, & aberrare in quæſtionibus difficillimis, ſi quas etiam curiosè magis, quàm neceſſariò diſſoluendas ſuſcipiat: vt ſi definire velit, an materia ex

qua

qua cæli constant, ab illa differat, ex qua cætera corpora, quæ sub lunæ globo extant, concreta sunt; aliaque huiusmodi, quę contentioni potiùs, quàm pietati seruiunt. Nã si fundamenta, & rationes expendantur, quibus satis superque probauimus Romanæ sedis Antistitem errare non posse, dum aliquid ad fidem, vel ad morum compositionem spectans definit, & decernit; manifestè videbimus id omne in communem Ecclesiæ vtilitatem tendere oportere: neque enim potest religio consistere si desit, qui contentiones dirimere, & tollere dubitationes possit. Quod præclarè Innocentius primus significauisse mihi videtur in ea, quam ad Patres, qui Mileuitanæ Synodo interfuerunt, scripsit epistola. Cùm enim eorum pietatem laudaret, quòd Petri sedem de Pelagij, & Cælestij opinionibus consulendam duxissent; in potissimis sanctissimæ illius sedis muneribus esse dixit, explicare, quæ sententia omnibus tenẽda sit in rebus, non quidem parum necessarijs, sed ad communem Ecclesiæ vsum apprimè spectantibus. *Nam quoties*, inquit ille, *fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum, id est, sui nominis, & honoris authorem referre debere, vt nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundũ possit Ecclesiis omnibus in commune prodesse.* Ideò enim in communi Ecclesiæ periculo Christus pro vno tantùm Petro apud Sempiternum Patrem preces fudit, quòd in eius firmitudine omnium rationibus mirificè prospicere voluerit. Quo fit, vt, (cùm in tanto humani generis discrimine in Romanorum Pontificum, qui in Petri locum & dignitatem succedunt, certa & constanti fide firmissima sint aduersus Sathanæ impetus religionis præsidia à Deo præparata) nullo modo vel ad contentionem, vel ad ingenij tantummodò, doctrinæque ostentationem ea abuti potestate liceat, quæ est ad fratres confirmandos diuinitùs concessa: nec Diuino Spiritui Petri successoribus promisso illæ definitiones sint necessariò adscribendæ, quas perpetuò manere fratrum vel salutis, vel commodi nihil

S. Tho. 2. 2. q. 1. art. 10. ad. 2.

Inno. ep. 32.

planè

planè intereſt. Cum igitur omnis poteſtas, ad aperienda obuoluta myſteria, & ad præſcribendam morum doctrinam & normam, Romanis Pontificibus cælitus tributa in communem ſit Eccleſiæ ſalutem referenda, nihil eos Romanorum Pontificum dignitati detrahere exiſtimandum eſt, qui dixerint, poſſe illos in ijs enodādis difficultatibus, vel legibus ferendis, quæ Eccleſiæ vtilitati minimè inſeruiunt, nonnunquam decipi. Eo namque illorum mihi dignitas ſanctior & auguſtior eſſe videtur, quo fuerit Eccleſiæ rationibus atque neceſsitatibus magis alligata: Nec enim illud ſublime, diuinum, & ſacroſanctum videri nequit, quod Chriſtus (qui non eſt curioſitatis, ſed neceſſitatis inſtitutor; non temeritatis, ſed pietatis fautor) ad Eccleſiæ ſuæ ſplendorem & dignitatem tuendam comparauit. Vnde rectiſsimè quis dixerit tanto magis Pontificum maieſtatem eminere, quanto illi grauioribus cauſis ad iudicium ferendum ſe adiunxerint.

SCio equidem moleſtiſſimè ab aduerſarijs nobis opponi, iam inde ab exordio naſcentis Eccleſię Romanos aliquos Pontifices prædeceſſorum ſuorum leges nunc temperaſſe, nunc immutaſſe, ſæpe etiam eas omninò abrogaſſe, quòd Chriſtianæ eſſent Reipub. pernicioſæ. Nam Cæleſtinus Quintus ſtatum Fraticellorum, vt Chriſti Eccleſiæ valdè vtilem approbauit, quem poſteà Ioannes vigeſimus ſecundus abrogandum decreuit. Similiter Romana Sedes ordinem à quodam Baptiſta Cremenſi intra fines Italiæ inſtitutum, quem authoritate ſua Paulus Tertius muniuerat, & poſteà Venetorum Reſpub. edicto publico exploſit, in perpetuum damnauit. Quod ſi hæc recentiora exēpla non ſufficiunt, euoluere licebit veterum monimenta, ex quibus multos etiam Apoſtolorum canones aut quoad ſeueritatē remiſſos, aut omninò abrogatos eſſe diſcemus. Sed neque hæc omnia, neque mille alia, ſi adducantur, exēpla vlla ex parte labefactare ſententiam noſtram poterūt. Nam Bernardus, (cuius doctrinam eo pluris faciendam ar- CAP. XI.

Lib. de præcep. & disp. bitror, quo magis mihi persuasum habeo oratione potius & pietate, quàm humano fuisse labore comparatam) Ecclesiastica instituta (potissimùm verò de monasticis disserit) inuenta esse dicit, non quòd aliter viuere non liceat; sed quòd ita magis expediat: nec ad aliud, quàm ad custodiā charitatis, excogitata. Quandiù igitur illa charitati militant, immobilia permanent: sed si contraria fortè aliquandò charitati videantur his, quibus hoc posse perpendere, & iudicare concessum est; nonnè æquissimum esse liquet, vt, quæ ad tutelam charitatis inuenta fuerint, ad charitatem quoque fouendam, vbi expedire videbitur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud fortè commodius commutentur, vel etiam omninò abrogentur? Sanè. Iniquum enim est statuta ad charitatem comparandam, eandemq. tuendam condita obstinatis animis seruare cùm in detrimentum ipsius charitatis vergere incipiunt. Itaque
Lib. 3. ep. 8. Petrus Cluniacensis Bernardo æqualis præclarè dicit diuina mandata, partim mobilia, partim verò immobilia existere. Diuina verò mandata intelligit, non solùm ea quæ Christus Dominus directè hominibus tradidit, vel per Apostolos constituit, siue illa quæ Deus ipse per Patriarchas & diuinos Vates obseruari iussit, verùm etiam illa quæ Apostolorum successores ritè decreuerūt. Idem enim diuinus spiritus, qui priorum Patrum cordibus se se infundens salutaria præcepta per eos hominibus tradidit, per hos quoque, qui recentiores videntur, operari non destitit hominum salutem, ea iubendo, quæ vel necessaria, vel vtilia illis esse poterant: adeò vt per diuersos præcones verba Domini promulgata veneremur; & in diuersis organis eiusdem spiritus vocem agnoscamus. Horum igitur præceptorum quædam pro causarum, & temporum ratione mutantur; quædam verò omnem respuunt immutationem. Vt autem quæ in diuisione vltima fecimus, ob illorum dignitatem, in explicatione prima faciamus; in eorum numero (nam cuncta non vacat colligere) esse dicimus

cimus

cimus maximum illud, & primum præceptum de dilectione Dei; secũdum huic haud dissimile, quo nobis amor erga proximum iniungitur; necnon illa, quibus animorum submissio, castitas, & veritas nobis imperantur. Nam hæc (quæ ad rei, de qua agimus explanationem sufficere arbitramur) sine vlla dispensatione inuiolata, & sine immutatione omni ex parte integra ad nos vsque peruenerunt, & sarta tecta conseruantur. Nemo enim ex Catholicis Patribus vnquam statuit nè Deus, cuius beneficio sumus, & viuimus, ex toto corde, & ex toto animo amaretur: Nemo vnquam alicui præcepit nè proximum sicut se ipsum diligeret. Nemo superbiendi facultatem dedit: Nemo Venerem, aut mendacium, aut furtum, aut rerum alienarum appetentiam permisit. Sunt igitur hæc, & pleraque alia his simillima immutabilia prorsus & sempiterna.

Inter illa verò, quæ mutari ex quibusdam causis licitè possunt, ea secundùm priscorum Patrum sententiam, collocamus (quorum pleraque in sacris canonibus videre licet) quę sicut pro communi totius Christianæ Reipub. vtilitate, vel pro alicuius priuatæ Ecclesiæ commodo statuta sunt: ita etiam pro communi vniuersæ Ecclesiæ, vel alicuius Gentis salute mutari oportuit: quia charitas hoc suaserat, cui in omnibus castè & sanctè obediendum est, & cuius causa mutationem subire leges æquissimè solent, Et quia nec ista omnia facilè numerari possunt, sufficiant illa, quæ, cùm in controuersiam passim adducantur, nobis fortasse dicendi materiam & ansam præbuere: nam ea, quoties charitas præcipit, absque vllius præuaricationis timore amouẽda esse nemo inficiabitur. Quid enim, amabo, illam sanctionem de non transferendis Episcopis ab alijs in alias sedes à priscis patribus cogitatè & prudenter conditam immutari coegit, nisi melius prouidens Ecclesijs charitas? Quid hæreticos, & viros grauissimis alijs criminibus infectos, post idoneam sceleris pænitudinem,

contra veterum decreta Ecclesijs præfecit? quid post abiurationem relapsos ad pristinam, vel etiam ampliorem dignitatem euexit, quòd vetus Ecclesiastica disciplina tantoperè prohibuit, nisi multorum saluti consulens charitas? Sanè Siricius sanctissimus & doctissimus Pontifex, Tertullianus, Origenes, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, omnes denique Patres vna mente, vna & voce eos qui publicam egissent pœnitētiam, quos nunc solemniter abiurantes vocamus, si iterum laberentur à communione etiam publica omninò arcendos esse constanter tradiderunt: tantùm abest, vt eis ad aliquem dignitatis gradum ascendendi facultas concederetur. Quod quidem adeò seuerè obseruatum fuit olim, vt etiam ex hac vita descendentes participatione sacramentorum quandoque priuarentur. Cuius disciplinæ seueritas quamuis post Nicænum Concilium non parum remissa est) ita & rationi, & recto regimini consona videbatur, vt Plato solo lumine naturæ ductus statuerit, vt ij, qui in contemptum, ludibriumque deorum prorumperent, in σωφρονιστήριον carcerem ex legis præscripto conijcerentur, ibique quinquennium ad emendationem manerent: Intereà verò nemini ciuium cum ipsis consuetudinem habere permittebatur, præterquàm nocturni collegij sodalibus, qui admonitionis gratia ad animæ salutem cum illis colloquebantur: Exacto tandem vinculorum tempore, si rursus eiusdem sceleris condemnarentur, absque vlla spe veniæ morte mulctabantur: Heresiarchas autem perpetuis carceribus mediterraneis mancipari, mortuos verò extra imperij fines eijci præceperit. Quod tamen & Platoni in Rempub. suam summè propenso, & veteribus Patribus, ob Ecclesiæ vtilitatem, & charitatem eximiam, qua ciues ab huiusmodi sceleribus arceri cupiebant, sacrosanctum videbatur; eademmet Ecclesiæ vtilitas, eadem charitas effecit, vt, cùm maximi alicuius prouentus publici, & communis Reipub. Christianæ vtilitatis spes certa data esset sedi

Plat. lib. 10. de Repub.

Apo-

Apoſtolicę, ſanctiſſimi Pontifices, temporum & locorum rationibus diligenter inſpectis, eos qui vel Sacerdotali, vel Pontificia, aut etiam Regia dignitate ceciderant, nonnunquam ad eundem, aliquandò etiam ad amplioris dignitatis gradum aſſumpſerint. Solent enim illi, ſummam Eccleſię in ſe benignitatem & beneuolentiam experti, exemplo ſuo cæteros, tàm collegas, quàm ſectatores & ab impietate reuocare, & ad reſipiſcentiam cum magno animorum fructu & Chriſtianæ Reipub. emolumento allicere. Quid item presbyterorum filios in Eccleſiarum Præſules, & Epiſcopos aſſumi contra antiqua Patrum decreta aliquandò iuſſit, niſi, eorum tum vitæ integritate, tum eximia eruditione, & ingenio ad Oeconomiam Eccleſiaſticam apto diligenter perpenſis, id Eccleſiæ vtile futurum *Greg. lib. 12.*
iudicans charitas? Quid Anglis coniugia permiſit, à qui- *ep. 91.*
bus cæteros prohibuit hæroum doctrina & conſuetudo, niſi id expedire propter religionem non ita pridem ab illis acceptam ſentiens charitas? Quid multa in hunc modum antiqua præcepta mutauit? Quid noua, veteribus exploſis, tam frequenter inſtituit? Quid nunc hæc, nunc illa populis Chriſtianis præſcripſit, niſi pro tempore, & loco, nunc generatim, nunc ſpeciatim ſaluti humanæ ſolicitè ſemper inſeruiens charitas? Cùm igitur ſub iure chatitatis omnia canonica mandata, imò, ſecundùm Domini ſententiam, etiam vniuerſa lex, & Prophetæ contineantur; ac præcipuum Chriſti præceptum ſit charitas, ad quam reliqua omnia referuntur, tandiù profectò ea fixa eſſe oportebit, quandiù ei miniſteriũ præſtabunt. Quamobrem vt ille, qui ea conuellere conabitur, quæ ſempiternæ hominum ſaluti conſulunt, iure optimo cenſebitur ipſius charitatis exterminium perperam moliri: ſic ſanè Summus Eccleſiæ Præſul eam fouere iudicabitur, cũ omnia, quæ animorum ſaluti obeſſe comperiuntur, immutabit, amouebit, & omninò antiquabit. Non enim ſine charitate Eccleſiaſtica præcepta traduntur; nec, niſi propter

chari-

charitatem, immutantur: quemadmodum etiã nec monastica instituta sine charitate approbari, nec, nisi charitate destituantur, ab vllo Romanæ sedis Episcopo improbari consueuerunt. Charitas ergo, quę quid tempori, quid populorum cõditioni, quid locorum necessitati congrueret accuratè perpendit, per Patres olim leges iustissimas condidit: sed easdem posteà animorum saluti, cui illa maximè inseruit, nocere animaduertens, omninò vel abrogauit, vel immutauit. Potissimum enim charitatis Christianæ munus esse hominum saluti consulere non solùm omnes prisci Patres, & Apostoli clamant, verùm etiam Saluator noster apertissimè docet. Vnde disertè D.P. Augustinus, si vna desit charitas inania cuncta, si adsit plena omnia esse dixit. *Dilige*, inquit, *&, quicquid volueris, fac. Ama ex toto corde tuo, &, quod volueris, exerce in proximo tuo. Si irasceris, dulce est, quia de charitate procedit. Si corripis suaue est. Si castigas etiam & flagellas acceptabile est. Quare hoc fratres? Quia verus amor est, quandò corripis & castigas, quandò etiam de Ecclesia foras proijcis, amaritudo videtur sæuire in ore, sed dulcedo seruatur in corde.* Si ergo charitas, vt proximi saluti consulas, quicquid velis tibi facere concedit; cur Summo Ecclesiarum omniũ Præsuli Romano Pontifici non licebit leges à prædecessoribus suis latas abrogare, cùm id salutis ratio exposcit? Nullam certè iniuriam antiquis Patribus inferri iudicabit, qui secùm perpenderit huiusmodi sanctiones vel immutari, vel abrogari, non ab alio, quàm ab ea charitate, quæ diffusa à Spiritu Sancto in animis illorum, eis, tanquã organis, vtebatur, dum ipsi legibus ad Ecclesiæ vtilitatem ferendis incumbebant. Nam cùm neque charitas æmuletur, neque inflari soleat, neque ambitioni studeat, neque quæ sua sunt quærat; illos, quorum animos possidet, ita componit, vt eos aliquid contra æquitatem moliri non sinat. Quapropter, christianæ sapientiæ & modestiæ non esse, existimare Summos Pontifices amplitudini & dignitati suorum prædecessorum derogare, dum tempo-

De temp. ser 41.

ri,

ri, & hominum conditioni inseruientes, leges ab illis prudenter olim conditas aut corrigunt, aut omninò abrogant, ex eo apertissimum, promptissimumque esse potest; quòd neque Christus vel legi veteri, vel Sempiterno suo Parenti, qui vt tempus illud, & illius populi natura postulabant, eam tulit, quicquam detrahere visus fuit, quandò, promulgato Euangelio, eam antiquari præcepit.

Quibus omnibus accedit, fieri nullo modo posse, vt humanæ leges, quæ circa singulares hominum actus versantur, omnibus mortalibus semper accommodatæ, semperque salutares existant in tanta morum dissimilitudine, & tanta nationum, ac linguarum varietate, & humanarum rerum inconstantia, quantam singulis momentis videre contingit. Vnde Aristoteles in Principe æquitatem quandam exigit, qua ipse ductus à lege discedat, si eam in perniciem Reipub. deflectere animaduertat. Nam quamuis Iustitia mutabilis non sit; tempora tamen, vt inquit Augustinus, quibus illa præsidet, non pariter procedunt: tempora enim sunt. Quo fit, vt, quæ sunt quibusdam hominibus salutaria, alijs exitiosa euadant: &, quæ sunt quibusdam temporibus vtilia, alijs perniciosa fiant. Quamobrem, necesse omninò fuisse existimandum est, vt illius iudicio, & dispensationi Ecclesiasticæ leges subijcerentur, cuius etiam imperio vniuersa Christiana Respub. subiacet: vt quod æquitati consentaneum visum fuerit ita decernat, vt salutem Reipub. omnibus alijs commodis & rationibus præferat: (est enim eius, qui alijs præsit, eorum, quibus præsit, commodis vtilitatique seruire) & pro temporum & locorum ratione, & hominum natura, prudentia sua vniuersa moderetur, & canonũ sæueritatem vel obseruet, vel certis quibusdam condimentis humanitatis mitiget & relaxet; vel etiã, si id opus esse videbitur, ab illis nonnunquam recedat. Stabiles enim leges figere solius Dei summi, & sempiterni

L. Neque leges. ff. de legib.

Aug. lib. 1. de lib. arb.

Lib. 7. Polit.

Lib. 3. Confes. cap. 7.

ni

ni rerum omnium Domini, & moderatoris est, qui cùm mortalium actiones,& rerũ immutationes, & vitæ humanę necessitates multò ante prȩuiderit, omnibus his sapientissimè prouidere potuit. Quare nõ immeritò diuinas leges indissolubiles appellamus, quia,cùm in rebus vi & natura sua optimis versentur, nunquam possunt nõ esse salutares:humanas verò,etsi maximo consilio & singulari prudentia conditas,mutationi subiacere dicimus:quia euenire potest,vt longè aliud tempora, & hominum mores exposcant. Ex quo facilè colligimus præsentem medicinam Ecclesię morbis allatam, & humanis infirmitatibus optimè consultum fuisse, cùm Ecclesiasticæ leges positæ sint sub iure supremi Christi Vicarij, cuius authoritas tãquam cælestis quidam fons est, vnde spiritalis vitæ remedia petamus. Ex quo etiam haud obscurè consequitur iudicium Summi Pontificis in ferendis legibus, quæ ad animorum salutem spectant, ita falli non posse,vt aliquid præscribat, quod vel Euangelicæ doctrinæ, vel legi naturali quouis modo repugnet.

Ex his autem omnibus duo manifestè deducimus; quorum vnum est, Lutherum & illius asseclas impiè negasse, Summo Pontifici authoritatem esse in numerum Sanctorum referendi quos castè & purè vixisse testatum relinqueretur. Cùm enim iam inde à primis Ecclesiæ initijs hac de re fuerit communis omnium Patrum consensus,perpetuus Ecclesiæ vsus & traditio, ac denique in Concilio Florẽtino Patres prȩceperint Armenijs,vt Beatissimum Leonem primum,vt Sanctorum catalogo merito adscriptum, venerarentur; ita profectò apertè constat Romanæ Sedis authoritatem ad hoc latissimè extendi, vt id negari sine maxima impietate non possit. Nam si (vt initio huius disputationis proposuimus) Sancti implorandi sunt, vt certè sunt à Christianis omnibus inuocandi, oportet in Ecclesia aliquem esse,qui posit viros virtute indubitata præclaros in illorum numerum referre,& eos Christiano cœtui proponere:

De vnio. Arme.

Cõcil. Trid. sess. 25.

ponere: tum vt ille eorum facta admiranda imitari pro viribus nitatur; tum etiam, vt ſciat, quos roget, vt apud Sempiternum Patrem pro ſe intercedant. Alterum verò, longè à veritate eos diſcedere, qui temerè aſſerunt Romanum Pontificem in eo iudicio ferendo errare poſſe. Cùm enim, vt doctiſſimè tradit Cardinalis à Turrecremata, hæc res potiſſimùm ſpectet ad fidei Chriſtianæ religionem, cuius negotia Chriſtus Eccleſiæ caput Petro, vtpotè Vicario ſuo, & eius ſucceſſoribus commiſit: fieri non poteſt, vt eum, quem ab omni erroris lapſu liberum conſeruat quādo leges de rebus ad ſalutem neceſſarijs, & ad morum compoſitionem ſpectantibus Eccleſiæ præſcribit, turpiter labi permittat in re tanti ponderis & momenti, quanti eſſe hanc intelliget, qui ſecum conſiderabit Eccleſiam poſſe deſpectui haberi, & à tartareis ſpiritibus irrideri; ſi quos ipſi perpetuò cruciandos, iuſto Dei iudicio, tenebricoſo carceri manciparunt, Summus Eccleſiæ Paſtor in honore habendos, colendos, & obſeruandos Chriſtianis populis proponat.

Turrecr. de conſecr. d. 3 n. 22.

Nec illorum ratio, qui contrariam ſententiam perperam defendere conantur, nos loco mouet. Quanuis enim in iudicijs, quæ ad particularia facta pertinent, Romanum Pontificem hallucinari poſſe haud inuiti concedamus: nunquam tamen fatebimur huiuſmodi eſſe iudicium illud, quo ille diligenter perpendit, & approbat vitæ integritatem, & candidos eius mores, quem inter ſanctos referre decernit. Pertinet enim hæc relatio ad vniuerſalem Eccleſiæ ſtatum; cùm ſit veluti quædam fidei profeſſio: ob idque credimus, & prædicamus Romanæ ſedis Præſulem à Spiritu Sancto, qui omnia perſcrutatur, ita tutò duci, quoties geſta illius explorat, quem ſacro Diuorum catalogo inſerturus eſt; vt quemadmodum nunquā ea ſacris myſterijs adiunget, quæ vel falſa, vel profana, vel Eccleſiæ rationibus minimè neceſſaria ſunt: ſic nullo vnquam tempore eum, quem Chriſtus Regni ſui partici-

Caiet. in tract. de Theſau. Indulg. cap. 8.
Gloſa. in c. vnico de reliq. & vener. Sanct. lib. 6.
Felin. in c. venerabilis de teſtibus.

pem non fecit, colendum & imitandum proponet. Ipsa enim rei, de qua agitur, amplitudo, ipsa Ecclesiæ vniuersalis gubernatio iure suo postulant, vt Summus Pontifex eodem spiritu, quo & ducitur ad aliquod fidei dogma stabiliendum, & ab inanibus definitionibus reuocatur, accedat ad referendum inter sanctos quos Pater cælestis sempiterna beatitudine affecit; & à publica commendatione vitę illius retrahatur, qui perpetuò apud inferos supplicio torquetur. Atque hæc quoad præsentem disputationem dixisse sufficiat; quia aliò ducimur, vt ostendamus Pontificiam iurisdictionem circa negotia etiam sæcularia versari.

CAP. XII.

QVando enim hanc Ecclesiasticam Rempub. perfectā, & omnibus suis numeris absolutam esse diximus, oportet proculdubiò, vt omnia, quæ ad sui finis consequutionem necessaria sunt, plenissimè habeat. Ea autem ciuilis Respub. in qua vel optimæ leges desiderantur, vel Magistratus potestatem in rebelles & inobsequentes non habet, vel cui aliud quicquam necessarium ad sui conseruationem deest, imperfecta iure optimo censetur. Quare, cùm ad optimi status conseruationem Ecclesiasticæ Reipub. apprimè necessarium sit posse de rebus temporalibus disponere; efficitur profectò, vt, nisi penes Summum illius Rectorem Pontificem Romanum summam quoque potestatem temporalem, & ciuilem esse concedamus, necessariò Ecclesiastica Respub. in maximo versetur discrimine: quod quàm sit alienum à mente sapientissimi illius institutoris satis superque à nobis demonstratum est. Vndè nunquam potui non mirari illorum temeritatem, qui cùm haberi Catholici velint, ita hæreticis fauent, vt affirment iure naturali & diuino omnem authoritatem in Principes ciuiles Summo Pontifici esse interdictam. Quæ sententia quanta illis attulerit impietatem testes sunt illæ Septentrionales Prouinciæ, quæ à sede Apostolica fœde deficientes contendunt in nulla penitus re

posse

posse Christi Vicarium authoritatem in Principes, vel ciuiles Magistratus exercere. Quo factum est, vt illorum nonnulli diuinos penè sibi arrogent honores, fidem his assentatoribus maximam habentes. Est enim adulatio perenne Regum malum, quæ eorum mentes sæpius quàm hostis opes euertere consueuit. Quapropter Diogenes Cynicus scitè admodum, & verè dicebat, multò satius esse coruis, quàm adulatoribus, exponi: quia illi in mortuos *Ex libr. 20.* tantùm sæuiunt, hi viuos crudeliter laniare non desinunt. *lect. antiq.* Anaxilas verò eos vermibus non immeritò comparabat: *Calij. c. 33.* quoniam vt hi triticum nacti non recedunt donec illud *Ex Athe-* omninò consumant; sic illi à Principum latere non profi- *næo.* ciscuntur, nisi eorum mentibus penitùs corrosis. *Nihil est,* inquit Hieronymus, *quod tam facilè corrumpat mentes hominum, sicut adulatio: plus enim nocet lingua adulatoris, quàm gladius perse-* *Super psal.* *quutoris.* Est enim adulator omnis virtutis teterrimus hostis, qui quasi clauum figit in oculo illius cum quo sermonem conserit, ne quod sub verborum lenocinijs venenum latet possit inspicere: ideòque magis cauendus est, quoniam, non sine nefario scelere, sub amantis specie nocere non desinit, donec rationis obtundat acumen, & modicum illud lumen, quod reliquum fuisse videbatur, prorsus extinguat. Vnde non modo prisci Patres, & heroes nostri, sed veteres etiam ethnici Philosophi, quoties de Principum institutione sibi disserendum fuit, eos diligentissimè admonendos duxerunt, vt à congressu suo assentatores quàm longissimè arcerent, & illis aures suas clauderent, quorum verba hominum mentes grauiter vulnerare, & iudicium adulterare vsque adeò solent, vt verum nequeant à falso discernere. Et, cùm illi, qui iugiter blandiuntur, nihil ad veritatem, sed omnia ad voluntatem loquãtur & agant, nullam profectò ipsorum dictis fidem esse habendam, ijdem sapientissimè tradiderunt. Hinc apud Græcos celebris habebatur illa Menandri sententia, δὴ τοὺς φιλοῦντας πίςιν οὐ λόγους ἔχειν, id est, oportet

eos,qui amant,fidem non sermones habere. Vellem equidem vt nunc dicendi libertas mihi concederetur, vt ex factis quorundam Principum, quos isti in grauissimos errores adulationibus suis detruserunt, manifestè ostenderem quàm sint istiusmodi homines indigni, qui Regio lateri assideant: efficeremque vt omnes intelligerent, quod Hieronymus ait, eos infestissimos hostes esse, & ardentes diaboli scintillas. Liceret autem maximè, nisi, quod idem Hieronymus ætate sua deplorabat, hoc miserrimo tempore adulationis vitium ita sceptrum obtinuisset, vt submissionis, & beneuolentiæ loco ducatur; contra verò, qui ab eo abstinet, maleuolus, aut superbus existimetur. Nec etiam me latet, hanc esse veritatis naturam & conditionem, vt, quemadmodum assentatione perniciosæ comparantur amicitiæ, sic etiam illam vndique inimicitiæ inuadant. libenter enim quod delectat audimus, & grauiter nos offendit quod nolumus. Quantò autem apertior est adulator, quanto improbior, quanto magis frontem suam perfricuit, tanto facilius hominum mentes expugnat. Eò enim amentiæ ventum est, vt, qui parcè adulatur, malignus, vt inquit Seneca, habeatur. Quoniam tamen Sanctissimus Pater Augustinus clamat neutrum crimine carere, & qui verum celat, & qui mendacium dicit: quia ille prodesse non vult, & hic nocere desiderat; contemptis obtrectatoribus, ita ad disserendum de sæculari Summi Pontificis potestate (qua de re iam olim satis disputatum fuisse, videri posset, nisi hodie aliqui, nescio quo ducti spiritu, eandem in controuersiam reuocassent) accedam, vt nec vera vllo metu sileam, nec falsa persuadere contendam. Certum enim est eum diuinam iram in se excitare, qui formidine alicuius potestatis veritatem occultat: quæ si placendi causa hominibus dicenda non est; quanto minus mendacium, quod natura sua, ex eo, quia mendacium est, vtique turpe est? *Væ igitur his, qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ*

Hiero. in c. 1. prou.
Ad Celanti.
Seneca lib. 4. nat. quæst.
Aug. ad Casulan. habetur 11. q. 3. c. quisquis.
Aug. ibidē.
Aug. lib. de menda. & habe. 22. q. 2. cap. primum.
Ezech. c. 13. & ibi Gregor.

uersæ ætatis. Ad hoc quippe inquit Gregorius (*sub cubito puluillus, vel ceruical sub capite iacentis ponitur, vt moliter quiescat. Quisquis ergo malè agentibus adulatur, puluillum sub cubito, vel ceruical sub capite iacentis ponit: vt qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter quiescat.* Itaque, nè sibi id accideret, quod maxima dignum reprehensione censetur, Ioannes Gersonus Parisiensis Theologus (quamuis ille nescio quo genio ductus non tantum, quantum par est Pontificiæ authoritati tribuerit) duplicem in hac re pertractanda pestem euitare constituit: vnam, quam liuidam detractionem appellat; alteram, quam subdolam adulationem nominat. Quarum illa, eo authore, Ecclesiasticam potestatem penitus deprimit, eam ciuili Principum iurisdictioni subijciens: hæc contra adeò extollit, vt ipsam diuinæ potestati adæquet. Vtraque, inquit, maximum vitium est, quia duo extrema sectatur contraria veritati, cuius synceritas in medio consistit. Nos igitur ne ad assentationis saxa, vbi multi miserè periere, proiecti, vel hic in Scyllam, vel illic in Charybdim impingentes, synceræ doctrinæ naufragium faciamus; nec Ecclesiastico, nec ciuili Principi vnquam assentabimur. Est enim omnis adulatio turpis, sed ea turpissima censeri debet, quæ veritati sacrorum monumentorum tenebras infundere conatur. Illud tamen prius lectorem rogatum esse volumus (licet generalis disputatio, vt inquit Hieronymus, vnius personæ iniuria non sit) nè nobis, sed diuinæ veritati, quæ nos hallucinari non sinit, adscribendum censeat; si præ celsitudine Pontificiæ potestatis, infima ciuilium Principum authoritas videatur. Sed iam tandem rem aggrediamur, nè huc, atq. illuc diuagari contingat.

Tract. de Eccles. potesta. consid. 12.

Hier. in proem. li. 11. in Esa.

Non solùm ex dictis Sanctissimorum Patrum, verùm etiam ex placitis Philosophorum, & ex rerum magistra experientia apertè constat, nullam multitudinem diu cõseruari posse, nisi inter se colligatur vinculo alicuius Principis, qui suum cuique præscribat, & qui posſit cuiusque

facti

facti rationem exposcere, & vitia puniendo corrigere, omniaq. ad æqualitatem quandam prudẽter reducere. Quòd si in qualibet, etiam vnius ciuitatis, etiam vnius viciniæ, & vnius quoque familiæ, multitudine hoc verum est: quid in ea fore putabimus, quę per totum Orbem diffusa innumeras ferè Gentes, & nationes complectitur? Sanè si considerabimus non modo vnicuique brutorum in societate viuentium speciei singulos duces præesse: verùm etiam toti auium generi Aquilam, vt Plinius testatur; toti verò quadrupedum collectioni Leonem, authore Epiphanio, dominari; & hominem à Deo conditum, vt præesset piscibus maris, cæli volucribus, terræ bestijs, ac ipsi etiam terræ, & omnibus, quæ in illa mouentur, nè tam variæ animantiũ species, hac saltem ex parte incompositæ & inordinatæ viderentur, si omnes simul vnum ducem non haberent: dubitare non licebit, an præter vnum caput, quod in singulis hominum familijs eminet, præter ciuitatũ Rectores, præter Principes, & Reges, præter Ecclesiasticos Præsules, qui singulis Ecclesijs præsunt, vnus sit supremus horum omniũ Princeps cuius imperio parere oporteat. Nam cùm planè necessarium sit, vt ad finem sæculi vnitas veræ Christi Ecclesiæ (quam nos Romanam esse alibi demonstrauimus) perfectè conseruetur, tantò magis necessarium eum ordinem esse apparet, quem in illa diuinitus constitutum ostendimus. Quemadmodum igitur in hac indiuidua huius Ecclesiastici corporis vnitate opus est, vt omnia simul membra in his communicent, quæ ad Christi religionem, & æternam salutem assequendam pertinent, quò vniuersa Christiani hominis opera spectant: ita planè necessarium esse apparet, vt omnia gubernentur imperio vnius capitis, cuius beneficio in hac vnitate contineãtur, & quod singulis sua præscribat munera; & possit eorundem rationem exigere, & delicta punire, & seditiones sedare, & pacem tranquillitatemq. conseruare in Christiana Repub. quæ est domus Dei, nè sit, vt inquit Paulus, schisma in corpore.

Plin. lib. 10. cap 3.

Epipha. hæres. 74.

In libris de vera Chris. Eccle.

Cu-

Cuius membra sunt, non solùm Episcopi, & Presbyteri, cęteriq. diuino cultui peculiariter mancipati, sed etiam reliquus populus (quos laicos dicimus) vt Imperatores, Reges, Principes, ciuiles coetus, & Rerumpublicarum Magistratus, etiam quatenus ciuiles existunt. Non enim Christiana Respub. aut perfectè institui, aut optimus illius status diù conseruari potuisset, si ex solis hominibus Ecclesiasticis, & in cælibatu viuentibus constitisset: ideoq. oportuit, vt etiam multitudinem nullis sacris initiatam, cui necessario ciuiles Magistratus, Principes, & Reges præficerētur, ad finem vsque sæculi per sanctum immaculatumque coniugium propagandam cōtineret. Nam vt cæteræ omnes creaturæ Dei vnius principatum agnoscunt quidem, non tamen absque vlla alia re interiecta, sed primùm per interpositam suorum in vnoquoque genere Ducum præfecturam, deinde per communem dominij potestatem: sic etiam Christiani homines Monarchicum Principatum, quo Christus in Repub. sua potitur, sentiunt primùm per interpositos Pastores, qui singulis Ecclesijs pręsunt, deinde per vnum omnium maximum Præsulem, qui loco Christi omnibus præsidet; vt ipsis hominibus, qui numerosa propagatione diffunduntur, vinculo quodam naturali cohærentibus, nulla tam in terra, quàm in cælo reperiatur multitudo, quæ non reuocetur ad congruentem naturæ suæ vnitatem & primatum. Quare cùm ciuiles Magistratus, Principes, Reges, & Imperatores Reipub. Christianæ partes sint & membra, eius supremo capiti, vniuersali Præsidi & Rectori Romano Pontifici subesse debent, qui omnes pro iure suo moderetur: omnes in suam & totius corporis vtilitatem mutuò conspirantes foueat; omnes in officio suo, quantum fieri possit, contineat; si quos præuaricari videat, continuò corrigat, &, si Christianæ Reipub. necessitas id postulet, ab administratione & dignitate amoueat, & alios eis surroget, aut suffici iubeat per eos, quibus vel iure, vel consuetudine talis potestas concessa esse

vide-

videbitur. Ratio enim ciuilium societatum à primis ipsarum initijs satis superq. diuersis rerum euentibus comprobata apertè demonstrat hoc eius esse, qui primas partes tenet in qualibet societate; nec aliter inter eos communitatem, & vnionem subsistere posse.

Quod certè non pauci viri doctrina & pietate clarissimi considerãtes vrgentissimis rationibus probant Romanum Pontificem ita in vniuersum terrarum orbem plenissimam potestatem habere, vt circa ciuilem omnem statum rerum temporalium absolutam quandam iurisdictionem, & merum imperium per vicarios suos, id est ciuiles Principes exerceat. Sed ne adulationis crimen, quod me subterfugiturum promisi, statim initio disputationis subire videar, eam primò sententiam probandam suscipiam, quam omnium doctissimis & sanctissimis Patribus placuisse video; veritus etiam nè illorum aures offendam, qui vel nihil omninò, vel minimum Pontificiæ dignitati tribuunt: quos mansuefieri, & infantium more, lacte primùm, deinde minutissimis & dilicatissimis cibis nutrire oportet. Nam & illi, qui lippis sunt oculis lucidissimos Solis radios primò intueri non possunt; sed necesse est, vt subobscuram prius lucem prospectent.

DD. in c. nouit. de Iudi. Abb. in c. Si duobus. denique. de appell. Couar. in reg. posse. 2. p. 9. n. 7. Aug. triũp. de potestat. Eccl. q. 1. ar. 1. Hos. in c. quod super his. de voto & vot. redemp.

CAP. XIII

ITaque (vt rem à primis suis initijs eruamus) qui attentis animis secum considerabunt, & contemplabuntur, in quauis bene constituta Repub. alios quidem diuinos, alios verò humanos habendos esse Magistratus, facilè profectò consequentur, horum leges minimè vtiles esse posse, nisi sacris præceptis comitatæ Deo authore nitãtur. Præclara enim, etsi vulgaris, est illa Gelasij ad Imperatorem Anastasium sententia, qua tradit duas præcipuas potestates, Sacerdotalem videlicet, & Imperatoriam, tanquam præstantissima munera à Deo esse concessas. Quod certè Iustinianus Imperator disertissimis etiam verbis videtur docuisse. Si enim antiquum Romanorum ius in sacris, in Sacerdotibus, & in ciuilibus Magistratibus, authore

Disti. 96. apud Grac. c. duo sunt. Nouell. 6. quomodo oportet Episc.

thore Vlpiano, constitit: & hoc ipsum in Hebræorum populo obseruatum fuisse docent Eusebius, & Isidorus, vt ijdem essent apud eum Pontifices & Reges; profectò hoc idem in Repub. Christiana seruari oportuit, sola functionum, & personarum distinctione inducta. Quibus sanè huius Christianæ Reipub. duobus capitibus vnus communis finis esse debet, religionis nostræ, ac diuinorum præceptorum obseruatio. Nam licet finis, quem ciuiles potestates sibi propositum habent, sit optima Reipub. constitutio, & apta rerum ciuilium dispositio: tamen dubium non est, quin hic ad illum alterum, vt præstantiorem, dirigatur. Ob idque Imperator Iustinianus in Sacerdotio & Imperio quandam *συμφωνίαν*, id est harmonicum quendã cõcentum nulla ex parte dissonum situm esse aiebat ad optimam Rerumpublicar. constitutionem. Quam sententiam, vtpotè à sapientissimo Principe profectam, Orientales Episcopi ad Tharasium Constantinopolitanum scibentes mirificè commendant. *Sacerdotalis dignitas,* inquiunt, *Imperij sanctificatio est & confirmatio: Imperium verò Sacerdotalis dignitatis robur & potentia: qua de re sapiens quispiam Rex, & inter Reges facilè beatissimus, dicere solebat, maxima dona, quæ à Deo hominibus data sunt, Sacerdotij dignitatem, & Imperium existimaui. Illa enim cælestia curat, & dispensat; hoc autem legibus æquis, & iustis omnia, quæ in terris fiunt, procurat.* Nec aliàs magis Regnum dilatatur, nec Sacerdotium prouehitur, nec vtrunque cohonestatur, quàm cùm felici confederatione Deo omni ex parte iunguntur. Quorum tamen hoc multò illo præstantius iudicabit, qui, quantum discriminis sit inter spiritualia, quibus Sacerdotalis potestas inseruit, & terrestria, quæ Regia dignitas moderatur, agnouerit. Si ergo has duas potestates in Repub. Christiana esse constat; si vtriusque idem est scopus, diuinæ videlicet legis obseruatio, qua vitam æternam assequamur; si Sacerdotalis præstantior, & nobilior existit, negari non potest (cum vnam tantùm Rempub. Christianam esse alibi probauerimus)

l.1.§. huius. ff. de iust. & iu.
Euseb. lib. 1. hist. c. 5.
Isidor. lib. 2. de diu. offic. c. cleros. 21. dist.
In 2. Synod. Nicæ. act. 3.

Ecclesiasticis Principibus concessam fuisse à Deo potestatem in ciuiles Magistratus, & Principes seculares: adeò vt, ratione illius vltimi finis, imperiū in vniuersum Christi gregem ita competat spirituali potestati, vt iure suo possint in quoscumque huius Ecclesiasticæ Reipub. perturbatores animaduertere: illorum iura tollere; illorum Regna & Imperia in alios transferre; & omnem denique iurisdictionem, & coercitionem in illos exercere. Alioqui enim munus suum, quod est, in diuino examine pro ipsis etiam Regibus exactam reddere rationem, absque disciplina tueri, & conseruare nullo modo possent.

Hanc veritatem, quanquam ex se firmissimam, Patres tamen orthodoxi maximis argumentis confirmant, & verissimis exemplis illustrant: è quibus nos ea, quæ potiora videbuntur in aciem adducemus, omissis illis quæ vel in omnium ore versantur, vel ad rem, de qua in præsentiarum disserimus, parum facere iudicabimus. Atque illud omnium primum sit: Diuini & naturalis iuris ratio exposcit, vt nullus alius ad Regni gubernacula assumatur, quàm is, qui Christo & nomen, & fidem dederit. *Cùm dixeris*, inquit Dei nomine Israelitis Moses, *constituam super me Regem sicut habent omnes per circuitum nationes, eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus.* Quid ita? Quia indignum prorsus fuisset, si Dei populus ethnicum aliquem, & idololatrā in Regem elegisset. Fundamentum enim Regiæ dignitatis religio est: quam duobus potissimum capitibus contineri, piorum, scilicet, dogmatum certitudine, & bonis operibus, tradidit Cyrillus Hierosolymitanus: ita vt neque dogmata sine bonis operibus accepta sint Deo; neque absque pijs dogmatibus opera, quantumuis natura sua perfecta, suscipiat Deus. Augustinus verò apertiùs & significantiùs dixit religionē & pietatem nobis duo præ se ferre; vt benè de Deo sentiamus; & vt rectum ei cultum exhibeamus. Oportet ergo vt

Deut. c. 17.

Cyril. Catechis. 4.

vt Princeps vera de Deo cognoſcat, nè rectæ adminiſtrationis ratio labatur. Niſi enim probè ſciat Deum vnum eſſe optimum, maximumque, ſempiternum, & ſummum omnium Rectorem, & Iudicem, quem nec vllus effugere poteſt, nec aliquod latet ſecretum; ac tandem improborum, etiam Regum, vindicem eſſe ſeuerum, facilè proculdubiò eius principatus in tyrannidem degenerabit: & niſi ipſe quoque diuini cultus, qui in ſeruandis ſacris legibus conſiſtit, accerrimus exiſtat propugnator, haud rectè quidem aliis imperare poterit. Quo fit, vt ſi hoc fundamentum Regiæ dignitatis, nempè religionem, de medio tollas, vniuerſus Regni ſtatus ſtultitia, ſcelere, immanitate compleatur. Hinc Romulus, quamuis verum numen non cognouerit, naturæ tamen ductu aliquod eſſe numen intelligens, cùm ſalutatus fuit Rex ſacra quædam primùm inſtituit, deinde verò politicos Magiſtratus. Et cùm ſacris & religione ciuitatem præcipuè contineri exiſtimauerit, metuens, nè illorum villeſceret dignitas, aut ijs neglectis populus profanus efficeretur, magnam eorum curam geſſit; & inter cætera, quæ Regij eſſe muneris voluit, primùm fuit ſacra curare atque ſacrificia, per eumque geri quicquid ad placandum Deum pertineret. Et Dauid (vt ethnicos dimittamus) à Deo electus, Regnum ſuum auſpicatus eſt, à reſtitutione, & inſtauratione, ac efformatione diuini cultus. Et Dominus Moſi ait: *Poſtquam Rex ſederit in ſolio Regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Dominum Deum ſuum & cuſtodire verba, & cæremonias eius, quæ in lege præcepta ſunt. Nec eleuetur cor eius in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, nec declinet in partem dextram, vel ſiniſtram, vt longo tempore regnet, ipſe, & filij eius ſuper Iſrael.* Cum igitur in maxima laude poſitum ſemper fuerit, Principem pium eſſe & religioſum, ac de Deo rectè & ſyncerè ſentire: contra verò nihil magis execrandum, & fœdũ, ac Reipub. pernicioſum, quàm

Aug. lib. de vera religio. c. 1.

Dion. Halycar. in 2.

Deut. c. 17.

Principem in impietatem, & superstitionem deficere: fit sanè, vt non minus flagitium sit, si Respub. aliqua Christiana hæretico Principi se regendam tradat: quàm olim fuisset, si Dei populus aliquem ethnicum & Idololatram in Regem elegisset: cùm membra Christi membrum diaboli sibi preficere non debeant. Vnde Iouiani pietatem veteres omnes iure optimo maximè cõmendarunt, quod Iuliani iam vita functi exercitui se Imperatorem salutanti dixerit: *Non possum cùm sim Christianus Iuliani exercitum regere, qui tam pestiferæ doctrinæ præceptis imbutus sit*: nec ante Imperij onus susceperit, quàm milites professi fuerint se quoque Christianam religionem colere. Quòd si ille nefas ducebat, Imperatorem Christianum ijs militibus præesse velle, qui vel Christiani non essent, vel à signis Christi vllo modo defecissent; quia maxima inter caput & reliqua membra similitudo esse debet: quanto magis indecorum, & iniquum censebitur, Christianum populum committere Reipub. clauum illi, quem hæreticum noscit, & ita amittendæ fidei periculum subire? Eodem profectò iure diuino, quo imperabatur Israelitis, nè aliquem ex alia, quàm Iudaica natione Regni gubernaculo præficerent, imperatur Catholicis, vt non nisi Catholicum in Regem ascíscant. Fieri enim non potest, vt, qui membrum corporis non est, caput corporis constituatur. At verò qui Catholicus non est, licet Christianum se nominet, &, ad maiorem sui confusionem, Christi charactere insignitus perpetuò maneat, quàm primùm tamen à Christi castris obstinato animo aufugit, & Apostolicæ Cathedræ signa turpiter deseruit, re ipsa viuum Ecclesiæ membrum esse desijt. *Sicubi audieris*, inquit Hieronymus, *eos, qui dicuntur Christi, non à Domino Iesu Christo, sed à quoquam alio nuncupari, vtputà Marcionitas, Valentinianos, Montenses, siue Campitas, scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam.*

Theod. libr. 4. c. 1.

Dialo. con. Lucifer.

Hæc cùm ita sint, non minus recta ratio docet eum à Reipub. gubernatione amouendum, qui cùm doctrina

Catholica institutus fuisset, ab ea turpiter defecit; quàm illum à Regni gubernaculo arcendum, qui hæretica prauitate animum pollutum gerit. Tanti enim communis salutis interest, Regem Christianum & Catholicum habere, vt neq. infidelis fidelibus præfici, neq. Apostata fidelium Princeps manere debeat. Docuit hoc Paulus, qui Corinthios obiurgauit, quòd apud infideles Magistratus multo ante publica lege cõstitutos litigarent. Quanquam enim Apostoli nullam potestatem in Principes nondum Christianos acceperant, ob idque non poterant illos aut ab Imperio deijcere, aut illa obedientia priuare, quam Christiani eis ratione Imperij necessariò debebant: tamen eos priuauerant spontanea Christianorum obedientia, non tantum circa sacras, sed etiam profanas causas. *Quapropter* inquit Apostolus: *Audet aliquis vestrum habens negotium aduersus alterum iudicari apud iniquos, & non apud sanctos?* Graue à vobis crimen commissum est, quod non minus Christianum candorem, iustitiam, & societatem violat; quàm illud genus incestus (quale nè apud ethnicos quidem fando auditur) quod turpirer patrastis. Estnè aliquis apud vos ita à Christiano instituto abhorrens, vt, si quam actionem aduersus fratrem habet, eam ad iudicem non solùm ethnicum, sed etiam iniquum deferat, nec potiùs causam suam arbitrio sanctorum virorum, qui istic habitant, discutiendam tradat? *An nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt?* Quid in sanctis desideratur? Quid eis ad rectum, & legitimum iudicium deest? Authoritas nè? an cognitio rerum? Nescitis eos tanta authoritate diuinitùs præditos, tanta sapientia locupletatos, vt etiam mundi iudices futuri sint? *Secularia igitur iudicia si habueritis: contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum.* Quamobrem maiori vobis laudi dabitur, si vel eos, qui minimæ sunt æstimationis in Ecclesia vestra in arbitros assumatis, quam si ad selectissimos quosque, nè dum iniquos, ex Gentibus Iudices causas vestras, vt facitis, temerè deferatis. Ex quibus haud obscu-

1. Cor. c. 6.

rè

re colligitur, accepiſſe Apoſtolos & Epiſcopos à Chriſto poteſtatem res politicas in Eccleſia conſtituendi; cuiuſmodi eſſe ciuilia iudicia rectè dixeris. Non enim Paulus quicquam de his rebus loquutus fuiſſet, (quia non is erat; vt vellet falcem in meſſem alienam mittere) ſi earum rationem à munere ſuo alienam iudicaſſet. Quod quidem multo apertius ex eo conſtat, quoniam idem Paulus ſic ibidem diſserit: *Neſcitis, quoniam Angelos iudicabimus? Quanto magis ſæcularia?* Hoc enim perinde eſt, ac ſi dixiſset: cui maiora quædam Reipub. abſolutè commiſsa ſunt, illi etiam minora eiuſdem Reipub. negotia mandata intelliguntur: at iudicia ſpiriruali a committuntur Chriſtianis, quæ in illos Angelos conſtituta ſunt, qui non permanſerunt in ſuo principatu, ſed reliquerunt ſuum domicilium, & criminis ſui pondere ad inferos detruſi fuerunt; multò igitur magis Chriſtiani de rebus leuioribus, hoc eſt, de ciuilibus eiuſdem Eccleſiæ negotijs poterunt iudicare. Quod ſi hoc cæteris Chriſtianis licet; an & Epiſcopis non licebit? An Romano Pontifici omnium Præſulum primo & Summo Paſtori interdictum erit? Præterea ſi Paulus Chriſti ciues in quos poteſtatem acceperat, à foro, & curia profana, quantum potuit, reuocauit: an ſi & ipſe Chriſtianorum Rex fuiſset Chriſtianus, hæreticus tamen, non eum à cognitione cauſarum, quas Catholici habebant, amouiſset? Dubium non eſt, quin eadem poteſtate, qua vetuit Chriſtianos apud Ethnicos iudices litigare, prohibuiſset Cæſarem hæreticum iudicandi munus exercere. At multò magis interdixiſset, nè Catholici aut ſibi præficerent virum de fide malè ſentientem, & Catholicæ religionis deſertorem: aut eum obfirmato animo impiæ doctrinæ adhærentem regnare paterentur. Nam ſi hæretico, aue, dicere

2. Ioan c. 1. non licet, quoniam, vt inquit Ioannes. *qui dicit ei, aue, communicat operibus eius malignis;* quanto minus, ſine grauiſſimo ſcelere, licebit eum in Principem aſsumere, atque ipſi obedientiam præſtare?

Iam

Iam quò noſtra tendat oratio, vel nobis tacentibus, propius apparet. Rex impijs hæreticorum dogmatibus obfirmato animo adhærens à Regni ſede, & adminiſtratione Imperij, quod in Chriſtianos habet, amouendus eſt: quia quicunque à ſtatione diſcedit, & fidei caſtra deſerit, grauiſſimum in Chriſtianam religionem ſcelus committit. Huius criminis cognitio, vt iam ſatis probauimus, non ad alios ſpectat, quàm ad Eccleſiarum Præſules, potiſſimùm tamen ad Romanos Pōtifices, quorum eſt, inter mundum, & immundum diſcernere: & quorum labia ideò ſciētiam cuſtodiunt, vt populi ex eorum ore legem Domini requirant. Horum igitur eſt, & Regem ipſum hæreticum, aut apoſtatam pronunciare, & ſubditos ab omni deinceps obedientiæ antea illi debitæ præſtatione liberos iudicare; & in eam curam incumbere, vt alter ei quàm primùm ſubrogetur, ſeruato tamen iure ſucceſſionis. Cùm enim hæc delicta ſint perſonalia, & non tranſeāt perſonas delinquentes, pœna eis debita non violat ius eorum, qui, vel ex conſuetudine recepta, vel ex lege Regni, qua proximi ordine poſt deficientes vocantur, in Regno neceſſariò habent ſuccedere. Poteſt enim qui imperat ſibi ipſi, ſi religionem deſerat, grauiter nocere, & ſe indignum Imperio omninò reddere; at ei, qui ſe etiam inuito ſucceſſurus erat præiudicium nequit facere: cùm is non ab illo, ſed vel à maioribus, vel à lege familiæ ius ſucceſſionis ſibi quæſiuerit. Ita enim Alphenus, & Vlpianus, nec non Alexāder Tertius Pontifex Romanus, ſuis calculis teſtatum nobis reliquerunt. Verùm hanc legem, vel conſuetudinem, per quam Principatus, aut Regna iure ſucceſſionis propinquiori deferūtur non generatim atque vniuerſe intelligendam eſſe tradit, & quàm multis Iuribus comprobat perilluſtris & Reuerendiſſ. D. Franciſcus Pegña Sacræ Romanæ Rotæ Auditor, in præclaro quodam opere à ſe nondum in lucem edito, in libro de Regibus hæreticis & de eorum pœnis. Cuius ego authoritate tutò nitar, quòd eum illum eſſe ſciam, qui & inter

Leuit. c. 10.

Malach. c. 2.

l. 3. de inter. & releg. ff. l. emancipatum. 7. §. fi. de ſenat. ff. cap. licet de voto.

l. 1. §. vlt. & ibi Bart. ff. de bonor. poſſeß. contra tabulas. l. 1. C. de hæred. inſtit. l. 3. ff. de his quæ pro nō ſcrip. habentur. l. 1. §. & cum triplici C. de caduc. tollē.

l.1.§.sed &. si patronus. ibi:pro mortuo habetur. ff. de coniung. cum emācip. Libe.l. si necē. §. deportatus.ff. de bonis libert.

inter Iuris vtriusque peritos, cum veteribus illis, quorū nomina perpetuis sunt consignata monumentis, æquari; & inter Theologos, in primis vtriusque sæculi iure optimo numerari debeat. Is igitur legem illam vel consuetudinē, ex constanti firmaq. iuris regula, intelligēdam esse docet, de persona (vt doctores loquuntur) habili, seu idonea. Inhabiles enim pro mortuis, siue non existentibus haberi cōsueuerunt: & ob incapacitatem, siue personæ indignitatē, successionis iure cessante, alios idoneos & dignos ordine successiuo vocandos esse, communis boni ratio, & ipsius Regni vtilitas iure suo, illo sanè antiquiori, exposcit, & efflagitat. Stultū enim esset, tanti ius successionis æstimare, vt pro illius defensione, publicū Reipub. bonū, cuius causa Reges constituuntur, turpiter violetur. Regna quippe non sunt constituta propter Reges, sed potius Reges ob Regna, vt rectè, piè, & iustè ea administrent, & regant, constituti sunt. Quòd si subditi neque Reipub. vtilitati consulant, nec quid officij sui ratio postulet, animaduertere velint, Ecclesiasticorū certè pastorum est, ne dū Romani Pontificis, totos neruos intendere, ne is, qui in cathedra pestilentiæ sedet, in Ecclesia Dei regnet. Ipsi enim peruigilant tāquam rationem reddituri pro animabus & Regum, & subditorum: quorum quantum intersit, Principes non modò Catholicos, sed maximè pios & religiosos habere, facilè intelliget, qui veterum monumenta euoluet. Scatent enim eorum Principum exemplis, qui cum essent sceleri maximo addicti, secum miseros populos perdiderunt. Itaque eum hominis appellatione indignum iudicabis, qui vel asseuerabit Reges impios à Regni administratione remouendos non esse; vel eos Ecclesiæ Pastoribus subiacere negabit. Nā vt de posteriore verba faciamus, quomodò Ecclesiastici Præsules ciuilium Principum iudices esse posſent, si non forent illis superiores, cùm notum illud axioma iuris sit, nec pari in parem; nec inferiori in superiorem ius esse? Habent quidem Episcopi ordinariam, & legitimam ex mune-

Hebr.c. 13.

ris

ris ſui ratione poteſtatem in gregem, in quo eos poſuit Spiritus Sanctus ad regendam Eccleſiam Dei, quam Chriſtus Saluator noſter acquiſiuit ſanguine ſuo: cuius membra cũ ſint Principes omnes, qui nomen & fidẽ Chriſto dederunt: neceſſariò fatendum eſt, eos in his rebus, quæ circa fidem verſantur, ita Epiſcopis ſubeſſe, vt ſi poſt vnam, & alteram correptionem adhibitam, vt Paulus ait, in religionem Chriſtianam obſtinatè peccauerint, illorum ſententia poſſint, & debeant excommunicationis gladio percuti, & à ſublimi Imperij gradu deturbari. Nam vbi primum Reges, & ethnicæ nationes Chriſti religionem amplectuntur, & ſanctum baptiſma poſtulant; hoc ipſo, tacito ſiuè expreſſo pacto, promittunt ſe aut diutius imperare, aut imperio cuiuſcunq. ciuilis Principis obſequi nolle, quàm fides & religio Chriſtiana patiatur: quia in contrahendo, vt Pomponius ait, quod tacitè agitur, pro cauto, id eſt, pro expreſſo habendum eſt. Et, vt apertius dicamus: cùm pactum aliquod inimus, quædam licet non ſint verbis nominatim expreſſa, ſubintelliguntur tamen ex natura ipſa actus, quem celebramus, adeò vt cùm pro expreſſis habenda ſint, perindè præſtari debeant, ac ſi fuiſſent expreſſa. Vnde cùm Reges pactum cum Eccleſia ineant, quandò, abrenunciantes Satanæ, & omnibus illius pompis, per fidem & baptiſmum Eccleſiæ ipſius membra efficiuntur; profectò, licet verbis id non exprimant, promittunt ſe Regia poteſtate cõtra diſciplinam Eccleſiaſticam nunquam abuſuros, &, ſi aliter fecerint, ſe non recuſaturos, quin omni dignitate priuentur. Non enim vllo modo ad Eccleſiæ gremium, ſi hæ illi proponerentur conditiones, recipi poſſent, niſi prius eas acciperent, & in eis ſe manſuros promitterent: quia membrum Chriſti fieri nequit, qui ſceptrum ſuum Chriſto ſubijcere recuſat. Eſtque illud vſq. adeò ex natura eius, quod agitur in ſacroſanctæ religionis profeſſione, vt vnum in altero neceſſariò contineatur; & Chriſtianorum Principum Regna Eccleſiaſticæ

Act. c. 20.

Ad Tit. c. 3.

l. cum quid mutuam. ff. de reb. cred.

potestati ita subijciantur, vt, quoties id Reipub. Christianæ salus poscere, & flagitare videbitur, possint ea Apostolica authoritate in alios transferri.

Etenim Regna Principum, qui se Christo mancipa-runt, & quorum subditi Dei præceptis obtemperant, sunt non omninò terrestria: quia qua parte Christianam fidem & religionẽ amplexata sunt, huius mundi quodammodo esse desierunt, & cælestis Regni partes fieri cæperunt: sunt & ipsa, & eorum Reges membra Christianæ Reipub. membrum autem, quod pro corporis totius salute & incolumitate abscindi renuerit, vel ea sola ratione à toto corpore abscindi debet. Ratio igitur & natura mẽbri postulat, vt Reges & sceptrum, & vitam cunctis rebus humanis chariorem potius abijciant, quàm vel Christi fidem deserant, vel eius Reipub. aliquantulum noceant. Præclarè enim Leo Sanctissimus Pontifex ad Leonem Augustum scribens ait: *Debes incunctanter aduertere, Regiam potestatem tibi, non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam: vt ausus nefarios comprimendo, & quæ sunt benè instituta defendas, & veram pacem ijs, quæ sunt turbata, restituas.* Cur ita? Quia is, qui populo Christiano dominatur, præter ius, quod sibi traditum est à Deo per ipsius populi consensum; Imperium etiam suum, si fidem Christianam colit, à Christo se accepisse per ministros eius, agnoscere debet. Hoc enim sub expressa quadam imagine significatum mihi fuisse videtur; quandò Samuel ex iussu Dei Saulem in Regem vnxit. *Ecce*, inquit, *vnxit te Deus super hæreditatem suam in Principem*. Quis namque, nisi Domino iubente, rectè imperare potuisset illi populo, quem ipse inter vniuersas Gentes sibi elegerat? Nemo sanè in Dei hæreditatem, sine eius permissione ius vllum & authoritatem sibi vendicare poterat. Quòd si populus Christianus non minus, quàm Iudaicus gratus est Deo, efficitur proculdubiò, vt, quemadmodum Dominus per Prophetam suum Samuelem vnxit Saulem in Regem; ita Christus per ministros

Leo ep. 73.

1. Reg. c. 13.

nistros suos inungat Christianos Reges, vt non solùm populi consensui, sed suo etiam beneficio acceptum referant ius omne Regni, quo diuinitùs potiũtur. Hinc rectè Chrysostomus ait: *Maior est Sacerdotis, quàm Regis principatus. Propterea Rex caput submittit Sacerdoti: & vbique in veteri scriptura Sacerdotes inungebant Reges.* Epiphanius vero inquit, *Largitus est Christus sub se constitutis Regnum, vt nè diceretur à paruis ad maiora procedere. Manet Thronus Christi, & Regni eius non erit finis, & sedet super Thronum Dauid, ita vt Regnum Dauid vna cum Pontificatu transtulerit, ac largitus sit seruis suis, hoc est, Pontificibus Catholicæ Ecclesiæ.* Si ergo Regnum Christi æternum & omnis finis expers, & vnà cum Pontificatu est penes Ecclesiæ Pontifices: profectò vel terreni Reges huius Regni partes nullo modo censendi sunt: vel eorum Regna, & Imperia Christi Regno spirituali subiecta sunt. Illud ne Principum quidem assentatores (temerè enim, atque iniuriosè de eis suspicarentur) mente concipere, nedum verbo proferre audebunt: reliquum igitur est, vt liberè dicamus tam illos, quàm ipsorum Regna Pontificibus Ecclesiæ subdi, non solùm in Ecclesiasticis, verùm etiam in quibusuis alijs rebus ciuilibus, quæ Ecclesiæ causam promouere possent.

Homil. 4. in verb. Esa.

Epi. hær. 29

CAP. XIV.

QVapropter illum etiam addam quòd Ecclesiastici Præsules non modò potestatem habent in eos Principes animaduertẽdi, qui vel à Christiana religione aperte defecerunt, vel libertatem Ecclesiæ directè oppugnant, sed in eos etiam, qui ita vitjs & sceleribus se tradunt, vt semel, atq. iterum admoniti non desistant, & subditos suos delicijs, & lasciuiæ impunè indulgere patiantur. Est enim hoc, etsi non germanus hæreseon fructus, ad hæresim tamen, & defectionem à Christi fide proximus gradus. *Subintrauerunt*, inquit Apostolus Iudas, *quidam homines (qui olim præscripti sunt in hoc iudicium) impij, Domini nostri gartiam transferentes in luxuriam, & solum Dominatorem & Dominum nostrum Iesum Christum negantes.* Eos autem Apostolus compellat impios, qui, a veræ pietatis, & religionis specie, ad seductionem inducti

Iudæ. cap. 1.

ducti cacodæmoniorum doctrina ab humani ingenij luxurie profecta, & ad lasciuiam, auaritiam, & ambitionem tendente communem & Catholicam salutis publicæ viam conturbauerant. Vt enim veterator ille paradisi serpens largam illam munificentissimi Dei beneficenciam, qua nostri primi parentes in omni honestæ voluptatis, & deliciarũ vsu constituti fuerant, transferre voluit in exitialem luxuriam & insolentiam, adeò vt illi nimio fastu contra Creatorem & Dominum suum elati, Dij planè esse voluerint: ita qui gratiam crucis Iesu Christi, & eius vulnerum, & sanguinis in ablutionem totius mundi effusi, & mortis pro salute humani generis obitæ temerè transferre volunt in luxuriam, non crucem & mortem filij Dei, tanquam exemplum, ad imitandum sibi proponunt, sed quasi malitiæ suæ, vt dicebat Apostolus Petrus, velamen prætendunt: dum quæstum pietatem esse iactitantes omnem veræ pietatis rationem in commenta ad luxum, fastum, ambitionem, & auaritiam effictа conuertunt. Quod nè fieret, diligentissimè Paulus Galatas monet. *Vos, inquit, in libertatem vocati estis, frates, tantùm, ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem seruite inuicem.* Non sum equidem nescius hæreticos, vt Catharos, Angelicos, Apostolicos, Apotacticos, id est, selectos, (ita dictos, quia more veterum Gnosticorum, Marcionistarum, Valentinianorum se superbè efferebant,) in primis sectarum suarum initijs omnem vitæ continentiam, & morum integritatem præ se ferre: sed tamen omnes non multò post, quales sint, se produnt, Dei gratiam in luxum rransferendo. Quis enim est, quem lateat, in quam fœdam & infandam omnis generis libidinem prioris sæculi hæretici sese ad extremum præcipitarant? Quis est, qui ignoret, quàm multa etiam nostræ ætatis hæretici scelera committunt? qui abstinentiam & ieiunia, cilicia, vigilias, humicubationes irrident: virginitatem, tanquam rem Deo, & naturæ inimicam, reijciunt: cænobiorum claustra, ac vota pudicitiæ infringunt;

1.Pet.c.2.

Gal.cap.5.

gunt; & polygamiam maximis laudibus efferunt. Quid plura? Apud quosdam inductus esse dicitur turpis quidam, & nefarius Adamismns: sic enim cacodæmon hæreseon seminator solet scelestos homines eò inducere, vt Dei gratiam in detestabilem luxum transferāt; & sic omnem abijciant pietatem, & religionem. Quòd si hunc hæreseon fructum in illis esse conspicimus, & non sine magno animi dolore confitemur, vt qui lasciuire cæperunt à scelere reuocentur, cæteri verò in officio contineantur: minimè dubitandum est, quin nimia viuendi licentia, & effrenata eorum libido, qui, cùm adhuc fidei Catholicæ stationem non deseruerint, à scelere tamen non abstinent, sed certatim, in id incumbunt, vt omni deliciarum genere affluant, proximus sit ad defectionem gradus. Quandò enim eò ventum est, vt quis cauteriatam, sicut Paulus loquitur, habeat consciētiam, & ita flagitiosam vitam agat, ac si sceleri totum se mancipauerit, &, tanquam ex certa nota, flagitij seruus cognosci voluerit: quid aliud superest, quàm vt ille circa fidem naufragium faciat? Certe ex flagitiorum colluuione ad cæcitatem animus delabitur; & inde hæreseon fluctibus submergitur. *1.Tim.c.4.*

Est quidem libertas ista, & viuendi licentia in quouis priuato Reipub. Christianæ ciue execrabilis, sed in Principe multo magis: quia exemplo suæ prauitatis facilè potest populum in manifestam perniciem secum trahere, & in fidei interitum impellere. Immodicam enim & effusam libidinem sequitur potestatis contemptus, quem turpis defectio comitatur. Hoc Apostolorum Princeps Petrus spiritus Diuini instinctu, admirabilique rerum futurarum prænotione ex instituto explicat. *Nouit*, inquit ille, *Dominus pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem iudicij reseruare cruciandos: magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt.* Quibus verbis duas diuinæ prouidentiæ erga humanas res insinuat partes: vnam ad piorum consolationem, alteram *2.Pet.c.2.*

ad

ad impiorum terrorem. Prior nos de proborum salute certiores facit: posterior de iudicio, & de graui supplicio, quod impij subituri sunt, vnumquemque admonet. Præ cæteris tamen sceleratis eos cruciandos esse docet, qui impotentiori carnis titillatione commoti, & propriæ voluntatis vehementi & immoderato affectu rapti potestates contemnunt, quas Christus & eius Apostoli obseruari iusserunt. *Et hi,* inquit Iudas Apostolus, *carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, maiestatem autem blasphemant.* Sunt enim progenies illius primi defectoris Luciferi, qui maxima arrogantia elatus dominationem omnipotentis Dei, à quo creatus, & magno honore insignitus fuerat, spreuit, dum ei par esse voluit, simulque maiestatem eius execratus est. Nec ab eo degenerare volunt, quem, vt sceleris sui authorem cognoscunt, ita imitari non verentur. sed audacter & temerè tam primam illam ac principem, quæ penes Christum Dei filium est, quam secundariam ac Vicariam potestatem hanc, quæ in Ecclesiasticis Præsulibus sita est, spernunt, eiusque maiestatem impiè execrantur. Quandò turpissimus ille Angliæ Rex Henricus huius nominis Octauus (qui vnus instar multorum nobis exemplo esse posset) suæ & maiorum suorum gloriç oblitus impudicæ fœminæ totū se addixit, statim eius amoribus insanus de euertenda summa Ecclesiastica potestate cogitauit: nec de Summo Pontifice, cuius Cathedram, vt Apostolicam, omnis antiquitas veneratur, quo decet honore loquutus est, sed eum tyrannum, Pharaonem, libertatis publicæ oppressorem, Antichristum, monstrum, & portentum appellauit, eiusq. sanctissimas leges contempsit, & oppugnauit. Nam cùm authoramentum maiestatis sit lex, quæ Principes magnos & sacrosanctos facit: omnisque eorum dignitas & authoritas ex legum authoritate, tanquam ex firmissimo præsidio, pendeat: ijdem, qui maiestatis, legum quoque inimici fiunt: nè, qui potestatem abijciunt, legum seueritate coerceantur, sed liberè

Epist. Iud. c. 1

possint,

possint voluptatibus indulgere. Dici vix potest quàm multas strages pestis illa Reipub. Christianæ ediderit; quàm multos viros lethali suo veneno infecerit, quot & quantos populos in profundissimas inferorum tenebras detruserit. Quò fit, vt, cùm graue & acerbum malum sit, Principes in scelerum colluuionem labi, illud grauissimum omnium & acerbissimum censeri debeat, quòd non sibi tantùm obsunt, cùm peccant, sed alios exemplo suo corrumpunt, quos morum suorum imitatores habent. Adeò certè vt vel hac solùm ratione omnibus alijs seclusis satis oratione explicari nequeat, quàm sit turpe in aliquo crimine Principem deprehendi, ex quo pudoris, prudentiæ, morum, & sanctissimarum legum exempla sunt petenda. Vnde Claudiani sententiam dignam esse, quæ semper in Principum, & Regum omnium ore versetur, haud iniuria viros sapientissimos duxisse video: sic enim Cæsarem alloquens inquit. *Claudianus De Honorij consulat.*

Hoc te præterea crebro sermone monebo
Vt te totius medio telluris in orbe
Viuere cognoscas, cunctis tua Gentibus esse
Facta palam, nec posse dari regalibus vsquam
*Secretum vitijs, nam lux altissima * fati* *cæli
Occultum nihil esse sinit, latebrasq. per omnes
Intrat, & obstrusos implorat fama recessus.

Et Orator magnum quiddam esse dixit, tueri in Repub. personam Principis, qui nō animis solùm, sed oculis etiam ciuium mederi debet. Principum igitur cùm sit omnes libidines contemnere, populi vtilitati, magis quàm voluntati, consulere; in ciuium sceleribus nequaquam conniuere, sed eis potius obsistere: non sufficit, si Princeps populos sibi commissos rectè moderetur, nisi etiam exemplum illis præbeat vitæ honestissimæ & sanctissimæ, quæ morum sit censura perpetua, ad quam omnes dirigantur. Est enim non minus vera, quàm peruagata & vulgaris illa Claudiani sententia. *Philip. 8.*

com-

De 4. Honor. consul.

componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quàm vita regentis:
Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

Nam, vt inquit Herodianus, vitam Principis æmulari homines semper consueuerunt: quod sanè quam multis exẽplis tum ex sacris scripturis, tum ex veterum monimentis fideliter depromptis testatum, & in omnium oculis positũ facilè possem relinquere, si quæ sub Ieroboam, Baasa, Ela, Zambri, Amri, Achab, & alijs populi Israelis idololatris Regibus; vel etiam quæ, post Christi Domini aduentum, sub Iuliano Apostata, sub Valente, sub Valeriano, vt plures prætercam, gesta sunt, vel breui quodam sermone, & properatò scribere mihi liceret. Vt enim sub illis populus hostias idolis immolare non destitit; sic sub horum Imperio plurimi Christiani à fide defecerunt, fuissentq. multo plures defecturi, nisi ij nunc hos, nunc illos diuinitùs corroboratos ad Martyrum vestigia sectanda properantes proprijs oculis inspexissent: adeò hæc populi procliuitas ad impiorum Regum insaniam sequendam latè patet. Si ergo deprauati Principum mores, effusa ad omne nefas libibo tantam subditorum animis cladem inferunt; vt inde Ecclesiasticarum legum, & sanctionum sanctissimarum impugnatio: inde paternarum consuetudinum immutatio; inde veterum morum abrogatio; ac tandem diuini iuris cõtemptus oriatur: (legibus enim integris & sartis tectis conseruatis, neque dominationem contemnere, neque maiestatem conuicijs proscindere impunè auderent.) quomodò Christum sapiẽter Reipub. suæ statui consuluisse dici posset, si penes Ecclesiasticos Magistratus à se constitutos non reliquisset coercendi potestatem suam, qua nefarios Principum conatus reprimere possint? Prçclarè quidem inquit doctissimus Franciscus Pegña: quoniam Romanus Pontifex Christi Vicarius est, & omnes illius oues sunt eius curæ & solicitudini creditæ, vt eas salutari expletas ac saturatas

lib. de Reg. har.

ratas pabulo, hoc est, Catholicæ fidei præceptis, & bonis moribus imbutas ad cælestem tandem patriam dirigat, & conducat: fit profectò, vt, ex muneris sui ratione teneatur publicam pacem & quietem cum religione Christiana cõiunctam in Regnis & Prouincijs pro viribus conseruare. Hanc autem cùm potissimùm perturbari contingat, si Religio Catholica pura & syncera nõ seruetur, sed potius hęreses grassentur; deinde verò si Reges & Principes grauissimis sint dediti sceleribus: efficitur proculdubiò, vt ex his duabus causis iustissimè Romanus Pontifex possit acriter in Reges animaduertere, & eos è Regali solio muneris sui potestate deturbare.

CAP. XV.

ADdamus iam, cùm eodem viro doctissimo, tertiam causam, ex qua Regiam dignitatem Ecclesiasticæ authoritati, etiam in rebus ciuilibus, omninò subiectam esse, liquidò apparet: si, nempe, ob Principum iniuriam, vel negligentiam Iustitia conculcatur, & subditi maximè opprimuntur: quam nos æquissimam esse ex eo capite manifestè ostendemus quòd ipsius Iustitiæ natura, & conditio ita iure suo postulat. Nam inter ea, quæ potissimũ illustrant, conseruant, & amplificant Respublicas, Principatus, Regna, & Imperia, Iustitia cum primis numeratur: quæ ad diuina, & humana ministeria, & ad omnes Reipub. partes prorsus necessaria est; siuè in illa bellum grassetur, siuè illa summa pace, summa tranquillitate fruantur. Nam Plato Iustitiam Reipub. animam esse dixit, qua viuit, & sine qua necessariò concidit. Et quemadmodum, inquit idem, si gubernator nauis, vel ob iniuriam, vel ob imperitiam clauum abijciat, aut negligenter teneat, per syrtes, per vertices, per cautes nauem periclitari necesse est: sic sanè, si Princeps Iustitiam contemnat, tantam impietatem, tot homicidia, & tantam scelerum colluuionem in Rempub. inuehet, vt facilius his malis submergatur, quàm sapiens aliquis ei mederi possit. Contra verò si Iustitiam seruet, non modò optimum Reipub. suæ

In ciuili, uel de Regno.

Vuu statum

ſtatum tuebitur, ſed etiam illius fines longè latèque propagabit. Vnde Ambroſius exemplo Roboami filij Salomonis, qui ſpreto ſenili prudenti conſilio, ſuggeſtione adoleſcentum deceptus populo Iſraelis reſpondit, ſe onus adiecturum ſuper patris iugum, & leuiora grauioribus ſupplicijs commutaturũ, efficaciter concludit, æquitate Imperia confirmari, iniuſtitia diſſolui. Nam & Roboamus, quòd populum iniuſtè opprimerè decreuerit, ab eo deſertus ac deſtitutus, vix, in gratiam Dauidis, duarum Tribuum dominatum & poteſtatem habere potuit. *Quomodo enim*, inquit ille: *poteſt malitia Regnum poſſidere, quæ nè vnam quidem priuatam poteſt regere familiam? ſumma igitur benignitate opus eſt, vt non ſolùm publica gubernacula, ſed etiam priuata iura tueamur.* Hinc Gregorius Magnus, ad Theodoricũ & Theobertum Reges Francorum ſcribens, ſummũ in Regibus bonũ eſſe, Iuſtitiam colere, ac vnicuique ſua iura ſeruare, & ſubiectis non ſinere quod poteſtatis eſt fieri, ſed quod æquum eſt coſtodiri, graui oratione oſtendit. Eſt enim veluti monſtrum quoddã Rex iniquus, quippe quem iniquorum correctorem eſſe oportet: & in ſemetipſo nominis ſui dignitatem cuſtodire debet. Cùm autem in alios animaduertere non poſſit, qui proprios mores non corrigit, fit vt, dum ille inane nomen Regium ſuſtinet, populus mala cõſuetudine diſolutus cæco impetu in interitũ impellatur. *Quoniam in Iuſtitia Regis* (Colligit Cyprianus cum Salamone) *exaltatur ſolium, & in veritate Regis ſolidantur gubernacula populorum.* vbi verò non eſt pudor, inquit Seneca, nec cura Iuris, ſanctitas, pietas, fides, inſtabile Regnum eſt.

Amb. de offi. li. 2. c. 19.

lib. 7. epiſt. 120.

Cypr. lib. de 12. abuſio. cap. 9.

Pro. c. 16.

Sene. in Thyeſte.

Quòd ſi quis ſpeciem & formam illius Iuſtitiæ, quæ tantopere in Regibus & Rerumpub. adminiſtratoribus commendatur, contueri deſiderat, oculos parumper ad Peripatheticorum & Theologorum doctrinam conuertat, in qua eam tanquam in ſpeculo facilè poterit inſpicere. Nam vniuerſa vtrorumque ſchola duplicem conſtituit Politicam Iuſtitiam, quæ Reipub. tranquillitatem fir-

firmat: vnam, quæ virtutes omnes complectitur, alteram, quę vna virtutum est. Illam quidem vniuersalem, & omnibus virtutibus communem post Aristotelem omnes Philosophi appellant, non quòd ad interiorem, & propriam cuiusq. earum rationem spectet: sed quia omnium virtutum actus, dum eliciuntur in commune Reipub. bonum, illa comitatur. Vnde Aristoteles Iustitiam appellauit omnem virtutem. Ad cuius mentem S. Thomas aptissimè dixit, hanc virtutem esse in Principe & Reipub. Rectoribus architectonicè, dum ea ciuibus præscribunt, quæ ad commune bonum, optimamque Reipub. administrationem pertinent: & legibus à se latis quàm diligentissimè curant, vt vnusquisque ita se gerat, vt communis vtilitas, & optimus Reipub. status postulat. Quò fit, vt leges omnes, & sanctiones, ac reliqua, quæ Reipub. moderatores executioni mandant, quatenus in eum finem diriguntur, ad hanc Iustitiæ speciem pertineant. Quam etiam subditis inesse tradit D. Thomas, ex ea parte qua illi ad eundem finem se se accommodant, &, quæ à Rectoribus constituta sunt, accuratè & diligenter exequuntur: qua ratione virtus hæc legalis dicitur. Huius itaque Iustitiæ vniuersalis obiectum, Aristoteles ait esse iustum: non certè, vt idem est cum æquo, opponiturque iniquo, quod iniuriam ex sui ratione inuoluit: (sub hac enim consideratione proprium est obiectum Iustitiæ particularis, quæ Cardinalis virtus est) sed vt est idem, cùm legitimo, hoc est, quod lege præscribitur, legiuè consonat: cui aduersatur iniustum sub ea significatione, qua is, qui à lege discedit, iniustus dicitur. Huiusmodi ergo virtus est ordinata ad alterum, nempe ad publicam Reipub. causam: & dicitur Iustitia, quatenus qui illius ductum sequitur, legibus, quas Reipub. decus & perfectio postulat adæquatur. Hanc præclarissimam virtutem idcircò appellat Aristoteles, quòd reliquas omnes contineat. Et, cùm dixisset, eam longè Hespero, & Lucifero excellere, multò tamen

Aris. lib. 5. Eth. cap. 1. & 2.

2. 2. q. 58. ar. 5. 6.

magis illius ſplendorem eminere affirmat, cùm architectonicè in Reipub. moderatoribus reſidet, quàm dum in alijs ciuibus reperitur.

Ex quibus efficaciter colligimus, ad Principes, & Rerumpub. adminiſtratores maximè pertinere, eas leges cōſtituere, non ſolùm, quæ ad Iuſtitiam virtutem Cardinalem ſpectant, ſed etiam eas, quæ ad alias omnes virtutes attinent. Illorum enim munus eſt, tales ſuis legibus, & adminiſtratione ciues reddere, quales commune bonum, decuſque Reipub. expoſcit. Ad conſtituendum autem optimum illius ſtatum, non ſatis eſt, vt ij Iuſtitiæ limites non tranſgrediantur, niſi prudentiæ etiam, fortitudinis, temperantiæ, veritatis, & fidei, ac reliquarum omnium virtutum imbuti præceptis omnes curas ſuas & cogitationes in Rempub. conferant. Quamobrem, qui Iuſtitiam originem & fontem eſſe dixerunt, vnde ius, id eſt, ſcientia eius, quod eſt bonum & æquum, hauritur, illius naturam & rationem optimè perpendiſſe mihi videntur. Proinde enim Vlpianum dixiſſe arbitror, Iuſtitiam eſſe conſtātem & perpetuam voluntatem ius ſuum cuiq. tribuendi; quòd ex conſtanti, perpetua, & incorrupta voluntate optimæ & ſanctiſſimæ leges producantur, quibus & Reipub. ſtatui conſulatur, & ciues honeſtè & iuſtè ſe gerere compellantur. Nam idem Iuriſconſultus præcepta iuris conſtituit, honeſtè viuere, alterum non lædere, ſuum cuique tribuere: quibus verbis etiam aliarum virtutum inſtituta, & iuſſa comprehenduntur. Vniuerſalis hæc Iuſtitia, quam etiam legitimam vocant, mater eſt virtutum, & vnica, quę reliquas omnes producit, quia quæ quamque decent diſcriminat, adque ea omnia pertinet, circa quæ vir bonus verſari poteſt. Vnde Imperator Iuſtinianus diſertè ait: *Vnam quidem eſſe omnium perfectiſſimam virtutem arbitrandum eſt hominibus, quæ iura omnibus diſtribuit: hæc eſt ex cauſa cognominata Iuſtitia. Etenim vnamquamque aliarum virtutum, niſi ſubſequantur huius bona, fieri nihil horum quæ competunt.* Nihil enim, inquit Cicero,

L. iuſtitia ff. de iuſt. & iur.
Inſt. §. 1. inſt. eod. tit.
L. ius. §. prætor. ff. eod.

Vt omnes obediant Iudic. prou. in nouel. 69. in principio.

Cicero, honestum esse potest, quòd Iustitia vacat. *Itaque* (prosequitur Imperator) *nec Fortitudinem, quæ non est cùm Iustitia laudabimus: cùm scilicet patria lingua Fortitudinem in armis, uirtutem appellet solùm: & si quis ab ea Iustitiam subtrahat, delictorum solummodò, non quorundam bonorum fiet occasio.* Quibus consonat Ambrosij sententia: cùm enim dixisset à Iustitia virtutes alias lumen & splendorem suscipere; *Prudentia,* inquit, *sine Iustitia nocet. Fortitudo quoque, nisi eam Iustitia temperet, intollerabilis insolentia est, furori quàm rationi propior, dominationi, quàm libertati: sobrietas & temperantia, priuata bona sunt, nec vllius vis, nisi iusta erga Deum reuerentia, & fideli mente pietatem colas. Iustitia sola est, quæ virtutes omnes complectitur, & commendat omnes.* Quamuis tamen vniuersas simul complectatur, duæ potissimæ sunt, quæ ab illa diuelli, separarique nullo modo possunt, pietas, & æquitas. Nam fides, temperantia, probitas, innocentia, intregritas, & cætera huiusmodi (authore Lactantio Firmiano) vel natura, vel parentum institutis possunt esse in hominibus, qui Iustitiam nesciunt: pietas verò, & æquitas quasi venæ sunt eius: his enim duobus fontibus constat omnis Iustitia, in quibus summa Reipub. salus sita est, & collocata.

Lib.1.de offic.

De Abrab. lib.2.c.10.

lib.5.de diu. inst.cap.5.

Alteram vero Iustitiam particularẽ appellant, quę priuatim ad aliũ est, & ab alijs virtutibus specie distat, nec habitu minus quàm reliquę virtutes comparatur: cuius obiectum est, iustum, presse & propriè sumptum, quod alterius iniuriam omninò refugit. Et hæc iustitia ab Aristotele diuiditur in distributiuam, quam cognominat *διανεμητικὴν*, & commutatiuam, siue *ἀλλακτικὴν* Prior pertinet ad præmia, & pœnas pro ratione meritorum distribuendas: altera versatur circa contractus, & æqualium rerum permutationes, paresque compensationes. Et quoniam propriũ munus & quasi insigne Iustitiæ est, vt sit habitus animi incitati ad suum cuique tribuendũ: (tam enim I. C. quàm Imperator Iustinianus ab effectu, seu officio iustitiæ definitionem conflarunt) proinde vna omnium virtutum Iu-

stitia,

ſtitia, alienum bonum eſſe dicitur, quippe quæ ad alium pertinet: & in eam potiſſimum curam incumbit, vt in diſtributionibus pœnarum, & præmiorum pro meritis, & in rerum commutationibus nemini fiat iniuria, & ſeruetur æqualitas vnicuique ciuium, quorum animos iniuria diſſoluit, & ad inteſtinum bellum impellit. Summa enim iniquitas eſt, non ponderari vniuſcuiuſque dignitatem, ſed vel ijs: qui minus digni præmio ſunt, maiora præmia condonari; vel ſaltem æqualia præmia & munera dignitatibus inęqualibus ſtatuere. Quantum enim quiſque reliquos meritis antecedit, tanto par eſt, eum maioribus præmijs, atque bonis honorari: vt propterea rectè Achilles, apud Homerũ, de Agamemnonis iniquitate cõqueſtus fuerit, quòd eodem honore, & homines obſcuros, & claros afficeret. Inde igitur odia, inde diſſidia, inde clãdeſtina colloquia, inde fraudes in Repub. capitales, inde ciuiles tumultus erumpunt. Quamuis tamen id rarò accidat, vt in Regno, qui ſe læſos eſſe putant, diſſidia concitent, & interitum vel Regi, vel Reipub. moliantur; non tamen mediocre malum exiſtimandum eſt, cùm multi de Regis iniuria quæri meritò poſſunt. Vt enim nullũ aliud incommodum Reſpub. ſubeat, illud non leue putandum eſt, quod multi homines fortes, & induſtrij, cùm vident virtutis dignitatem minimè perpendi, multum de virtutis ipſius dignitate remittunt.

Cùm itaque Princeps nulla alia de cauſa potiſſimùm conſtitutus ſit, quàm vt optimum Reipub. ſtatum tueatur; & Iuſtitia Reſpublicas conſeruet, Imperia dilatet, Regna firmet; Princeps profectò, ex muneris ſui ratione pro Iuſtitia, tanquam pro muris, vſque ad ſanguinem decertare tenetur. Quòd ſi Iuſtitia ita omnes virtutes complectitur, vt omnium actus commitetur; & hæc Principi apprimè eſt neceſſaria, proculdubiò non minus Fidei, Prudentiæ, Fortitudinis, & Temperantiæ, quã Iuſtitiæ ipſius, ſtudioſus, cultor, & propugnator eſſe debet: quibus ſi caruerit

Cic. li. 1. de offic.

fuerit erit Regis nomine prorſus indignus. Et vt primum de Fide dicamus, quę fundamentū eſt iuſtitiæ, id eſt, dictorum, conuentorumq. conſtantia & veritas, hæc omnē vitā continet. Si enim nemo erit in vita, cui vel pecuniam, vel ſalutem, vel dignitatē credamus; ſi nemo cui arcana noſtrę mentis aperiamus; ſi ſemper nobis inſidias fieri ſuſpicabimur; vitam ſanè odioſam, & infeſtā agemus, & aſſiduis curis, atque moleſtijs afflictabimur. Igitur, cùm multa ſcelera ab improbis hominibus paſſim ſuſcipiantur, nullum tamē eſt perfidia magis tetrum, acerbioreq. ſupplicio vindicandum: communionem enim tollit è vita, officiorumq. viciſſitudinem, & animorum ſecuritatem, quibus ſublatis nō eſt cur aliquis velit viuere. Eſt enim multo ſatius mori, quàm in perpetuo motu, & in aſſidua curarum acerbitate verſari. Nihil igitur eſt ijs, qui dignitatem & officium tueri volunt, maiore ſtudio, cura, & ſolicitudine colendum, quàm fides. Vnde perilluſtris ille Antiſtes Hieronymus Oſorius (cuius pietatem & religionem non minus, quàm ingenij acumen, & aureum eloquentiæ flumen ætas & patria noſtra admiratur) aptiſſimè ad rem noſtram colligit: *De Reg. inſt. lib. 4.* Quo res illa, quæ creditur, præſtantior eſt, eo diligentius eſt fides præſtanda. Nihil autem maius eſt, quam ſalus hominum, quàm ciuitatum ſtatus, quàm nationum tutela atque patrocinium: à nemine igitur Fides maiore ſtudio & ſolicitudine colenda eſt, quàm à Regibus, quibus innumerabilium hominum ſalus credita atque commiſſa eſt. Nec enim vlla res vehementius Rempub. cōtinet, quàm Fides: *Cic. lib. 2. de offic.* qua Romanum Imperium fuiſſe auctum, atque diutiſſimè conſeruatum inficiari non poſſumus. *Cicer. lib. 2. de diuin.* Quod quidem Romanos impulit, vt Fidem in Capitolio propè Iouē ſumma religione conſecrarent. Sapienter enim videbant, nihil, quod fide & beneuolentia fultum non eſſet, diu permanere poſſe. Id, autem cùm à fide diſcedebant, multo facilius apparebat. Claudicabat enim Imperium, quoties eueniebat, vt illi in officio non perſiſterent. Sanè qui in Principis

Im-

Imperio imaginem quandam Dei eminere conſpiciunt: illius promiſſiones, poſt præſtitam fidem, quam non dare liberum ei ab initio erat, ad firmitudinem propemodum diuinam accedere debere, minimè inficiari poterunt. *Non* Pro.c.17. *enim decet Principem*, inquit Salomon, *labium mentiens*: ſiue vt Syrus vertit: ܐܦܠܐ ܠܫܠܝܛܐ ܣܦܘܬܐ ܕܫܘܩܪܐ.

Oflo lſcialittho ſefuotho dſciukro: hoc eſt, *Neque Principem* (congruunt) *labia mendacij*. Vnde mirum non eſt, ſi Ioſues Rhaabæ meretrici, & Gabaonitis, nec non Rex Dauid Se- l.1.de pactis l.1.de conſt. pec.ff. mei homini ſeditioſo & maledico, fidem datam ſeruarunt. Non enim, niſi noua ſubeat cauſa, fidem, etiam hoſti datā, violare licet. Nam vt fidei humanæ congruum eſſe pacta ſeruare, naturalis æquitas docet; ſic graue eſſe tradit fidem fallere. Quòd ſi nullus honor, nullum Imperium, nulla potentia, ſi non ſit fidei conſtantia ſtabilita, aliquid firmitudinis habere poteſt: tamen erit quiſquam tāto furore percitus, qui perfidiam ſummis viris & Principibus vtilem eſſe dicat? Non aliquandò tandē animo computabit, quàm multi Reges, & ingentes ac imperioſi populi, propter iniurias illatas, omnibus bonis, omnibus opibus amiſſis, odio inteſtino excitato, dolis & fraudibus obruti corruerint, & funditus euerſi fuerint?

At de Prudentia quid dicam, quæ omnes virtutes gubernat, & ipſa per ſe, niſi à ſui ratione in calliditatem deficiat, munera ampliſſima, dignitatiſq. pleniſſima tuetur & ſuſtinet? Equidem, quod ſciam, hæc eſt omnium mortalium opinio, vt homines prudentia præſtantes ſummo Imperio dignos exiſtiment. Inde fit, vt ſæpenumerò multitudo, quam præcipitem eſſe nouimus, imperiumq. nefariè detrectantem, prudenti homini libenter obtemperet. Intelligit enim omnium ſalutem illius authoritate & iudicio contineri, qui optime poteſt, quid omnibus vtile futurum ſit, ratione prouidere. Quod enim in rebus ſingulis, & ſingulis artibus euenire conſtat, tantum ſcilicet quemque ad imperan-

imperandum authoritatis habere, quantum intelligentia suæ artis excellit: hoc in Reip. regendæ scientia maximè cernitur. Nemo enim adeò mente captus est, vt non intelligat, eos incolumes esse non posse, qui spectati hominis consilium aspernantur. Ergo ea virtus, quam omnes mortales planè Regiam existimant, viris principibus in primis necessaria est. Nam si Regium munus circa æquũ & bonum potissimum versatur, ars boni & æqui, id est, scientia distinguendi bonum ab iniquo, & concedendi vnicuique, quod æquitas postulet, Regi maximè conuenit: cuius solius est, pro sua prudentia, inter æquitatem, & ius scriptum temperamẽtum adferre; sicut & leges emendare, & mutare: tanquã omnia iura in pectore suo recondita habeat. Vnde Aristoteles, hanc virtutem magis propriè esse eorum, qui alijs præsident, quàm subditorum, iure optimo dixit. Nisi etiam Princeps maiestatem dignitatis suæ prudentia tẽperet, nè aliud gerere moliatur, quàm quæ potestatis sunt, hoc est, quàm quæ iustè potest, & suæ authoritati iure commissa sunt, facilè in tyrannidem eius Principatus deficiet. Quæ enim facta, inquit Papinianus, lædunt pietatem, existimationem, verecundiam, ac denique cõtra bonos mores fiunt, nec nos facere posse credẽdum est. Probis autem Regibus & benè institutis honesta, iustaué tantum sunt, quæ honesta & iusta sunt. Heroicis enim, & nostris etiã ętatibus, tàm Iuris, quàm Regię & Imperatoriæ dignitatis rationibus æquè perpensis, Sapientes sanxerunt, nihil amplius licere bonis Principibus, quàm liceat priuatis. Adeo certè, vt pij Imperatores salua maiestatis reuerẽtia non dedignati sint affirmare, sibi cum priuatis ius esse cõmune. Vnde rectè Claudia. Theod. dixisse fertur:

li. 3. pol. c. 1.

l. filius. ff. de condit. inst.

Theod. & Valentinia. l. digna uox C. de legib.

Nec tibi quod liceat, sed quod fecisse decebit
Occurrat, mentemque domet respectus honesti.

Claudianus Theodosio Imperatori.

Potestas enim Principi concessa est, vt ea vtatur ad iustitiam æquitate temperandam, non vt ea abutatur ad Tyrannidem. Quamobrem, cùm tam multa sint Principi accura-

te & diligenter perpendenda, illum profecto, qui nullis prudentiæ opibus præditus sit, principatu prorsus indignum esse, rectè dices. Quamuis enim non omnis inscitia sit similiter execranda, multum siquidem interest, qualis stultitia sit, deinde in cuius animo insideat: illorum tamen intollerabilis inscitia est qui sibi eam sapientiam assumunt, cuius ignari sunt, in aliorum perniciem. Quemadmodum enim qui neque medicus est, neque se medicum esse profitetur, quamuis ægrotum non sanet, nemini tamē vitam medicamentis eripiet: At, qui se medicum esse credit, cùm medicinæ imperitus sit, neminem quidem morbo leuare, multos autem vita priuare poterit: ita etiam cùm hęc summa dementia in animum illius inuaserit, cui munus illud, cuius se scientiam tenere confidit, assignatum non est, non multum sanè rebus illius arrogantia nocebit: at cùm oppreserit hominem, cui omnia, quæ cupit, munera deferuntur, omnia peruertet. Si enim homo nauticarum rerum ignarus, se optimum gubernatorem iactauerit, non tamen illi quisquā gubernacula tractanda permiserit, non euertet stultitia sua nauem: at si nauis illi commissa fuerit, tum demum sibi, atq. vectoribus diram cladem inferet: quo autem illud munus quod homini imperito committitur, amplius est, eo erit amentia illius infestior. Cùm ergo nullum sit munus in terris Regio munere maius & amplius, nihil certè poterit illius amentia & temeritate esse aut excogitari funestius, maximè cùm sibi in summa rerum imperitia, summam sapientiam arrogauerit. Nec enim paucos vectores, sed vniuersam Rempub. funditùs perdet. Ex quo sequitur, nihil esse posse dirius Rege imprudente & insano. Non enim potentiæ fructus est in possessione, sed in recto illius vsu collocandus: rectus autem omnium rerum vsus prudentiæ moderatione continetur: vbi igitur prudentia non extiterit, ibi necesse est, vt, qui opibus affluit, non ad salutem & honestatem, sed ad perniciem atque dedecus, illis vtatur. Reliquum

Hiero. Osor. li. 3 de Reg. instit.

quum igitur eſt, vt, quo Rex opulentior fuerit, Imperiumque illius latius propagatum extiterit, ſi fuerit amentia vexatus, & , vt fit, ſibi ſapientiam attribuerit; eo tetrior ſit, multoque grauiorem plagam communibus rebus imponat.

Quod ſi à Rege Prudentiæ lumen amoueas, certè & reliquæ virtutes illius animum deſtituent. Neque enim Fortitudo illi comitari poterit, qui magna & excelſa contueri nequit. Sed vel molis, & eneruatus, humilis, & abiectus vſque adeò efficietur, vt non ſolùm flagitio & impuritati, ſed etiam flagitiorum miniſtris ſibi ſeruiendum exiſtimet: vel vehementer elatus belluæ potius alicuius immanem naturam, quàm viri fortis induet ingenium. Eſt autẽ Fortitudo, non furor & amentia libidini ſeruiens; ſed animi excellentis altitudo pro Iuſtitiæ ſanctitate pugnans. Nam hoc viri fortis officium eſt, vt cum honeſtatem ratione duce perſpexerit, eam omnibus vitæ commodis anteponat, illiuſque retinendæ cauſa mortem libenter oppetat. Et quemadmodum in Repub. bene conſtituta omnes leges ſunt in armorum tutela: ſic etiam in benè moratis animis omnia Iuſtitiæ præſcripta fortitudinis præſidio muniuntur. Egrediuntur enim è corde immanes iracundiæ, nefariæ cupiditates, & timores horribiles, qui menti tenebras offundunt, eamque de gradu deijciunt: ad quæ diſcutiẽda neceſſaria eſt ea animi altitudo, quæ mortem, atque dolorem negligit, omneſque turbidos motus, qui cæco impetu rationis arcem oppugnant, accerrimè propulſet. Fortitudinis igitur munus illud omnium virtutum commune cenſetur, vt rationi obtemperet: illud verò proprium, vt iuris æquitatem conſtanter tueatur. Ergo ſi Fortitudo Reges maximè decet; ſi eius muneris eſt, rectæ rationi parere, & pro Iuſtitiæ ſanctitate pugnare; illi qui ſe totos ad temerariæ multitudinis opinionem effingunt, & iniurijs quam multis Rempub. vexant, quomodo Regia dignitate digni cenſendi ſunt? Profectò qui For

titudine, comitibuſque eius, magnitudine animi, grauitate, patientia, rerum humanarum deſpicientia non eſt ornatus, fruſtra in ſolio Regali ſedet.

Hieronym. Oſori. lib. 1. de Glor.

Eſt & Temperantia Regibus ſummè neceſſaria; adeò vt Iuſtitiæ munus & officium ab illis adminiſtrari nullo modo poſſit, qui ſunt oppreſſi cupiditatis dominatu. Multi quidem tyranni ſapientiæ laudem adepti ſunt; multi ſimili ratione falſam Iuſtitiæ rationem induère; multi etiam fallaci virtutis imagine famam egregiam cõſequuti ſunt: animi autem moderationem nemo vnquam flagitioſus & improbus potuit imitari. Habet prudentia acumen ad mala præcauenda; id tamen ſibi malitioſa calliditas aſſumit. Eſt Iuſtitia clemens atque benigna; eandem verò laudem multi largitione, & fallaci ſpecie liberalitatis adepti ſunt. Ineſt in Fortitudine incredibilis quædam animi elatio; at huiuſmodi elationis ſimilitudinem in hominibus audaciſſimis, & improbiſſimis plerumq. cernimus: Temperantia verò cùm totius honeſti formam habeat expletam & cumulatam, nempe quæ ab vniuerſæ virtutis conſenſione ſapientiæque muneribus exiſtit, & in animi placida & quieta conſtantia ſita eſt, nihil relinquit inſipientibus & immoderatis, quod aſſimilare poſſint. Quemadmodum enim magna tempeſtas, ventis vehementiſſimis excitata, nihil habet commune cum tranquillitate: ita nec in inſipientis animo varijs perturbationibus, tanquam fluctibus, agitato cerni poteſt aliqua honeſtæ, & tranquillæ mentis ſimilitudo. Quo autem minus fingi poteſt, eo profectò Princeps libidinoſus impurus & intemperans minus dignus Principatu cenſendus eſt. Quomodò enim aliorum licentiam reſecabit, qui ſibi ipſi flagitiorum licentiam attribuit? Qua ratione ſuos in officio continebit, qui omnem pudicitiæ, & temperantiæ rationem ignorat? Quomodò denique reget alios, qui ſe ipſum neſcit regere? Vt autem multa paucis complectar, nemo Iuſtitiam colere poteſt, qui non fuerit ſapiens, fortis, & moderatus.

Sa-

Sapientia enim, quod rectum, & verum, & ſimplex eſt, perſcrutatur & inſpicit. Fortitudo animum ad vires tyrannidis elidendas firmo præſidio confirmat. Temperantia cauet nè ſtatus animi tumultu aliquo turbetur; & quod eſt ratione moderandum, libidine peruertatur. Vbi igitur pro Fide perfidia, pro Sapientia temeritas, pro Fortitudine imbecillitas, pro Temperantia libido Rempub. adminiſtrat; ibi nè veſtigium quidem Iuſtitiæ & æquitatis extare poteſt. Vbi vero Iuſtitia non colitur, quæ nam Regni ſpecies & forma extabit? Si Regni ſpecies in tyrannidem deſijt: ſi nihil, quod honeſti, & æqui ſimilitudinem retineat, reliquum eſt: ſi omnia, infima, media & ſumma inuerſa ſunt: ſi vniuerſus denique ſtatus turbatus eſt ex eo, quod is qui clauo aſſidebat, fidem fregerit; acerbus, immanis, & iracundus euaſerit; auaritiæ ſtuduerit; libidini ſeruierit; voluptatē & delicias Reipub. & ciuium omnium commodis antepoſuerit, an non à ſede Regni deturbandus erit? Certè non eſt cur amplius in Regali ſolio ſit tolerandus.

Colligamus ergo. Si Regium munus eſt diuinæ legi parere, rectam rationē ſequi, iuris æquabilitatem amplecti, fraudem & malitiam coercere, modum & ordinē in omni officio conſeruare, Rempub. vniuerſam excellentibus meritis obſtringere, quoduis periculum pro ſalute patriæ adire: qui turpitudinum maculis inuſtus eſt: qui hominibus propter fraudem & malitiam inuiſus: qui ciuium fide & beneuolentia deſtitutus: qui, omnia, quæ gerit, partim rabidè & furenter, partim timidè atque diffidenter adminiſtrat; Regium nomen & dignitatem nullo iure debet retinere. Ipſa enim Regiæ dignitatis ratio, thronus ipſe, ipſum diadema, celſitudo ipſa & maieſtas Regia, cuius potiſſimus finis eſt optimus Reipub. ſtatus, iure ſuo expoſcit, vt, cùm Iuſtitia conculcatur, cùm ciues opprimuntur, cùm publica ſalus periclitatur ob malitiam, vel negligentiam, vel perfidiam & fraudem, vel ignauiam

&

& imbecillitatem, vel intemperantiam, & incontinentiã, vel denique ob imprudentiam & inscitiam Principis, omninò is à sede Regni deturbetur, & alius loco eius sufficiatur, qui Iustitiam collat, & omnes suas curas & cogitationes, omnes labores atque vigilias in omnium illarum virtutum, quas ipsa complectitur, studium collocet & consumat. Iustitia enim, quæ à principio Reges creauit, & ornauit, ad summamque amplitudinem decoris, atque dignitatis euexit, est ea virtus quæ populorum vulnera sanat; motus omnes comprimit; pacem & otium cum dignitate constituit; vires Reipub. firmat; opes & Imperiũ auget, Dei numen piè atque sanctè veneratur. Nullum est enim sacrificium Deo acceptius, quàm Iustitiæ munus; nulla gens, nulla ciuitas, nullus hominum cætus, nulla postremò domus sine Iustitia potest salua consistere. Vnde Claudianus disertissimè descripsisse mihi videtur Principis officium, cùm dixit:

Iustitia vtilibus rectum præponere suadet,
Communesque sequi leges, iniustaque nunquam
Largiri socijs, durum patientia corpus
Instruit, vt nulli cupiat cessisse labori;
Temperies vt casta petas: prudentia, nèquid
Inconsultus agas: constantia, futile ne quid
Infirmumque geras, procul importuna fugantur.
At primam scelerum matrem, quæ semper habendo,
Plus sitiens patulis rimatur faucibus aurum,
Trudis auaritiam, cuius fœdissima nutrix,
Ambitio, quæ vestibulis foribusque potentum
Excubat, & pretijs comercia pascit honorum.

Certè iam luculenter ostendimus, Christum, cùm Petro dixit, *pasce oues meas*, eis omnem pastori necessariam potestatem ad tuendum gregem dedisse. Pastoris autem officium est non solùm lupos, qua possit ratione, ab ouili arcere, sed etiam arietes si oues cornibus impetant, & lædãt, ita includere, vt illæ pabulo sibi porrecto liberè vesci possint.

ſint. Igitur cùm Chriſtus eum, quem Eccleſiæ ſuæ præfecit, paſtoris nomine & officio cohoneſtauerit, hoc eſt, Romanum Pontificem Petri legitimum ſucceſſorem, vniuerſalem ſui gregis Paſtorem conſtituerit: is profectò ex muneris ſui authoritate poterit non ſolùm eum Principem punire, qui ex oue lupus per defectionem à fide effectus fuerit, vel vitiorum tabe coinquinatus extiterit, nè vel gregem funditus ſupperdat, vel oues morbo inficiat: verùm etiam eum, qui, tanquam aries furore percitus, gregem authoritate ſua iniuſtè læſerit; Iuſtitiam conculcauerit; publica munera ſceleſtis hominibus contulerit; populos oppreſſerit; vel denique vitio ſuo Reipub. pacem & ſalutem in maximum diſcrimen adduxerit, ſi admonitus non deſiſtat, & ad meliorem frugem ſe ſe recipiat, poterit etiam, cū opus erit, baculo percutere, &, ſi id è re Chriſtiana fore iudicabit, ab ouili penitus excludere. Hoc enim ouilis Dominici ratio iure ſuo poſtulat: quoniā Chriſtianorum collectio, & omnium Gentium in fide & religione Chriſtiana conſpiratio ita ouili comparatur, vt & perfectæ, atque optimè inſtitutæ Reipub. ſtatum ſibi vendicet; & Regnum ampliſſimum, quod in æternum non modò non diſſipabitur, verùmetiam omnia alia Regna conteret & comminuet, à Daniele cæleſti afflato numine dicatur. Nos enim alibi opima oratione demōſtrauimus tanti primos illos legum conditores publicam vtilitatem faciendam duxiſſe, vt, cùm, propter Rerumpublicarum, vel Regnorum diuturnam conſeruationem, illorum Præfectos authoritate coercendi debitis pœnis ſubditos muniuerint; nè tamen illi Rebuſpublicis vel Regnis vllo modo obeſſe poſſent, eos ſummo alicui iudici ſubijci voluerint, cuius imperio vel in officio continerentur, vel dignitate priuarentur. Ita apud Ægyptios Strabo & Ælianus, apud Perſas Agathias, apud Gallos Cæſar, apud Romanos M. Tullius obſeruatum fuiſſe literis conſignarunt. Licurgus apud Lacedæmonas prudentum hominum, quos Ephoros nuncupa-

lib. 9. de uera Chriſ. Eccle.

Stra. Greg. lib. 17.
Aelia. var. hiſt. lib. 14. c. 34.
Agath. hiſ. lib. 6.
Cæſ. de bell. Gal. li. 6.
Tul. lib. 2. de legib.

uit,

uit, Concilium instituit, cui Reges subiecit. Hoc autem quod ius Naturæ omnes populos primum docuit, & ius Gentium stabiliuit; lex diuina apud Hebræos è Reipub. salute esse perfectius demonstrauit. Vnde neminem esse puto, qui, si ad hæc mentem appellat, non proprijs oculis se conspicere fateatur, nihil excogitari, nedum dici, posse absurdius, quàm rationem illam, qua veteres etiam ethnicorum Respublicæ ita constitutæ fuerunt, vt tyrannidem, hominum societati, & bono communi valdè exitiosam, à ceruicibus suis reijcere iure possent; & qua Deus populi sui vtilitati & publicæ saluti cõsuluit, in hac Christiana Repub. omnibus numeris absolutissima desiderari.

CAP. XVI.

NEc verò est, cur æquo animo feramus temeritatem eorum, qui Regiam maiestatẽ, minimè decere aiunt, Romano subijci Pontifici extra causam Fidei & Religionis; cùm ipsi hac sententia à veræ religionis specie discedere videantur. Quid enim aliud, amabo, est Reges ab Ecclesiastica authoritate, quam Romani Pontifices diuinitùs acceperunt, eximere, quàm eos à Christi corpore abscindere & separare? An non, dum Regiam celsitudinem & dignitatem amplificare conantur, Reges ipsos dedecore & infamia turpiter afficiunt? Certe Ottho Frinsingensis, & Albertus Arantius scribunt, Henricum Imperatorem eius nominis Tertium, qui inter Reges Quartus numeratur, vt se à Romani Pontificis authoritate omninò liberum demonstraret; nec ab illo vllo excommunicationis vinculo ligari potuisse, populis suis facilè persuaderet, nuntios misisse per Prouincias qui dicerent, *Iesum Christum, quando ter oues Petro pascendas commisit, Reges excepisse, sed Pontificem per literas notum populis fecisse, Deum in terris agentem, quandò ligandi & soluendi in cælo & terra potestatem Petro dedit, neminẽ excepisse; eumque qui ligari se à Pontifice posse negaret, quod absolui nequiret, confiteri, & sic ab omni Ecclesiæ corpore sequestrari.* Cæterum Hispaniarum, Galliarum, Lusitaniæ Reges clarissimi, qui & Regna inclyta, & gloriam sibi immortalem com-

Otho lib. 1. c. 1. de Frederic. 1. Alber. libr. 5. saxo. c. 6.

compararunt, quique Gentes barbaras imperio ſuo ſubiecerunt, ita verbis, & factis, hanc blaſphemiam Chriſtianis Principibus execrandam eſſe, apertè ſignificarunt, vt poſteritatem ſuam efficaciter docuerint, nè inanem iſtam libertatem temerè ſibi vendicarent; ſed ſummam præclaramque libertatem eſſe putarent Romanis Pontificibus lubentibus animis parere, illorum comminationibus religiosè à propoſito deterreri, ad religionem & præclarè facta excitari, illorum denique authoritatem ſuſpicere & venerari. Quod veterum monumentis ita teſtatum eſt, vt minimè hac de re dubitandum ſit. Si enim Luſitanorum hiſtorias euoluamus, reperiemus profectò Alphonſos, Ioannes, Emanueles, Henricos, Sebaſtianos, & alios ſanctiſſimos & religioni addictiſſimos Reges, qui nihil minus vnquam cogitarunt, quàm ſe à Romani Pontificis authoritate, etiam in rebus ciuilibus eximere: Apud Gallias licet mente recolere Carolomannos, Pipinos, Ludouicos, & ſimiles, qui in eo dignitatis ſuæ amplitudinem ſitam eſſe, & libertatem ſuam in eo maximè eminere ſibi perſuaſerant, ſi Romanam Eccleſiam defenderent, donatis vrbibus, & oppidis inſignibus ditarent, Pontifices profugos & exules in Regno humaniſſimè reciperent, ſtratorum vice illis inſeruirent, pedes deoſcularentur, & armato milite in ſuam ſedem reſtituerent; Nec Hiſpaniarum Reges in Religione, & obedientia ſedi Apoſtolicæ iure debita inferiores, quàm illos omnes, extitiſſe putandum eſt: quos glorioſos, & ſempiterna memoria dignos, propter obedientiam Romanæ Eccleſiæ, & Chriſti Vicario in primis exhibitam, feliciſſimos ſucceſſus habuiſſe, res tam nota & manifeſta eſt omnibus, vt ſuperuacaneum eſſe videatur aliquos eorum oratione percurrere, cū æquè omnes de Romanis Pontificibus benè meruerint, & ſummam in eos propenſionem, ſummumque erga illos obſequium illuſtribus & glorioſis factis haud obſcurè oſtenderint. Quid ergo nonnulli ſcioli clamant? Quid contra

hanc veritatem contendunt? Quid in excogitandis rationibus, quibus comprobēt, extra causam religionis, Reges Romanis Pontificis non esse subiectos, tam multum temporis consumunt, vt noctes etiam insomnes ducant? Quid Regiam maiestatem, quid Gallorum Regum priuilegia nobis obijciunt?

Non possum sanè mihi persuadere, in eam sententiam aliquem Christianorum Principum descendisse, qua vel minimum Pontificiæ authoritati subtraxerit: sed assentatorum hæ voces sunt, quibus illos pellicere moliuntur, vt in amore sui rapti, ob φιλαυτίαν quæ omnibus hominibus naturalis est, non possint vera à falsis discernere. Quantas enim illi tenebras rebus offundunt explicari non potest. Non enim lucem Solis eripiunt, sed, quod est multo dirius atque funestius, quantum in illis est, lumen veritatis extingunt: sicque illorum opera fit, vt, quæ erant ad salutem Reipub. constituta, ad perniciem Reipub. conferantur. Principum enim authoritatem, quæ ex admiratione & metu orta, optimi Reipub. status tutela est; & maiestatem illam Regiam, quæ populi cohibet & ab omni lapsu continet temeritatem, ea superstitione colunt, vt in eam tandem opinionem impellantur, vt, cum magno totius Reipub. detrimento, nemini in terris se subijci debere arbitrentur: nec se populorum moderatores, & patriæ parentes, sed numina de cælo delapsa esse putent. Sic enim Caligula, qui initio imperij sui eas virtutes, quæ eos, qui alijs præsunt maximè decent, coluerat, & optimi Principis nomen fuerat adeptus, ab adulatoribus posteà pessimè corruptus belluinam quandam induit naturam, &, vt scribit Suetonius Tranquillus, vsque adeò assentationibus, tanquā inundantibus aquis, cor eius eleuatum est, vt diuinitatē sibi tribuerit, & Deum se esse prædicauerit, ac imagines suas in templis collocari præceperit. cuius imperio cùm omnes populi paruissent, soli Iudæi constanter obstiterunt. Nec Caligulæ solùm, sed

In Calig. c. 22. & 51.

Ioseph. lib. 18. antiq. cap. 15.

ſed aliorum multorum Regum amentiam eò prouexit aſſentatio, vt ſe Deos exiſtimarent. Quid enim aliud impulit Alexandrum, vt, ſuæ virtutis & humanitatis oblitus, Calliſthenem, quia illum vt Deum venerari noluit, crudeliſſimo ſupplicio mactaret? Quid nonnullos ex illius ſucceſſoribus, vt Deorum nomina captarent? Quid Domitianum? Quid multos prætereà Romanos Imperatores? Quid Tyrannos innumerabiles induxit, vt illis, à quibus non religioſiſſimè colebantur, crudeliſſimè necem afferrent? Num obſcurum eſt hoc tam ſceleſtum & immane facinus, quo homines Dei gloriam ad ſe transferebant, & reliquos homines, quaſi nihil haberent cum illis commune, contemnebant, atque pro nihilo putabant, fuiſſe adulatorum opera conflatum? Hinc profectò optimi & prudentiſſimi Reges facilè colligere poſſunt, ſua maximè intereſſe, ſi dignitatem Regiam ſartam tectam retinere deſiderant, adulatores omnes à concilio, à congreſſu, à Regia, à ciuitate, à tota denique Repub. exterminare, & Theſſalorum præclarum facinus imitari, qui ciuitatem Adulationem dictam ſolo æquarunt, vt quanto odio adulatores proſequerentur apertè ſignificarent. Namque pios & religioſos Principes maximè decet, eos à conſilijs ſuis conſtituere, qui nec turpia comprobent, nec metu poteſtatis vera reticeant. Miſerum enim Imperatorem illum iudicauit Iulius Capitolinus, apud quem vera reticentur: *In Gordia.* & illius deſperandam eſſe ſalutem tradit Cornelius Tacitus, cuius aures ita formatæ ſunt, vt aſpera quæ vtilia, & nihil niſi iucundum & læſurum accipiant. Principis itaq. prudentia in eo maximè elucebit, ſi adulatores à veridicis, vera à mendacijs poterit ſeparare; nec aſſentatorum præſtigijs oculorum aciei, & mentibus ſuis tenebras offundi patiantur: ſed quæ ſui muneris ſunt, quæ Reipub. ſibi commiſſæ ſalus, & optimi ſtatus ratio expoſcit, &, quæ lex diuina præſcribit, præ oculis ſemper habeant, &, ad quæ politicę etiam Iuſtitiæ conditio adhortatur mentem

appellant: sic enim maiores suos & gloriam immortalem sibi peperisse, & Regna, atque Imperia sua summa pace, summa tranquillitate firmauisse, si annales suos legant, facilè cognoscent: ex quibus sine vllo etiam labore facilè discent, se aliorum causa fuisse Regnis suis præfectos; neq. sibi tantum, sed alijs inuigilare præcipuè debere; & in eo dignitatis suæ amplitudinem eminere, si se totos religioni, & Iustitiæ dicauerint, cuius custodes ex Regij muneris ratione dati sunt. Quod si debitum iustitiæ non pēderint, sciant religionis præscripto se obstrictos teneri supremæ potestati Ecclesiasticæ, quæ vt publicum bonum priuatæ vtilitati præferatur quàm diligentissimè curare tenetur; cùm id non humana modò & diuina iura, sed lex etiam Naturæ omnes Gentes ab exordio mūdi docuerit: nec vlla vnquam extiterit Gens à veri Dei cognitione adeò aliena, quæ Naturæ ductu non cognouerit, præstare quidem, Regem iniquum à sede deturbari, quàm Rempub. in discrimen adduci. Vnde Cyprianus, inter abusionis gradus Regem iniquū constituit; quòd is, qui potestate abutitur ad iniquitatē, frustra nomen & dignitatem retineat. *Iustitia verò*, inquit ille, *est, neminē iniustè per potentiā opprimere: sine personarum acceptione inter virum & proximum suum iustè iudicare: aduenis, & pupillis, & viduis defensorem esse: furta cohibere: adulteria punire: iniquos non exaltare: impudicos, & histriones non nutrire: impios de terra perdere: parricidas, & periurantes viuere non sinere: Ecclesias defendere: pauperes eleemosynis alere: iustos super Regni negotia constituere: senes & sapientes & sobrios consiliarios habere: magorum, & ariolorum, phytonissarumque superstitionibus non intendere: iracundiam differre: patriam fortiter & iuste contra aduersarios defendere: per omnia in Deo confidere: prosperitatibus animum non eleuare, cuncta aduersa patienter tolerare: fidem Catholicam in Deum habere; filios suos non sinere impie agere.* Qua oratione doctissimus Antistes, & martyr gloriosissimus Cyprianus, non modò quæ Iustitiæ singularis virtutis sunt, quæque ad eam, quæ circa munera & onera Reipub. distribuenda, &

Cypri. de 12. abusio. c. 9.

& ad illam quæ circa rerum commutationes verſatur, potiſsimum ſpectant : ſed quæ ad vniuerſalem etiam Iuſtitiam, & illius comites Religionem, Fidem, Prudentiam, Temperantiam, & Fortitudinem attinent, cautè complexus eſt: vt, ſi ob cuiuſque iſtarum virtutum defectum Reipub. ſalus grauiter periclitetur, abuſionem maximam eſſe ſignificaret, eiuſmodi virum iniquum, quem ratio ipſa publici ſtatus Regali ſolio prorſus indignum declarat, Regem appellari, & clauo Reipub. aſsidere.

Hinc in celeberrimo illo Oecumenico Concilio lateranenſi, quod ſub Innocentio Tertio celebratum eſt (in quo Hieroſolymitanus, & Conſtantinopolitanus Patriarchæ interfuere, Metropolitani ſeptuaginta, Epiſcopi quadringenti & duodecim, inferioris ordinis Eccleſiaſtici octingenti, ſimul omnes Prælati M.CC.XV. aut eo plures; nec defuerunt Legati, tàm Græci, quàm & Romani Imperatoris, nec plurimorum Regum, vt Hieroſolymæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Angliæ) ex omnium Patrum, ac adeò totius Concilij ſententia decretum fuit, vel potius ex forma optimi Chriſtianæ Reipub. ſtatus, maximè expedire, declaratum eſt, vt, quoties Chriſtiani orbis Principes, qui nullius humanæ poteſtatis imperio ſubiacerent, alter in alterum, aut in ſubditos ſuos peccarent, Summus Pontifex ex muneris ſui authoritate in eos animaduerteret. Nec id iniuria. Quod enim vniuerſa totius ciuilis Imperij poteſtas præſtare minimè potuiſſet, ſæpe & ſæpius Eccleſiaſticæ authoritatis vis, quam Chriſtus in Repub. à ſe inſtituta eſſe voluit, ſine vllo tumultu, ſine vlla ſeditione, ſine vllo bello, ſine vlla ciuilis ſtatus concuſſione facili negotio abſoluit: adeò, vt & Imperatores, & eorum Imperium ſibi ſubiecerit, & de ſceleribus, quæ Principes in Chriſti ſponſam, vel in politicum ſtatum patrauerant, ſupplicium ſumpſerit. Eſt etiam memoriæ proditum, multos tyrannos, quos nullum ciuilis poteſtatis frænum coercere potuerat, Eccleſiaſticarum cenſura-

In exped. proter. ſanct.

rum

rum terrore fuisse cohibitos. Desiderium enim Longobardorum Regem, qui Romam cum exercitu pergebat Adrianus Pontifex sub anathematis interminatione prohibuit ab aditu terrarum Romanæ Ecclesiæ subditarum, quæ apud impium & ferocem Longobardum tantum ualuit, vt protinus ille expeditionem suam interruperit, & tacitùs Papiam regressus fuerit. Ioannes etiam Angliæ Rex à Pontifice Romano excommunicatus, quod Sacerdotes ab Ecclesijs arcuerat, aut expulerat, tanto fuit timore perculsus, vt diadema capiti ademptum Pandulpho Romanæ sedis legato, impetrandæ absolutionis gratia, tradiderit, spondens, se nunquam illud, aut hæredes suos recepturos, nisi à Romano Pontifice, cui se, & Regnum suum subijci profitebatur.

Polyd. l. 15.

Greg. 7. lib. 3. Reg. post. ep. 5. & 10. Plat. in Gre. 7. Maria. Scot. in Chro. an. 1075.

Sed præ omnibus alijs, quæ huc adduci possunt, illud, quod de Henrico Quarto Teutonum Rege, & Imperatore eius nominis tertio legitur, ostendit, quanto Ecclesiastica authoritas in coercendis sceleribus efficacior sit, quàm vniuersa omnium ciuilium Principum potestas. Nam ille, vt à principio rem, breuiter tamen, narremus, in omne vitiorum genus prolapsus vtramque Iustitiam lædens, cùm monita Summi Pontificis: apud quem Imperij Principes de eo conquesti fuerant, contempsisset, Ecclesiastico gladio perculsus & Imperatoria dignitate, Regiaq. priuatus didicit Ecclesiasticas censuras armato milite tyranno formidabiliores esse. Cùm enim Guilielmus Traiecti vrbis Germaniæ inferioris Episcopus Regis causam contra ius omne tueretur, & non solùm Pontificis excommunicationē nihil faciendam prædicaret, verùm etiam in eum innumera maledicta congereret; grauissimo morbo de repente correptus vltricem Dei manum in se persentiens miserabili eiulatu in celebri hominum corona vocem emisit, dicens, se iusto Dei iudicio vitam amittere, atque æterna morte mulctari, quòd, in gratiam Regis, Ecclesiasticæ authoritati fecisset iniuriam. Quæ verba vbi vix protulit,

è viuis

è viuis sine vlla salutari pœnitentia excessit: adeò vt, qui aderant cum Rege excommunicati, terror maximus inuaserit, & optimates omnes à palatio paulatim recesserint: nec posteà, licet sæpe euocati, ad Regiam redierint, satius esse ducentes Regis, quàm Ecclesiasticæ authoritatis maiestatem offendere. Interim Rex metuens, ne causa in perpetuum caderet, si per annum excommunicatus maneret, se Pontifici Maximo obediturum promisit; et eos, quorum pessimis consilijs vtebatur, à latere suo amouit, ac, dimisso exercitu, cum paucis Spiram venit. Vbi non longam moram traxit: sed inde subito in Italiam, cũ vxore, & paruulo filio contendit, vt summo Pontifici in Germaniam venienti occurreret. Erat media hiems, & frigus maximè vigebat, cùm Spira discessit. Via, per quã transire oportebat, erat valdè difficilis; tum propter ingẽtem niuium multitudinem; tum etiam propter mirandam montium altitudinem; reddebatq. ita lubricum, & præcipitem descensum, vt vix sine periculo iter facere liceret. Vicit tamen difficultates omnes timor, quo Imperator, ob temporis angustias, afficiebatur. Videbat enim vltimum anni diem ab excommunicatione sua iam propè instare. Quamobrem omni conatu, arte, ingenio, superatis periculis, vix tandem ad campestria Italiæ peruenit. Intereà Pontifex Augustam, quantum poterat, properabat, vt ibi Regis causam, quo decebat iudicio, discuteret, & sententiã ferret. Sed audiens eum fines Italiæ fuisse ingressum Canusium * diuertit. Illò Rex statim misit quosdam ex primis Italiæ Principibus, quos multum valere gratia & authoritate apud Summum Pontificem sciebat, vt excommunicationis suæ absolutionem curarent, & fidem suam obstringerent, ipsum non recusaturum subire eius iudiciũ, sed, quæ ferretur, sententiæ obtemperaturum. Annuit tãdem Summus Pontifex, ea tamen lege, vt Imperator pro commissis delictis pœnitentiam ageret; & culpam, quam contraxerat ex contumelia, qua sedem Apostolicam affecerat,

** forte, Carnutum.*

cerat,

cerat, illius decretis parendo expiaret. Tunc (mirabile dictu) qui Ecclesiarum tranquillitatem turbauerat, Principũ authoritatẽ minuerat, leges iustissimas aboleuerat, Rem. pub. cædibus impleuerat, vrbes depopulatus fuerat, domos incendijs vastauerat, & diuina omnia humanis, & sacra profanis immiscuerat, cum tanta animi demissione veniam petiturus accessit vt sine vllo comitatu intra secundum murorum ambitum receptus (erat enim castellum illud, ad quod Pontifex diuerterat, triplici muro circundatum) deposito Regio cultu, nudis pedibus, à mane vsque ad vesperum ieiunus perstiterit, dum Romani Præsulis sententiam præstolaretur. Nec hoc vno tantum die præstitit; sed secundo, & tertio iterauit. Quarto tandem die in conspectum Pōtificis admissus ea lege absolutus est; (non tamen in Regnum restitutus) vt ab illius sententia nequaquam discederet: & vel Regno potiretur, si obiecta crimina dilueret; vel ęquo animo se illo priuari pateretur, si Regio diademate indignus iuxta Ecclesiasticas leges iudicaretur. Nescio an desiderari possit luculentius aliquod exemplum, quo demonstretur non esse vllam in terris potestatem, quæ, si Christi religionem amplectatur, vni supremæ in Ecclesia authoritati non subijciatur. Hæc enim sola legitimam in omnes iurisdictionem exercens, nullius alterius, quàm sempiterni Dei est subiecta iudicio. Re verò ipsa in omnium oculis posita manifestius liquere potuit, Christum nec Petro, nec eius successoribus denegasse potestatem coercendi Principes, Reges, Imperatores, & quotquot membra Ecclesiastici corporis censentur: & vniuersam ciuilem authoritatem subiacere imperio illius Principis, cuius regimini Ecclesiam suã Christus commisit: Henricum enim, qui non modò inueteratam morum suorum barbariem, & delictorum colluuiem Ecclesiastica disciplina non deleuerat, sed noua semper in Reipub. Christianæ perniciem, & populorum oppressionem moliebatur, vinculo anathematis denuò colligauit

uit,atque iterum Regiam ei potestatē ademit; interdixitque Christianis omnibus, illo iuramento absolutis, quo fides Regibus dari consueuit, ne Henrico vlla in re obtemperarent; & Rodulphum loco eius Regem suffecit, & Regia dignitate, atq. potestate donauit. Quod si nunc languidior eius vis alicubi sentiatur: nullam aliam possumus assignare causam, quàm euersionem, vel saltem quassationem Christianæ Religionis. Nam quantum vbique Religio viget, tantum ibi vtriusque gladij authoritas robur habet. Sed institutum nostrum prosequamur.

Propter defectum iustitiæ particularis, Zacharias Childericū, quem & Hildericum appellant, multo ante quàm Gregorius Septimus in Henricum sententiam tulisset, non tam pro suis iniquitatibus, quàm pro eo, quòd Regiæ potestati erat inutilis, lege naturalis successionis, & iuramento fidelitatis non obstante, à Regno inuitum deposuit, & Pipinum, Caroli Magni Imperatoris patrem, eius loco suffecit: vt Gregorius Septimus ad Herimetensem Metensem Episcopum scribens luculenter narrat. Quod haud iniuria factum fuisse agnoscet, qui mente recolet, ob Childerici ignauiam Ecclesias à laicis, reclamantibus Episcopis, occupatas fuisse: clericis scorta, & lupas secum ducere impunè licuisse; ac, vt vno verbo dicam, omnem Religionem fœde fuisse conculcatam. Quamuis enim (quod Petrus de Palude verissimè scribit) Romanus Pontifex non confirmet eos omnes Reges, qui populi consensu à principio eliguntur: vi tamen & virtute Pontificiæ potestatis, qua pollet tanquam Christi Vicarius, non solùm propter hæresim, aut schisma, aut aliquod aliud intolerabile scelus; verùm etiam propter insufficientiam, si inde Regnum fidelium periclitaretur, potest quemcumque Regem dignitate, & administratione priuare.

Greg. 7. lib. 8. Regist. ep. 21.
Cap. alius, 15. q. 6.
Palu. tract. de potest. Eccles.

Vnde non possum non vehementer mirari illorum ingenium, qui, cùm aliàs de literis, & de Religione Catholica sint optimè meriti, Summum Pontificem leuitatis ar-

guunt, quòd sine consultatione, & causæ discussione, rem tanti momenti, ex affectu potiùs, quàm ex iuris æquitate absoluerit. Fuit enim Zacharias vir mitissimi ingenij: omni virtute præditus: ad iram tardus: ad misericordiā & clementiā promptissimus: iustitia insignis: quique sapientia & consilio tantum valuit, vt, cùm Dei populū rectissimè & sanctissimè annis decem administrauisset, dignus extiterit, qui inter optimos Pōtifices annumeraretur. Hunc ergo Pontificem, hunc virum prudentia, & sanctitate conspicuum, propter nescio quos Gallorum Regum assentatores, suspicabimur, contra omnem humani, & diuini iuris æquitatem Pipinum Regia dignitate donauisse? An maiorem illis, quàm Gregorio Septimo, viro integerrimo, fidem adhibebimus? Absit, vt in tantam nos assentationis ratio dementiam impellat. Quamuis enim illi, qui Gallorū res gestas scripserunt, historiæ huius veritatem in dubium reuocauerint, quo, vel saltem suos, Reges à Romani Pontificis authoritate eximerent; nunquam tamen de sententia discedemus; nè eosmèt, quorum maiestatem vltra fines æquitatis illi ampliare moliuntur, nos dedecore afficiamus. Verissimum est enim quod Gregorius scribit: eum, *Vbi supra.* qui se à potestate Petri exclusum existimat, haud obscurè significare, potius cacodæmonis oneri, quàm Christi Domini iugo se subijci velle. Cui tamen ad miseram libertatem minimè proficit, quòd potestatem Petri diuinitus sibi concessam, à superba ceruice excusserit: quoniam quanto magis eam aliquis superbia tumidus ferre recusabit, tanto durius ad damnationem suam in iudicio sustinebit.

lib. 8. c. 21. *Hanc itaque*, inquit Gregorius, *diuinæ voluntatis institutionem, hoc firmamentum dispensationis Ecclesiæ, hoc priuilegium Beato Petro Apostolorum Principi cælesti decreto principaliter traditum, atque firmatum, sancti Patres magna cum veneratione suscipientes, atque seruantes, sanctam Romanam Ecclesiam, tam in generalibus Concilijs, quam etiam in cæteris scriptis, & gestis suis vniuersalem matrem appellauerunt: & sicut eius documenta in confirmatione fidei, & eruditione*

sacræ

sacræ Religionis, ita etiam iudicia susceperunt: in hoc consentientes, & quasi vno spiritu & una voce concordantes, omnes maiores res & præcipua negotia, nec non omnia Ecclesiarum iudicia ad eam, quasi ad matrem, & caput debere referri, ab ea nusquã appellari, iudicia eius à nemine retractari, aut refelli debere, aut posse. Hæc ille, & quam multa alia piè, & doctè in hanc sententiam cõgerit: quam sanè Principum adulatores, argumento desumpto ex glossa cap. Alius. 15. q. 5. minimè euertunt. Quid enim, si concedamus, per verbum deposuit, intelligi debere, deponentibus consensit, quod glossa illa cõtinet? Certè nihil inde, ad labefactandam inconcussam Romani Pontificis authoritatem, desumi potest. Quod enim probandum assumpsimus, illud est; posse Summum Pontificem ex sui muneris authoritate Principes è solio deturbare, si, ob eorum negligentiã, & inscitiam, vel malitiam, Iustitia conculcatur, & status Reipub. periclitatur. Siue igitur primò Pontifex Childericum Regia administratione priuauerit; siue Regni primates ob publicam vtilitatem id intentauerint, & posteà Romani Pontificis consensum, & confirmationem postulauerint; certè cùm non ante factum ratum firmumque habitũ fuerit, quàm illud Romanus Pontifex approbauerit & cõfirmauerit, optimè Childerici exemplo probamus, ad Romanum Pontificem potissimùm spectare Reges, ob quorũ prauos mores, vel incapacitatem ad tantum munus obeundum, Iustitia contemnitur, Regno abdicare. Frustra enim illius consensus exigeretur, si ius dicendi potestatem summam non haberet.

Nec propterea Principes & Reges deterioris conditionis censendi sunt, quàm subditi, & priuati ciues, quibus nullo iure adimitur dominium rerum suarum ob mentis inopiam & inscitiam, sed eis conceduntur administratores, seu curatores viri prudentes & probi, qui tàm bonorum, quàm eorum, quorum sunt bona, diligentem curam gerant: similiter enim Romani Pontifices, antequam ad deponendum Regem aliquem accedant, nihil non inten-

tant,quo absque seueritate, & Regni incolumitati, & Regis priuatis commodis salubriter consulant. Verùm cùm eò ventum est, vt nisi Rex iniquus, vel recti regiminis prorsus ignarus è solio deturbetur, Reipub. salus omninò in discrimen adducatur; nemo profectò adeò diuini & humani iuris immemor existet, qui non cognoscat publicā incolumitatem priuatis cōmodis Regis prçferendā esse. Quòd si hoc ius non ita strictè obseruatur in causa priuatorū hominū, ex eo est, quoniam, ex minus recta illorū substantiæ, & status administratione, non ita grauiter læditur salus publica, quæ præ omnibus alijs rebus humanis supremo Monarchæ curanda est; & facilè absque magno aliquo detrimento administratores, & curatores illorū, nisi probè se gerant, mutari possunt; non item Reipub. moderatores.

Cap. grandi. de supplen. negli præl. lib. 6. Tur. cre. in sum. de Eccl. lib. 2. cap. 114. prop 4.

Hinc equidem Innocentius IIII. cùm certior factus fuisset, Regnum Portugalliæ destructioni maximè expositum esse, vitio Sanctij prodigi & dilapidatoris Regis; ac tū Ecclesias, tum Ecclesiasticas personas, & viduas, & pupillos contra omnem æquitatem grauari, illi administrationem Regni interdixit, & coadiutorem dedit Alphonsum eiusdē Regis fratrem germanum. Non tamen Regia dignitate illum priuauit, quoniam hac ratione satis publicæ incolumitati consultum iri iudicauit. Quod consilium rei euētus satis probauit. Nam, tum propter maximam Alphonsi prudentiam, tum propter Lusitanorum, erga patriam, & Reges suos summam fidelitatem, omnia ad pristinam disciplinæ formam summa pace, summa tranquillitate redacta, & iustitiæ, atque æquitatis habenis administrata fuerunt; adeò vt nihil, quod ad optimum Reipub. statum spectaret, in Lusitania, Alphonso Regni moderatore, desiderari posse videretur. Accidit enim sæpe etiam aliàs, vt sub voluptuosis, prodigis, & inscijs Principibus, strenui & fideles Duces publicam causam summa erga eos fidelitate pertractauerint. Cuius rei, instar multorum, exemplo nobis esse possunt Odenatus Palmyrenus, & Aulus Posthumius, qui,

Pomponius Lætus in Cō pend. hist. Rom.

præter

præter alios, Gallieno Imperatore, Romanum Imperium, in Orientis, & Occidentis Solis partibus contra triginta Tyrannos, qui illud, Principis ignauia, magis quàm potentia, & viribus ſuis confiſi, vndique inuaſerant, forti, conſtantique animo defenderunt, & propugnarunt. Interim tamen, ad inſtitutum noſtrum rurſus reuertentes; quàm latè pateat, Romani Pontificis authoritas, ex geſtis Innocentij Tertij aduerſus Otthonem, quem, tum quòd in Sedem Apoſtolicam contra iuſiurandi Religionem peccauerit, tum etiam quòd Iuſtitiam violauerit, ab Imperio deiecit, luculenter oſtendamus.

Vide etiã in Gordiano Trebellium Pollio. & Volatera. li. 17. verb. com.

Equidem cùm Innocentius eius nominis Tertius, Philippo Henrici fratre poſthabito, Otthoni diadema Imperij impoſuiſſet; tanti beneficij Imperator prorſus immemor exiſtens, contra ius, faſque occupatis nonnullis Eccleſiæ Romanæ oppidis, in Regnum quoque Neapolitanum mouens, id adoleſcẽti Frederico Secũdo ſublaturus, cuius, ob tenerã ætatem, curam tutores adhuc gerebant, eiuſdem Pontificis, cuius munificentiam expertus fuerat, in ſe concitauit iram. Nam cùm illum Sanctiſsimus Pontifex, vt ab inceptis deſiſteret admonuiſſet; vidiſſet autem admonitiones, & præcepta ſua flocci fieri, eum gladio anathematis percuſſit, & Imperij titulis priuauit: dignum eſt enim, vt is dignitate careat, qui vel Eccleſiæ maieſtatem minuere, vel Iuſtitiæ fundamenta conuellere conatur. Hæc autem ſunt, primùm, vt ne cui noceatur, deinde vt communi vtilitati ſeruiatur. Re cognita Boemiæ Rex cum Maguntino, & Treuirenſi Archiepiſcopis, Lantgrauio Turingiæ, atque Auſtriæ Duce, Otthonem deſerunt: Fredericum verò Secundum, Siciliæ Regem, quem Summus Pontifex accerſiuerat, & in Germaniam miſerat, eiuſdem Pontificis iuſſu, in Imperatorem Romanorũ aſſumunt. Ottho, vna cum Rege Angliæ, auunculo ſuo, cumque Brabantiæ Duce, & Comite Flandriæ, in Bellum contra Philippum Galliæ Regem, qui Frederici partes tuebatur, proficiſcitur,

Blond. dec. 2. lib. 6.

tur,

tur. Vtrinque accerrimè apud Tornacum dimicatur, sed tandem Ottho superatur, &, derelictus à suis, paulò post præ animi dolore in morbum grauissimum incidit, quo miserrimè vexatus è vita discedit. Qualis ferè semper exitus eos comitatur, qui se Romanæ Ecclesiæ opponunt. Quòd si Dei manus sententiam Pontificis Romani, & in euehendo, & deprimendo Otthone apertè confirmauit: quis est qui neget eius authoritatem, & iurisdictionem in Reges, & Imperatores non modò Euangelicæ doctrinæ veritate comprobatam; verùm etiam rerum ipsarum euentu constabilitam esse?

Innoc. 4. in Concil. Lug. habito anno 1245. refer. in c. ad Apostolicæ de sent. & re iud. lib. 6. D. Antoni. p. 3 Chron. tit. 19. cap. 3 Plat. in Honor. & Gregor. 9.

Fredericum etiam Imperatorem à Gregorio Nono excommunicatum, Innocentius Quartus Imperio priuauit; quoniam ab illo ea scelera edita fuerant in Imperij & Catholicæ Ecclesiæ statum, quibus & pax publica perturbata, & Iustitia conculcata iacebat. Sæpe enim deierauerat, initum fœdus inter Imperium, & Ecclesiam temerè violando; Sacrilegium perpetrauerat; turpiter enim & nequiter curauit, vt Cardinales, Præsules, & alij viri Ecclesiastici, ad Concilium indictum euntes, caperentur. De hæresi se suspectũ euidentibus argumentis reddiderat. Quid enim de eius fide, & religione suspicari fas erat, qui in dies magis ac magis Ecclesias, & viros Ecclesiasticos cõtumelijs afficiebat? Totius Siciliæ Clerum grauissimè oppresserat, ac in summam inopiam, & mendacitatem extremam coniecerat. Huius autem calamitosus exitus non obscurè ostendit Romani Pontificis authoritatem, diuinitus concessam, integram & incolumen in Ecclesia seruari. Liceat igitur illius historiam, quæ non minus, quàm multæ aliæ, scitu digna existit, breuiter narrare. Cùm itaque Fredericum ab ineunte ætate in Regno Appuliæ Romana Ecclesia sub tutela sua educauisset, eum Honorius eius nominis Tertius vnxit in Imperatorem. Ille tamen post obitum Constantiæ matris suæ, cuius sanis hortationibus in officio continebatur, immemor accepti beneficij, contra

contrà omne ius diuinum,& humanum, ditionem Pontificis vexauit. Ob quam causam ab Honorio excommunicatur: sed ab eodem Pontifice posteà, Ioannis Hierosolymorum Regis precibus, absoluitur: ea tamen lege, vt res ablatas dominis suis reddat, & ad recuperandam terram sanctam cum exercitu se conferat. Hanc ille sibi impositam legem nō modò violauit; verùm etiam, morbum simulans, maximam Christianorum multitudinem Brundusij expectantem, & ipsum Hierosolymitanum Regem, & multos alios Christianos in Asia præliantes decepit. Hac fraude,& perfidia detecta, Gregorius Nonus sententiā à prædecessore suo in illum æquissimè latam denuò repetijt,& confirmauit. Sed tamen nō ideò ad officium redijt; imò in dies deterior euasit. Hanc itaque tantam viri insaniam sempiternus Dominus diutius ferre noluit. Cùm enim graui morbo eum corripuisset, nec is ad meliorem frugem se se recepisset, & aliquantulum conualuisset, mori cogitur, compresso ore,& spiritu à Mantfredo, quem ex nobili concubina susceperat. In quo facto apparet summū diuinæ iustitiæ exemplum, cùm is, qui Ecclesiam Romanam matrem suam nefariè prosequutus fuerat, à carnali filio eadem patiatur, quæ ipse in patrem spiritualem perfidè parauerat. Illud verò minimè silendum puto, quòd illemet, qui ægrè ferebat se ob crimen à Pontifice Romano Imperio priuari, & ideò negabat eum hoc posse aliquo iure facere, aliàs veritate ipsa victus Pontificiam dignitatem agnouit, & ingenuè fassus est, eam diuinitus illi fuisse collatam: adeò, vt, quamuis Pontifex maximis sceleribus, quod absit, scateat, tamen quicquid in terris ligauerit, in cælis etiam ligatum habeatur: & quicquid soluerit, etiam solutum sit.

Vincent. Blond. Antonin. Plat. & alij.

Epist. 3.

Anno item M.CCCC. Electores Imperij Venceslaum Romanorum Regem, re cum Sede Apostolica prius communicata, quòd nec ipse Iustitiæ leges obseruaret, nec eas ab alijs seruari curaret, & alia suscipisset scelera, quibus

Sententia circūfertur in vno tom. histori. Germa.

bus vniuersalis Ecclesia, & Imperium maximè lædebantur, omninò dignitate priuarunt. Denique, vt pluribus alijs exemplis supersedeam, cùm eo tempore, quo Stephanus Secundus (vt quibusdam placet) in Cathedra Petri sedebat, & Imperium in Occidentis Solis partibus penè extinctum erat, propterea quòd variæ Septentrionales nationes illud inuaserant, & vi & armis penè occupauerant, Romana Ecclesia maximum detrimentum pateretur ab Astulpho Longobardorum Rege; nec Imperatores, qui Constantinopoli degebant, vellent, etsi crebris literis rogati, opem vllam contra barbarorum incursus ferre: Pontifex Imperium Romanum à Græcis ad Gallos transtulit, & Carolum Magnum, Pipini filium, Imperatorem creauit: quem posteà Leo Tertius, efflagitantibus populis Imperij corona insigniuit. Gilbertus verò Genebrardus scribit illum Pontificem fuisse Stephanum Tertium, refert etiam Palmerium asserere, hunc Stephanum transtulisse insignia, & dignitates, & titulos Imperij ad Francorum Regem, quoniam Orientalis Imperator Catholicos vexauerat. Quamuis autem hæc Romani Imperij translatio ex eo videatur originem duxisse, quòd Stephanus ad Pipinum in Galliam se contulerit, vt auxilium contra Astulphum peteret; vbi eum, & duos filios in Reges Galliæ intra templum Sancti Dionysij vnxit, & Regnum illud hæreditarium fore statuit, & declarauit: nihilominus tamen magis probandum mihi videtur, * quod omnium ferè Gentium consensu & testimonijs apertissimis testatum est, Leonem Tertium Pontificem Maximum, aut solum, aut præcipuum, & primarium huius translationis authorem extitisse, eique Germanos Imperium acceptum referre debere, quippe qui sub annum salutis octingentesimum, ipso die Natalis Domini in Vrbe Roma nouum Imperatorem Carolum Magnum creauit, remanente Orientali Imperio apud Græcos, indeque ortum esse, vt Occidentales Imperatores à Summo Pontifice vngantur, & diadema

Gloss. in c. venerabilẽ de elect.

Genebr. lib 3. Chronol. circa ann. 752.

**Zona. to. 3 an. in vita Cõs. & Iren. Cedren. in comp. hist. in vit. Cõst. Paul. diaco. lib. 23. rer. Rom. Mariã. Scot. li. 3. Chron. Caroli Mag. Ottho. Episc. Fring. li. 5. c. 31. Aeneæ. Syl. in abbreui. Blon. Pla. in vit. Leo. 3. Tritem. in catal. script. & alii.*

ma Impeij accipiant. Hoc autem Imperium mansit apud Gallos supra centum annos: hoc est, vsque ad Chunradum, cui Henricus ex gente Saxonum successit. Nam Arnulphus, cui Pontifex Formosus Romæ Imperij diadema imposuit Anno Octingentesimo nonagesimo sexto Carolimanni Filius fuit Ludouici Germaniæ Regis nepos; cui successit Filius Ludouicus, Ludouico Chunradus Arnulphi ex alio Chūrado Nepos: atque hìc series Carolimāni, & gentis Francorum desijt, vt ex Abbate Vrspergensi cognosci potest. Chunrado successit Henricus primus ex gẽtes Saxonum cognomento Auceps. Nam & si is Henricus Nepos erat Arnulphi Imperatoris ex filia (vt Albertus kransius demonstrat) tamen ex patre, non Francus, sed Saxo erat. Porro Ludouicus Chunradus, & Henricus, non quidem Imperij maiestate, sed Regia tantum dignitate potiti sunt; vt efficaciter comprobat Robertus Berlaminus. Henrico igitur Filius Ottho successit, quem Summus Pontifex Ioannes eius nominis XII. ad Imperij amplitudinem ob singularem eius animi virtutem euexit; & in eo primo ab Occidentalibus ad Orientales Francos Imperij translatio facta est. Qua de re præclarè Ottho Frisingensis scribit. *Ex hinc,* inquit, *quidam post Francorum Regnum supputant Teutonicorum: vnde filium Otthonem in decretis Pontificum, Leonem Papam, primum Regem Teutonicorum vocasse dicunt: nam iste, de quo agimus, Henricus, oblatam sibi à Summo Pontifice dignitatem renuisse perhibetur.* Rationem autẽ, ob quam insignia, & cæteras appellationes, nec non vnctionem, & coronam suscipere recusauit, tradit Vitichindus, qui huius Henrici tempore vixit. *Cùm ei,* inquit *offerretur vnctio cum diademate à Summo Pontifice, qui eo tempore Herigerus erat, non spreuit, nec tamen suscepit: satis, inquiens, mihi est, vt præ meis maioribus Rex dicar, & designer, diuina annuente gratia, ac vestra pietate: penes meliores verò nobis vnctio & diadema sit: tanto honore nos indignos arbitramur.* Itaq. prosequitur Frisingensis: *Et Ottho, qui Imperium à Longobardis vsurpatum deduxit ad Teutonicos Orientales Francos,*

Vrsper. in Chron. an. 914.

Krans. li. 2. Saxo. c. 33.

Libr. 2. de trans. Imp. c. 2.

Lib. 6. hist. c. 17.

Viti. lib. 1. gest. Saxoni.

forsan dictus est primus Rex Teutonicorum: non quòd primus apud Teutonicos regnauerit, sed quòd primus post eos, qui à Carolo Carolingi, sicut à Meroueo Merouingi, dicti sunt, ex alio, id est Saxonum sanguine natus, Imperium ad Teutonicos Francos reuocauerit. Posteà

Cap. 22.

verò, vbi narrauit diadema impositum Otthoni fuisse Romæ, ita subiungit. *Ex hinc Regnum Romanorum post Francos, & Longobardos ad Teutonicos, vel, vt alijs videtur, iterum ad Francos, vnde quodammodo elapsum fuerat, translatum est.* Alijs verò multis interiectis, *Vide*, inquit, *Regnum Teutonicorum cum Regno Francorum affine & quodammodo cognatum principiũ habere: ibi primum Carolus* (Martellus) *sine Regis nomine honorem Regis gerebat: hic Magnus Ottho Saxonum Dux* (Otthonis Imperatoris auus) *Regibus adhuc ex stirpe Caroli manentibus, Regni summam administrabat. Illius filius Pipinus, non solùm re, sed etiam nomine Rex cæpit esse, & dici: huius simili modo filius Henricus Regis nomine meruit honorari: illius filius Carolusmannus, non solùm Regnum sed etiã Imperium capto Desiderio primus obtinuit ex Francis: istius filius Ottho Magnus post multos triumphos primus ex Teutonicis post Carolos capto Berengario Romanis imperauit.* Primus igitur è Germanis Imperij diadema à Ioanne Romano Pontifice suscepit Ottho populo Romano cũ Cæsarem salutante. Temporis deinde progressu Ottho Tertius à Gregorio Quinto coronatus, vnctusque fuit Germanorum Imperator. Huic sanè tota Italia, quòd, exstincta Carolimanni sobole, multis & magnis incommodis, & diuturnioribus seditionibus conflictaretur, prorsus Imperium demandauit. Coacta verò Romæ Synodo, cui Ottho Imperator interfuit, in ea Romanus Pontifex decreuit, vt Imperator à septem Principibus eligeretur, quos ipsemet Pontifex perpetuis futuris tẽporibus esse voluit, Archiepiscopum Maguntinum, Treuirensem, & Coloniensem: nec non Comitem Palatinum Ducem Saxoniæ, Marchionem Brandeburgensem, & Regem Boemiæ. Ad hos ergo septem Electores potestatem eligendi Imperatorem à sede Apostolica delatam fuisse, disertissimis verbis testatur Innocentius Tertius; sic

Cap. 24.

enim

enim ad Turingiæ Ducem ſcripſit. *Verum illis Principibus, ius & poteſtatem eligendi Regem, in Imperatorem poſtmodum promouendum recognoſcimus vt debemus, ad quos de iure, & antiqua conſuetudine noſcitur pertinere: præſertim cùm ad eos ius & poteſtas huiuſmodi ab Apoſtolica ſede peruenerit, quæ Romanum Imperium in perſona magnifici Caroli à Græcis tranſtulit in Germanos.* Fuiſſe autem huius conſtitutionis authorem Gregorium V. (quicquid Ioannes Auentinus, & Onuphrius Panuinus hac de re ſcripſerint) tradunt quàm multi ex veteribus tàm Germani, quàm Itali ſcriptores: quorum vnum, vel alterum in teſtes adducam. Et primò occurrit Iacobus Vuympheligius, qui, in enarratione rerum Germanicarum, inquit: *Gregorius, cognita Imperij imbecillitate, varietateque fortunæ, vtque is, qui cæteris virtutes præſtaret, præeſſet etiam dignitate, ſanctionem tulit, haud abnuente Otthone, de Imperatore deligendo, anno Chriſti M. II. quam vſque ad noſtra tempora ſeruatam videmus, videlicet ſolis Germanis licere Principem eligere qui Cæſar & Romanorum Rex appellatus, tum demum Imperator & Auguſtus haberetur; ſi eum Romanus Pontifex inunxiſſet.* Albertus krantius, & ipſe Germanus, hoc ipſum affirmat. *Gregorius,* inquit ille, *ad vndecimum, quo abfuerat, menſem reſtitutus, accerrimam de accepta, à Romanis iniuria vltionem ſumpſit: paulò enim poſteà quàm redierat, eam fecit de Imperatoris electione ſanctionem, quam huc vſque per annos iam quingentos ſeruatam videmus, ſolis licere Germanis, qui inde electores ſunt dicti, Principem deligere; qui Cæſar tunc, & Romanorum Rex dictus, ſi à Romano Pontifice coronabitur, Imperator Auguſtus appelletur.* Accedat vltimò, vt alios prætereamus, Ioannes Nauclerus natione item Germanus in confirmationem eiuſdem ſententiæ, qui hæc ſcribit. *Saluari poteſt, quod ex monumentis Aquileienſis Eccleſiæ traditum inuenitur, ſanctionem de Imperatore à Germanis deligendo, Sylueſtri temporibus factam eſſe: nam etſi Gregorius Sanctionem inſtituerit, ille tamen Syluester electionem primam iuxta ſanctionem factam approbauit.* Et poſt nonnulla alia: *Anno ſalutis ſecundo ſupra milleſimum, Otthone Tertio mortuo, Germani electores conceſſo iuri per Sanctionem Gregorij Quinti, &*

Epiſ. ad Ducem Turingiæ, vnde extat c. ap. venerabilē.

Vuymph. in epitom. rer. Germa. c. 2.

Krant. lib. 4. Saxo. c. 25.

Naucle. in 2. uol. Chrono. gener. 34

Otthonis Tertij primum innitẽtes, Henricum Ducem Bauariæ, comitem Bambergensem, Claudum posteà dictum, Cæsarem declarant. Quamuis tamen Romanus Pontifex Principibus Germanis authoritatem eligendi Imperatorem legis suæ imperio & præscripto concesserit, sibi reseruauit electionis approbationem, Imperatoris approbati vnctionem, & coronæ aureæ impositionem. Tribus enim coronis electus Imperator insignitur, prima ferrea, quæ illi imponitur ab Archiepiscopo Coloniæ in ciuitate illius diœceseos nomine Aqisgrano: secunda argentea, quam ille accipit Mediolani ab Archiepiscopo eiusdem ciuitatis: tertia aurea, quam illi Summus Pontifiex defert, Duratque hæc vsque ad hodiernum diem consuetudo: Imperatores verò simul ac eis potestas cum Imperio data est, fidem suam iureiurando Romano Pontifici obstringunt, se Ecclesiæ propugnatores aduersus omnes illius, & Christianæ religionis hostes staturos promittunt, atque ea omnia præstaturos, quę vel ad protectionem Ecclesiæ, & Christi Vicarij, vel Imperij conseruationem viderint expedire, spondent & iurant.

Cap. venerabilem de elect. Clemẽ. Romani. de Iureiur. cap. ad Apostolicæ. de sent. & re iud. li. 6. Genebr. lib. 4. chro. circa ann. 997. & 1007.

Vt igitur omnia, quæ hactenus diximus, in vnum contrahamus: si Romani Pontifices exercuerunt authoritatem in Reges, & Imperatores, quoties vel fidei, & Religionis Christianæ causa, vel animorũ salus id postulauit: si Reges aliquandò ob deprauatos mores, & nonnunquam, quòd minus idonei ad politicum regimen censebantur, sæpe etiam quòd eorum vitio, Iustitia conculcata, Reipub. salus & incolumitas periclitabatur administratione & dignitate priuarunt: si à Græcis ad Gallos, inde ad Germanos Romanũ Imperium transtulerunt: si modũ eligẽdi Imperatores præscripserunt; nec vel Reges, vel ipsi Imperatores, vel vllus alius, qui Catholicus esset, inesse hãc authoritatem Summis Pontificibus negarunt: quales eos esse suspicabimur, qui audacter asserunt, Reges in causis ciuilibus nullo modo Præsulibus Romanis subiacere? An hoc aliud est, quàm Reges à mystico Christi corpore abscindere?

ſcindere? Certè Nicolaus Secundus non abſque cauſa inquit, Chriſtum Petro æternæ vitæ clauigero tradidiſſe iura terreni, & cæleſtis Imperij: cui adſtipulatur Bonifacius VIII. dicens, ex Euangelicis literis conſtare, duos eſſe in Eccleſia, eiuſque poteſtate gladios, ſpiritualem, videlicet & temporalem: ſed illum ab Eccleſia, hunc verò pro Eccleſia exercendum: illum Sacerdotis, hunc Regum & militum manu, ſed ad nutum & potentiam Sacerdotis vibrandum: quia oportet gladium eſſe ſub gladio, & ciuilem authoritatem Eccleſiaſticæ ſubijci poteſtati. *Quid tu* (inquit Bernardus Eugenium Summum Pontificem alloquens, in ijs, quos de conſideratione edidit, libris) *denuò vſurpare gladium tentas, quem iuſſus es ponere in vaginam? quem tamen qui tuum negat, non ſatis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis ſic: conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipſe, tuo forſitan nutu, etſi non tua manu euaginandus, alioquin ſi nullo modo ad te pertinet & ijs dicentibus: Ecce gladij duo hic, non reſpondiſſet Dominus: Satis eſt, ſed, Nimis eſt. Vterque ergo Eccleſiæ, & ſpiritualis ſcilicet gladius, & materialis, ſed is quidem pro Eccleſia, ille verò & ab Eccleſia exercendus eſt: ille Sacerdotis, is militis manu, ſed ſanè ad nutum Sacerdotis, & iuſſum Imperatoris.* Denique, legantur tàm veteres, quàm recentiores Theologi, & vtriuſque iuris prudentes, certè omnes vna mente, vna & voce hanc ſententiam amplectuntur, (quamuis in modo explicandi inter nonnullos ſit differentia) Romanum ſcilicet Pontificem, tanquam Chriſti Vicarium, & Supremum conſpicuæ Eccleſiæ caput, duplicem gladium, ſeu iuriſdictionem habere, ſpiritualem, & temporalem; & vtrumque ſæpe contra Reges & Regna iure ſuo exercuiſſe. Nam & olim Ioiada Pontifex congregatis in vnum centurionibus imperauit, vt Athaliam, quæ per tyrannidem Regnum ſibi vendicauerat, & cultum Baalis fouebat, è medio tollerent: illi verò imperata ſumma cum diligentia fecerunt. Azarias etiam Sacerdos ex templo, & ex vrbe eiecit Regem Oziam, & priuatam vitam agere compulit:

Cap. 1. diſt. 22. extra. vnam ſanctam de maio. & obed.

li. 4. de conſid.

Lib. 4. Reg. c. 11.

2. Paral. c. 26.

lit; (cuius gloriam & maiestatem plurimis diuina potiùs, quàm humana virtute partis victorijs Deus amplificauerat) quòd superbia elatus Sacerdotale munus vsurpare tentauerat, & diuina iussa contempserat: eique filium nomine Natham in Regnum suffecit. Hinc equidem, Magnus Athanasius, etsi Episcopatus sui sedem Alexandriæ, cui, non minus, quàm toti Regioni iure Imperij dominabatur Constantius Cæsar, collocatam esse attentè considerabat, non dubitauit tamen, aduersus eius perfidiam, violentiam, ac furorem, Constantis Imperatoris Catholici fidem atque opem implorare: quia sibi maximè licere nouerat in causa adeò iusta ab exteris Principibus, etiã contra suum Imperatorem subsidium postulare. Quid enim? Si ciuitatis alicuius Episcopus videret militem furore percitum, vel indignatione commotum per medias plateas stricto gladio incedentem, & passim misellam turbam cædentẽ, non posset iure optimo authoritatem Pontificiæ suæ dignitatis interponere, & ciuibus strictè præcipere, vt de manu illius gladium potiùs ui exprimerent, atque auferrent, quàm vt sanguinem innocentem temerè fundi paterentur? Ipsa proculdubiò magistra ac dux Natura, qua iudicanda esse omnia turpia & honesta etiam ethnicus Orator existimauit, hoc rationi & æquitati adeò consonum esse docet, vt, nisi illud re ipsa præstaret, sibi, munerique suo omnino deesse iudicaretur. Cui autem cohibendi gregarium militem, cui semel Imperator gladiũ commisit, legitimum ius esse censetur: eidem profectò reprimendi Centurionem, vel etiam Tribunum, imò & Cæsarem, si gladio secus vtatur, quàm sibi à Christo imperatum est, potestatem concessam esse, ita manifestè apparet, vt non modò à veritate quàm longissimè aberrare, verùm etiam insanire mihi videantur, qui Episcopis iure Pontificatus authoritatem inesse pernegant, ab Ecclesiæ gremio eijciendi, vel à Regni administratione amouendi Regem illum, quem gladio suo in Christianæ, vel etiam

Theod. li. 2. hist. Eccl. c. 9

ciuilis

ciuilis Reipub. perniciem & interitum abuti viderint. Nam Mediolani Præsul dignissimus Ambrosius licere Episcopo de ciuilibus controuersijs, ac de Cæsaris actis cognoscere, statuere, iudicare abundè ostendit, cùm homicidij Thessalonicæ iniustè perpetrati causam ad se aduocauit (nemo enim rectè alium condemnat, antequam causam cognoscat) diligenter patrati criminis omnia ponderanda examinauit, & in Imperatorem sententiam tulit, vinculo excommunicationis innodauit, & legem ferre coegit de dilatione vindictæ, qua iracundiæ suffragia irrita redderentur. Nec verò illud iniuria ausum fuisse sanctissimum Antistitem vllus vnquam Catholicus quem sciam, affirmauit; quin potius Cæsar Constantinopolim reuersus Nectario Episcopo fassus est, ægrè se tandem didicisse, quid inter Imperatorem & Episcopum interesset, ægrè tandem reperisse veritatis magistrum. Nam solum Ambrosium Episcopi nomine sibi dignum videri asseuerabat: quòd in se tam acriter & seuerè animaduertisset. Sunt enim Ecclesiastici Præsules Imperatorum iudices in ijs etiam quæ ad ciuile forum spectant, de quibus tanquã animorum Pastores ex sui muneris ratione disponere possunt. Quòd si Episcopi habent hanc in Imperatores, reliquosque Principes potestatem, & possunt eis, ex causa legitima, politicæ legis formam præscribere: quis adeò insanus & temerarius est, vt eam Summo omnium Præsuli, qui in Petri Cathedra sedet, eripere audeat? Profectò Gregorius ille Magnus, cuius sanctimoniam non modò illud sæculum admirabatur, verùm etiam quæ deinde sequuta sunt tempora, ita commendant, vt à Deo summis precibus contendant, vt ij ad Summum Pontificatum assumãtur, qui eius candidos mores, & vitæ integritatem imitentur, *Si quis Regum*, inquit, *Antistitum, Iudicum, vel quarumcunque sæcularium personarum, huius Apostolicæ authoritatis, & nostræ præceptionis decreta violauerit, cuiuscunque dignitatis, vel sublimatis sit, honore suo priuetur.*

Theod. lib. 5 hist. Eccl. c. 17.

Libr. 9. Indict. 6. epist. 10.

Quam-

Panor. in c. nouit de iudi. & c. si duobus. de appel. Anto. 3. p. tit. 22. c. 5. §. 8. Syl. uer. Papa. q. 7. & 10. vsque ad 14. & verb. legitimus. q. 4. Naua. c. nouit de Iudic. cum citatis per illos.

Quamobrem mirandum non est, si Abbas Panormitanus, D. Antoninus, Syluester, Martinus ab Azpilcueta D. Nauarrus, & alij quàm multi ex Iurisperitis sequuti Ostiensem, & B. Augustinum Triumphum virum doctissimum ex ordine Eremitarum S. P. N. Augustini, vt erant in sedem Apostolicam benè affecti, cōstanter asseruerint Romano Pontifici summā inesse in rebus etiam ciuilibus potestatem, eiusque iurisdictionem, quæ gladius temporalis appellatur, in vniuersam Rempub. Christianam extendi: quam si extra Ecclesiæ patrimonium non exercet, hoc non ex eo proficisci, quòd potestatem non habeat, sed quòd, omnem offensionem euitare, & pacem tueri cupiens, per Vicarios suos ciuiles Principes eam exercere satius duxerit. Religiosè enim considerantes, Christum Saluatorem nostrum Rempub. suam perfectissimè instituisse, & in ea vnum Principem creasse, ad quem, veluti ad caput, illa reduceretur, non sine causa, efficaciter sibi colligere videbantur, aut illam, non ad vnum, sed ad plura capita, quod monstrosum foret, reducendam, aut ciuiles potestates in rebus etiam temporalibus vnius Summi Pontificis Imperio subijci debere. Maximè cùm Christus ita Petro claues Regni cælestis tradiderit, vt simul ei detulerit ius ædificandi, & destruendi Regna in Ecclesia sua, quandò id ita expedire iudicaret. Quod quidem ius diuinitùs concessum, ad Ecclesiæ in terris agentis vtilitatem spectat.

Matth. c. 16. & Ioan. ca. 21.

CAP. XVII

EQuidem non me præterit, quantum conniti animo possunt, quantum labore contendere, tantum efficere aduersarios, vt, postquam omnes certatim, alius alio audacius hac de re disseruerunt, hoc vnum tandem à nobis consequi possint; proprium scilicet Regni cælorum gladium, non politicum, sed spiritualem esse, qui est verbum Dei. Quod quidem haud ægrè nos illis concedimus. Hunc tamē spiritualem gladiū tantæ efficacitatis, tantæ virtutis & potentię esse asserimus, vt non minus gladiū politicum,

quàm

quàm cætera omnia, quæ intra Ecclesiam Christi veram continētur moderetur & regat: imò etiam, si opus esse videbitur, instituat, tollat, transferat. Si enim Samuel, cuius proculdubiò gladius verbū Dei erat, Saulem vnxit in Regem, & illi præscripsit, quid in bello acturus esset; & cum posteà Regio diademate indignum, & Regni iure priuatū declarauit, quòd spirituali gladio, id est, verbo Dei nō obtemperauerat: si, eo adhuc viuente, Regni iura in Dauidem transtulit: si Ioiada, de quo paulò antè loquuti sumus, spiritualis sui gladij iure Athaliam, quæ iam septem annis regnauerat è solio Regni deiecit: si spirituali gladio suo politicum gladium instituit, centurionem & milites pro Rege arma capere, tyrannam è throno, è templo arreptam occidere compulit: si Helias eodem spirituali gladio ignem è cælo eduxit, quo Regij milites arserunt: si sacerdos Mathathias authoritate gladij spiritualis, quem à Deo acceperat, gladium sibi politicum assumpsit, & filijs suis reliquit, quo posteà Regem Anthiochum Imperio Iudæorum à se armis occupato priuarunt: quis ita obtusi, aut proterui ingenij est, vt existimet spiritualem gladium ministrorum Christi minori præditum esse virtute & potestate, quàm illum veterum Sacerdotum, aut Prophetarum? Certe Paulus huius spiritualis gladij acumine oculos præstigiatoris Elymæ adeò percussit, vt omnem prorsus visum ei ademerit, Petrus quoque Ananiam, & eius vxorem Saphiram interfecit. Ex quo sanè facto, cùm ipsum per se præclarum extiterit, & Ecclesiæ quidem, quæ tunc erat, ad terrorem, Petri verò successoribus ad imitandum positum fuerit, iam manifestè liquet, qua ij authoritate ab Imperio amouerint, & iure Regni priuauerint Henricos, Boleslaos, Ludouicos, Childericos, Ioannes, Otthones, Fridericos, & alios, atque alios Reges, & Imperatores: habent enim politicum gladium, non humano, sed diuino iure sibi traditum; quo ad animorum salutem cum primis, & ad iustitiam deinde colandã, Re-

1. Reg. c. 10. 13. 15.
1. Reg. c. 16.
1. Reg. c. 12.
4. Reg. c. 1.
1. Macha. 2. & cæt.
Act. c. 13.
Act. c. 5.

gnorum optimum statum tuendum, & publicam pacem & incolumitatem conseruandam, quandò ita expedire videbitur, vti possunt. Quamobrem cōsideratè Gregorius VII. in Apostolicis literis aduersus Henricum datis inquit. *Agite igitur Apostolorum sanctissimi Principes: & quod dixi vestra authoritate confirmate: vt omnes nunc demum intelligant, si potestis in cælo ligare & soluere: in terra quoque Imperia, Regna, Principatus, & quicquid habere mortales possunt, auferre & dare vos posse. Si enim quæ ad Deum pertinent iudicare potestis, quid de his inferioribus & profanis censendum est. Ediscant nunc Reges huius exemplo, & omnes sæculi Principes quid in cælo possitis, quantique apud Deum sitis: ac deinceps timeant sanctæ Ecclesiæ mandata contemnere.*

Plat. in uit. Greg. VII.

Nec verò obstat, quòd Apostoli, vel etiam Petrus, cui Christus supremum vniuersæ Ecclesiæ suæ Principatum detulit, dum in terra, post magistri sui reditum ad Patrem, degebant, nō Neronem, aut Domitianum iure Imperij priuarunt, cùm tamen hi non modò in Christianos, vel eo solo, quòd Christiani essent, acriter sæuirent; verùm etiam Christi religionem euertere, eius gloriam obscurare, & nomen obliuione sempiterna delere conarentur. Nam nec Nero, nec Domitianus ex eorum agnorum, & ouium numero erat, quorum cura à Christo Petro demandata fuerat. *Quid enim*, inquit Paulus, *mihi de ijs, qui foris sunt iudicare? Nonnè de ijs, qui intus sunt, vos iudicatis? Nam eos, qui foris sunt, Deus iudicabit.* Non est ergo Ecclesiasticorum Præsulum (quorum sanè iudicium ad eos tantum extenditur, qui Christi religionem amplexati sunt) eos iudicare, & excommunicationis gladio ferire, qui extra vniuersalis Ecclesiæ terminos constituti, nec fidem, nec nomina Christo dederunt: hi enim iudicio Dei, qui omnium Iudex est, damnandi relinquuntur; quod sanè, quamuis suauiter, ornatè, cumulatèque ab eo aliquandò tractari, vel etiam nonnunquam negligi, nec legibus suis coerceri videantur, effugere minimè poterunt. Hæc igitur causa potissima est, cur Apostoli tyrannos ethnicos ab Imperio

1. Cor. c. 15.

non

non deturbarunt. Sed quòd Christianum aliquem qui impiorum gladios à fidelium ceruicibus arceret,ad dignitatem Regiam non euexerint, cùm tamen penes illos, & illorum successores constituendi Regis politici authoritatem residere doceamus, longè profectò diuersa ratio est. Adeò enim difficilè & periculosum hoc negotiũ tunc temporis videbatur, vt à prudentibus viris tentari nullo modo deberet. Nam etsi quàm multi vbique locorum iam Christo militabant: nulla tamen Prouincia erat; quæ tota Christianam fidem amplexata esset. Cùm autem Christiani ethnicis commisti habitarent, vnum aliquem ciuilem Principem religionis eiusdem,& disciplinæ Christianæ cultorem agnoscere & obseruare non potuissent, nisi singuli è proprijs laribus egressi aliò commigrassent, & Cæsaris iugo abiecto, nouas terras incoluissent, vbi forum,tribunal,curiam,ciuitatẽ, nouam denique construerent Rempub. cuius regimen Christiano Principi cõmitterẽt. Veruntamen cùm Cæsar in omnes ferè Orbis partes vires suas extendisset, non prius quidem constructa, quàm illius potẽtia hęc noua Resp. funditus fuisset euersa

Adde etiam Dei sapientissimum fuisse consilium, vt nullus Christianus in Regem tunc assumeretur, nè, quemadmodum Mahometis, aut Othomanni alicuius, qui non aliter, quàm comparatis copijs, coacta multitudine, & armata manu, sectam, atque institutionem suam asserere & commendare potuerunt, sic etiam Christi fides, & religio sanctissima solo gladio & Regia authoritate propagari videretur. Christus enim Saluator noster, qui author est Naturæ,& omnia decẽti & suaui ordine disponit; nec vim vllam hominibus inferendam; nec humanis,sed diuinis modis sibi agendum censuit, vt suam omnes Gentes religionẽ sponte amplecterentur. Nam (sic Paulus inquit) *cuius vult miseretur, & quem vult indurat*: nullaque est potentia, quæ ipsius virtuti possit resistere, cùm voluerit in eum, in quem proposuerit, misericordia vti. Ro. c. 9.

 Quam-

Quamobrem nè quid in hoc acceptum referri posset sapientiæ, nobilitati, aut humanæ potestati, eos, quos mundus stultos existimabat, ad discendum, & ad docendum etiam Euangelij veritatem & disciplinam, in sapientum confusionem & pudorem elegit: quippe qui nec ingenij acumine, nec sapientiæ suæ rationibus arcanum hoc mysterium docere, nec assequi vnquam potuerunt: & ignobiles viros ad hoc ministerium assumpsit, per quos omninò aboleret illos, qui magnæ authoritatis habebantur; vt nihil à se præstitum in huius præstantissimæ Reipub. constitutione homines iactare possent, sed Dei munere & singulari munificentia, qui hac vtuntur conditione, se in Christo esse agnoscerent, *qui factus est nobis Sapientia à Deo, &*
1. Cor c. 1. *Iustitia, & Sanctificatio, & Redemptio*: & hæc omnia quæ est, in nostram contulit salutem: *vt, quemadmodum scriptum est, qui gloriatur in Domino glorietur*, cuius solius hoc opus fuit.

Denique cùm duplex sit fortitudinis potestas, vna, quæ in rerum arduarum animosa susceptione consistit, altera, quæ in constanti aduersorum casuum tolerantia posita est: illa sine dubio virtus, quæ ad perferendum patienter res aduersas animos excitat, multo illa præstantior est,
Lib. 4. Tusc. quæ ardua & periculosa aggredi imperat. Vnde Orator fortitudinem à potiori, & nobiliori parte definiens, eam appellauit scientiam perferendi res aduersas, vel affectionem animi in patiendo ac perferendo summæ legi parentem sine timore. Atque alibi *Magna*, inquit, *laus, & admirabilis*
lib. 2. de ora. *videri solet, tulisse sapienter casus aduersos, non fractum esse fortuna retinuisse in rebus asperis dignitatem.* Quare iure optimo Christus Dominus hanc sibi partem, & suis elegit, qua aduersa quælibet vinceret, mundumque ipsum, vel etiam repugnantem in admirationem suæ potentiæ conuerteret. Hinc Dei sapientia maluit moriendo demissè in cruce, quàm gloriosè in acie dimicando diabolum & membra eius superare. Hæc igitur insignis patientia Christi annũcianda, & sæculis aliquot exercenda fuit, antequam Christiani

ſtiani arma in fidei ſuæ defenſionem ſuſciperent. Ob idque Apoſtoli, & primi illorum ſucceſſores à creando Rege, qui ſe armis ab ethnicorum tyrannide vindicaret, meritò abſtinuerunt. Non ergo aliquem ex Chriſti militibus Principem Chriſtianæ Reipub. ſtatuere deſierunt, quòd nunquam tale quippiam fieri, aut poſſet, aut deberet; ſed quòd non dum opportunum eius rei faciendæ tempus aduenerat.

Sed age, quod nefarij iſti cacodæmonis miniſtri, quorum nos ſectam & inſtitutionem odio proſequimur, à nobis obtinere totis animi viribus contendunt, gratis eis concedamus. Ethnicis, inquiunt illi, Principibus Apoſtoli fuerunt ſubiecti. Sit ita. Quod nam, amabo, inde contra nos poterunt elicere argumentum? Certè quamuis eis concederemus non modò Apoſtolos reliquos, ſed ipſum etiam Chriſtianæ Reipub. Præſidem ſupremum, ſummumque caput Petrum, iure fuiſſe ſubiectos legitimæ poteſtati in ijs, in quibus degebant, ciuitatibus, & Regnis, quandiu illa cum vniuerſa ſua ciuili authoritate huic Chriſti Regno ſe non ſubiecerant, non minus firma, & conſtans noſtræ aſſertionis veritas redderetur. Nam etiam nunc Chriſtianus Presbyter, ſeu Epiſcopus, qui inter ethnicos vitam degeret, nulla profectò ratione à ciuili, quæ illic Imperiũ haberet, authoritate & iuriſdictione exemptus eſſet: quin potiùs, ſi id ſalua religione poſſet præſtare, ei obedire tẽneretur: nec ideò aliquid de dignitate Eccleſiaſticæ poteſtatis derogare cenſeretur. Poſtquam verò Regna & Imperia ciuilium Principum Chriſti Summo Principatui diuino conſilio in terris inſtituto ſubacta ſunt, illorum profectò Reges & Imperatores eius Vicario Romano Præſuli, non ſolùm vt obtemperent, obediantque, ſed etiam, vt eum colant & diligant, vtque ab eo & leges, & inſtituta, & mores, & iura, & iudicia noſcant ſibi eſſe petenda, ipſa optimi Reipub. ſtatus conditio, & recti regiminis ratio præſcribunt.

Quoniam tamen versuti Ecclesię hostes more veterum pseudoprophetarum (qui, quoties aliquid noui stulto populo persuadere moliebantur, illis abutebantur verbis, *Hæc dicit Dominus, hæc dicit Dominus*, cùm se illud dicere Dominus pernegaret) solent falsa & ementita Dei verbi, sacræque scripturæ vsurpatione prætexere hunc, quem impugnauimus, errorem, & deliria sua cohonestare: vnum, aut alterum testimonium, eorum, quæ isti ex diuinis scripturis depromunt, in medium adducemus. Deinde verò genuinum & germanum illorũ sensum trademus, & ouinum vellus lupinę feritati, quę sub eo latet, detrahemus: prodemusque lethiferum venenum, quod propinatur incautis, sub aromate eloquiorum cælestium: vt impietas suis armis denudata simplicibus hominibus nocere non possit. Obijciunt itaque nobis, non modo Catholicæ veritatis iurati aduersarij, sed illi etiam, qui, cùm Catholici haberi velint, hæreticorum sententiæ non leuiter adhærere videntur, illud Domini apud Lucam, *Reges Gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui maior est in vobis fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator.* Quibus verbis Pastoris Ecclesiastici munus, à ciuilis Principis officio adeò esse distinctum, vt in vnum hominem ambo simul coire nequeant, Christum docuisse, constanter affirmant. Verùm in eruendo germano huius loci sensu adeò caligarunt, vt non viderint ex eo euidenter colligi Ecclesiasticam potestatem ab ipso Deo fuisse institutam. Manifestè enim inibi Christus Apostolis concessit sacram præfecturam, & dominationem, quamuis illius formam longè diuersam à ciuilium Principum dominatu sapienter constituerit, & pręscripserit. Nam cùm hi tyrannicè & violenter vsurpare Imperium in subditos soliti fuissent; monuit Dominus discipulos suos, nè in principatu administrando Reges Gentium, sed se ipsum imitarentur. Atque ideò illud subdidit: *Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? Nonnè qui recumbit?*

Luc. c. 22.
Matth. cap. 20.

Ego

Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Si ergo Christus ad sui exemplum iubet discipulos suos dominari; liquet profectò non illis ab eo principatum fuisse interdictum: cùm ipse de se dixerit apud Matthæum: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*: Sitque ille in cuius vestimento, & fœmore scriptum vidit Ioannes, *Rex Regum, & Dominus dominantium*: seu Princeps, vt idem sacer Vates dicit, Regum terræ. Vestimentum autem hoc Christi humanitatem, sub qua tegebatur diuinitas, interpretatus est Gregorius: nam & ipsa, vt assumpta & nata ex vtero virgineo, fœmoris eius nomine aptè etiam designatur. Ex quo item apparet, Christum vt hominem, reuera fuisse Regem Regum, & Dominum, ac Principem omnium terræ potestatum. Vnde Paulus inquit. *In hoc Christus mortuus est, & resurrexit, vt viuorum & mortuorum dominetur.* Damnat igitur eo loci Christus, non dominatum sed tyrannidem; interdicitque Apostolis, non Imperium, sed violentiam, libidinem, & iniuriam. Quæ quidem omnia, licet aliquandò in ciuilibus Principibus tolerabilius inueniantur: à Christi tamen sectatoribus longissimè abesse debēt. Nec verò obscurè à sacræ Euangelicæ historiæ scriptore Luca hoc nobis significatum fuisse videtur, quandò particula comparatiua vsus est: quæ Latino, Greco, & Hebraico sermone in collatione, demonstratione, vel affirmatione posita similitudinem denotat.

Matth. c. 18. *Apoc. c. 19.* *Greg. lib. 2. in Ezech. hom. 13.* *Rom. cap. 4.*

Quòd autem hic sit proprius & germanus huius loci sensus liquidò apparet ex propria significatione verbi κατακυριεύειν, quod apud Matthæum Apostolum item extat, cùm eandem ambitiosam Apostolorum contētionem, in suo Euangelio enarrat. Οἴδατε, ait, ὅτι οἱ ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν κατακυριεύουσιν αὐτῶν. Et apud Marcum, Οἴδατε ὅτι οἱ δοκοῦντες ἄρχειν τῶν ἐθνῶν κατακυριεύουσιν αὐτῶν. Κατακυριεύειν, etenim non simpliciter dominari significat, sed nimium, & quasi violenter, vt notum est, vel ijs, qui leuissimè Græcas literas degustarunt. Ita enim obseruant illi

Matth. c. 20. *Marc. c. 10.*

omnes,

omnes, tàm antiqui, quàm recentiores, qui de verborum Græcorum proprietate & significatione commentarios ediderunt: quapropter etiã Henr. Stephanus κατακυριεύουσιν αὐτῶν dicto loco, non dominantur ijs, vertendum censet, sed potiùs, dominantur in eos: vt Latina præpositio, in, accusandi casui iuncta, illius Græcę κατὰ quæ frequẽtius in malam partem accipitur, vim exprimat. Simile est illud, vt pluribus exemplis supersedeamus, quod legimus apud Iosuem. Cùm enim Caleb monumento fidei suæ Deo gratæ & approbatæ in Hebronis expugnatione constituto, eiusdem fidei, & virtutis exercendæ materiam suis proposuisset, sic dixit: ὡς ἂν λάβῃ τὴν πόλιν τῶν γραμμάτων καὶ κατακυριεύσῃ αὐτῆς. Vbi septuaginta viri vertũt: *Et dixit Caleb: qui cæperit & exciderit ciuitatem literarum, & dominatus fuerit eius*. Et D. Hieronymus: *Qui percusserit Cariath-Sepher & cæperit eam*. Id est, dominatus fuerit ei tanquam captiuæ; & iure belli potestatem in eam adeptus, in ipsam tantum sibi licere putauerit, quàntum dominis in seruos iura permittunt. Permittebant autem iura illius populi impunitatem dominis, licet in seruos ita acriter sæuirent, vt nonnunquam ex eo posteà mors subsequeretur, Sic enim in Exodo habetur: *Si quis percusserit seruum, aut ancillam virga, & mortuus fuerit in manibus eius criminis reus erit. Sin autem uno die uel duobus superuixerit nõ subiacebit penæ quia pecunia illius est.*

In thes. lin. Græ. — *Iosue. c. 15.* — *Exo. c. 20.*

Apostolus etiam Petrus ait: *Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro, consenior & testis Christi passionum, qui & eius, quæ in futuro reuelanda est, gloriæ communicator, pascite, qui in vobis est, gregem Dei prouidentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum, nec turpis lucri gratia, sed voluntariè, nec vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Quo loco sanctissimus Apostolici collegij Princeps, monet Episcopos, & Ecclesiarum Præsules, vt munere sibi credito, procul omni posita cupiditate, ex qua libido & ambitio oritur, ex charitate fungantur: gerantque se iuxta Dei morem, qui omnibus prouidet, nec maiorem diuitum, quàm pauperum, nec magnatum

1. epist. Petri. cap. 5.

quàm

quàm infimæ conditionis hominum curam habet: vultque vt omnes ſempiternam conſequantur felicitatem. Hortatur inſuper, nè Reges ethnicorum imitentur, qui Imperio prout libet abutuntur: *Sed forma facti gregis ex animo* ſe ipſos præbeant modeſtiæ & demiſſionis exẽplar, quod cæteri ſibi imitandum proponant. Vbi verò Latinus interpres vertit, *nec ut dominantes in cleris;* proculdubiò Græcè legitur μηδὲ ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων: vt tyrannicam & violentam dominationem, & herilis dominatus conditionem in Epiſcopo damnare, non autem æquum & iuſtum imperium ei denegare videatur. Quapropter cùm probanda ſit in Romano Pontifice ſumma in ſeculares quoſuis Principes poteſtas & imperium, illud tamen adminiſtrare debet, tanquam paſtor in gregem, non vt tyrannus in ſubditos: tanquam qui in editiſſimo loco cõſtitutus eſt à Deo, non autẽ, vt illi, qui non tam diuino munere, quàm aut generis ſplendore, aut aliqua humana arte imperium acquiſierunt; quos diuinus ſpiritus, vt Magnus Baſilius explicat, Principes mundi huius appellat. Atque hoc quidem eſt, quod Summus ille Paſtorũ Princeps Chriſtus Saluator noſter monuit diſcipulos ſuos eo loci, ex quo iſti argumentum deſumunt ad ſuarum fallacium opinionum defenſionem callidè prætexẽdam: adeò, vt illud Hilarij Pictauienſis eis meritò adaptari poſſit: *Omnes ſcripturas ſine ſenſu loquuntur hæretici: fidem ſine fide prætendunt. Scripturæ enim non in legendo ſunt, ſed in intelligendo: nec in præuaricatione ſunt, ſed in charitate.* *Hila. li. 2. ad Conſt.*

Quòd ſi hanc loci illius interpretationem, tanquam nouam & recentem, reijciendam putauerint: conſulant obſecro priſcos Patres, & eorum monumenta diligenter euoluant: reperient enim communi omnium illorum ſententia inibi non ſolùm ambitioſam Apoſtolorum contẽtionem, ſed etiam tyrannicum ethnicarum nationum principatum à Chriſto Domino reprehendi. *Ita gentium,* inquit Chryſoſtomus, *moris eſſe oſtendit, prima quæque appe-* *Chryſoſt. in Mat. ho. 65.*

tere: tyrannica enim hæc passio est, & nonnunquam eximios etiam viros perturbat. Quapropter cùm vehementiori castigatione indigent, acrius etiam ipse insurgit comparatione Gentium tumentem ipsorum animum retinens. Ita horum quidem inuidiam, illorum verò arrogantiam succidit. Hinc idem Chrysostomus, cùm Imperium Episcopo minimè interdici firmiter asseruerit, sæpe alibi docuit Ecclesiasticum Principatum lenissimum esse oportere, & longè diuersum ab eo, quod ciuiles Principes exercent. Voluit enim charitatem paternam, & Christianam pietatem cum hac potestate strictè coniungi; & in hoc discrimen constitui inter Ecclesiasticos, & ciuiles ac politicos Principes. Sed & Origenes Chrysostomo antiquior, ex persona Christi eandem sententiam versans, inquit: *Principes Gentium non contenti tantum regere suos subiectos, violenter eis dominari nituntur. Inter vos autem, qui estis mei, non erunt hæc: & qui principatum desiderat Ecclesiæ, debet fieri omnium seruus in humilitate seruili, vt obsequatur omnibus, in his, quæ pertinent ad salutem.* Et nonnullis interiectis, *Non ista*, ait, *dicimus, vt inclinemus Ecclesiasticum Principatum: est enim interdum, quandò secundùm vocem Apostolicam peccantes coram omnibus arguunt, vt & cæteri metum habeant: est aliquandò vt vtens potestate sua tradat peccantem Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluetur in die Domini nostri Iesu Christi.* Hoc ipsum tradit Ionas Aureliensis Episcopus, vir sanè non minus doctrina, quàm pietate clarus, in ijs, quos aduersus Claudium Taurinensem hæreticum εἰκονόμαχον edidit, libris. Nam cùm is sanctissimum Antistitem reprehendisset, quòd plus æquo Monachis suis imperitaret; huic obiectioni disertissimè respondit: *Priuatam seruitutem subditis non impono, nec imposuisse recolo, sed voce Gedeonis circa subditos vtor. Non dominabor ego vestri, nec dominabitur vestri filius meus, sed dominabitur Dominus. Vereor namquè nè mihi cum superbis, infidelibusque pastoribus pars ponatur à Pastorum Pastore in terribili examine, cùm eis dicatur, cum authoritate imperastis eis, & cum potentia.* Agnouit hoc ipsum Gregorius Magnus: agnouerunt omnes Pontifices nostri, quorum authoritas

Orig.

Lib. 2. adu. blasph. Clau.

Iudi. c. 8.

Ezech. c. 34.

Greg. lib. 1. epist. 24.

thoritas apud probatiſſimos quoſque magni ponderis & momenti eſſe debet. Libidinem ergo dominandi, & tyrannidem, ac violentiam ab Eccleſiaſticis poteſtatibus quàm longiſſimè remoueri oportet; non autem talem Principatum, qualis veros miniſtros, & Vicarios Chriſti, cuius ipſi imaginem exprimunt, maximè decet. Is itaque Principatus illis concedendus eſt, ea in illis poteſtas agnoſcenda, qua ſi opus ſit, & Dei gloriæ, atque animarum ſaluti, & ciuilis Reipub. incolumitati expediat, ſecluſo omni humani affectus prætexu, poſſint Principes inſtituere, & inſtitutos à ſuſcepta dignitate amouere. Hanc enim poteſtatem tradidit illis Chriſtus, hanc ſanctiſſimi & antiquiſſimi Patres prudenter approbant: eam Reges ipſi, & ciuiles Principes agnouerunt: hanc maximo religionis Magiſtratui, vel ipſi Ethnici conceſſerunt: licet oblatrent ſeditioſi iſti, & pernicioſi calumniatores, qui cum illo altero Luciano impio adulatore (vt ait Lactantius) humanis ſcurrantes Principibus eorum veræ gloriæ vanis adulationibus inſidias ſtruunt.

Ex his quidem facilis cuiuis patere poteſt interpretatio illius ſententiæ Chriſti Domini, quæ eſt apud Lucam, *Luc. c. 12.* *Homo quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem ſuper vos?* Non enim (quod Caluinus turpiſſimè aſſerit) Saluator noſter reiecit munus iudicandi, tanquam alienum ab officio miniſtri verbi Dei: ſed potiùs Pontifices & Principes monuit, nè ita leuibus officijs, & negotijs minimi momenti ſe immiſceant, vt grauiora ommittere cogantur. Sic enim Iethrus cùm vidiſſet Moſem tota die iudicandis cauſis aſſidere, eum ſapienter admonuit, non certè vt à politico *Exo. c. 18.* Principatu ſe abdicaret, retento ſolo Eccleſiaſtico; ſed vt minores iudices crearet, qui de rebus leuioribus cognoſcerent, grauiores verò, tam ciuiles, quàm Eccleſiaſticas ad ſe deferrent. Sic & Apoſtoli ita curam miniſtrãdi menſis Hieroſolymæ depoſuerunt, vt tamen prę̨fuerint, etiam in temporalibus, vniuerſæ Eccleſiæ. Quamobrem Petrus,

& Iacobus, ac Ioannes ſoliciti de fratrum inopia, qui Hieroſolymæ degebant, rogarunt Paulum, & Barnabam, vt aliquam ſtipem illuc mittendam colligerent. Illi verò mandata diligenter exequuti ſunt, & quicquid pecuniarum collegerunt, ipſimèt, non ad Diaconos, qui præfecti menſarum miniſterio fuerant conſtituti, ſed ad ſeniores tulerunt. Ex quo haud obſcurè colligimus Apoſtolos non ſe à politico principatu abdicaſſe; ſed leuiora negotia Diaconis obeunda commiſiſſe, vt ipſi toti incumberent verbo Dei annunciando, & grauioribus rebus vacarent. Atque hic quidem eſt genuinus illorum Pauli verborum ſenſus, *Nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſæcularibus*. Non enim politicum regimen ſub negotiorum ſæcularium appellatione comprehendi voluit Paulus, ſed parandi victus curam, & proindè negotiationes, & quæſtuoſam emendi & vendendi mercaturam, & alia his ſimilia; vt patet ex verbis Græcis: *τοῦ βίου πραγματίαις*, id eſt, negotijs vitæ, ſeu victus. Ideoque Chryſoſtomus ait, nimiam hoc in loco ſolicitudinem circa vitam temporalem à Paulo interdici tàm Epiſcopis, quàm alijs hominibus, qui ſe diuino miniſterio manciparunt. Quò fit, vt nemini dubitare liceat de Romani Pontificis principatu in omnes Eccleſiæ Catholicæ partes: ſiue illæ Eccleſiaſticæ dignitatis titulo emineāt ſiue Imperatoriæ, aut Regiæ maieſtatis inſigni ſint cohoneſtatæ. Hoc autem, vt huic noſtræ diſputationi coronidem imponamus, nobis teſtatum reliquit Ricardi Regis Angliæ mater in ea, epiſtola, quam dictante Petro Bleſenſi Archidiacono Bathonienſis Eccleſię ad Cæleſtinum Pontificem Romanum ſcripſit, rogans eum pro Rege Angliæ filio ſuo, quem redeuntem ab Hieroſolymitana expeditione, primum Dux Auſtriæ, deinde Imperator Fredericus in cuſtodia detinebat. *Gentes diuulſæ*, inquit illa, *populi lacerati, prouinciæ deſolatæ, & generaliter tota Occidentalis Eccleſia confecta lamentis in ſpiritu contrito & humiliato ſupplicant vobis, quem conſtituit Deus ſuper Gentes, & Regna, in omni plenitu-*

2. ad Timo. c. 2.

Epiſt. 144. Et apud Nic Sand. lib. 7. vis. Mo.

dine potestatis. Afflictorum quæso clamor introeat in aures vestras: calamitates enim nostræ multiplicatæ sunt super numerum, nec ista dissimulare potestis citra criminis & infamiæ notam, cùm sitis Vicarius crucifixi, successor Petri, Sacerdos Christi, Christus Domini, Deus etiam Pharaonis. Deinde verò, nonnullis alijs interiectis in hæc disertè prorupit: *Vbi est Zelus Heliæ in Achab? Zelus Ioannis in Herodem? Zelus Ambrosij in Valentem? Zelus Alexandri Tertij, qui sicut audiuimus, & vidimus patrem istius Principis Fredericum plena authoritate Apostolicæ sedis solemniter & terribiliter à fidelium communione præcidit? Porro Tyrannus Apostolicas claues habet ludibrio, nec nisi verba reputat legem Dei: sed tanto constantius deberetis arripere gladium spiritus, quod est verbum Dei: scriptum est enim: Qui uos spernit me spernit. Ideò si uestram non uultis, aut Ecclesiæ Romanæ iniuriā persequi, uobis tamen dissimulare non licet Petri opprobrium, & iniuriam Christi.* Est denique illud perpetua memoria dignum, quod Gregorius Septimus ad Reges & Principes Hispaniarum scripsit. *Præterea,* inquit ille, *notum vobis fieri volumus, quod nobis quidem tacere non est liberum, vobis autem non solùm ad futuram, sed etiam ad præsentem gloriam valdè necessarium: videlicet Regnum Hispaniæ ex antiquis constitutionibus B. Petro, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in ius & proprietatem esse traditum. Quod nimirum hactenus, & præteritorum temporum incommoda, & aliqua antecessorum nostrorum occultauit negligentia. Verùm quia diuina clementia concessa uobis in hostes, semperque concedenda victoria, terram in manus vestras tradidit, vlterius vos causam hanc ignorare nolumus, nè quod supernus arbitrer & legum ac Iustitiæ conditor de recuperanda & restituenda iustitia & honore Sancti Petri, eiusque Sanctæ & Apostolicæ sedis, vestræ gloriæ ad benè merendum contulit, aut nobis ex taciturnitate in negligentiæ culpam, aut vobis ex ignorantia (quod absit) ad detrimentum propositæ & diuinitus oblatæ retributionis obueniat.*

Lib. 4. epist. 28. to. 3. epi. decret.

CAP. VIII.

COlligamus iam tandem & vela contrahamus, nè in immensū hic liber crescat. Si hæc nostra Ecclesiastica Respub. ita super Petrū, ipsius Dei testimonio, constructa est, vt is cæteris omnibus Apostolis dignitate longè antecel-

celluerit: si non absque singulari diuini numinis prouidentia factum est, vt in eadem Romana Vrbe Apostolus Paulus se cum Petro coniunxerit, vt vterque pariter Romanam Ecclesiam Christo Domino consecraret; & illam præ ceteris, quotquot in vniuerso terrarum orbe existunt, præsentia sua, & insigni triumpho cohonestaret, atq. cælesti beneficio testatum relinqueret eam esse omnium Ecclesiarum nobilissimam: si ex viua Apostolorum, traditione accepimus, Romanam Ecclesiam esse vere Apostolicam, & omnium Ecclesiarum matrem, vt pote, quæ, Dei munere, nunquam à vero traditionis Apostolicæ tramite aberrauit; nec ad hæreticam prauitatem deflexit: sed in exordio Fidei Christianæ normam & viam sibi ab authoribus suis Petro & Paulo demonstratam semper tenuit: si celeberrimæ totius Christiani Orbis synodi fassæ sunt se à Romana sede edoctas esse, & secundùm eius institutiones decreta edi oportere, inualidaq. esse quęcunque in Concilijs sine Apostolicæ sedis legatis geruntur: Si Episcopi omnes ad Pontificem Romanum, tanquam ad caput suum, appellare, & confugere soliti sunt, vt, vndè dignitatem, & sacram diuini cultus formam acceperant, acciperēt etiam absolutionem, aut condemnationem: si Domini iussu, & Apostolicis decretis sancitum est, vt grauiores causæ, & difficiliores quęstiones ad successores Petri Romanos Pōtifices deferantur: si omnes terrarum orbis fines, qui Dominum syncerè susceperunt, & cuncti Catholici, qui veræ Christi religioni se manciparūt, in Ecclesiam Romanam, tanquam in Solem, semper sunt intuiti: si omnes hæretici, iam inde à Simone Mago, Romanæ sedis iudicio damnati sunt: si à B. Petro vsque ad sanctissimum Clementem VIII. qui nunc incredibili cum laude præest vniuersæ Ecclesiæ, nullus Pontifex in Cathedra Apostolica sedit, qui hæreticus, aut schismaticus reuera fuerit; ita vt contra singularem Petri sedem alteram collocarit: si Romanæ Ecclesiæ fides vsque adeò Catholica semper est habita, vt

Im-

Imperator Gratianus noluerit, atque inhibuerit, eos om- *l. cunctos C. de Sum. Trinit.*
nes, qui in sua essent ditione, de fide disputare, nec non
edicto sanxerit, vt cuncti populi, qui in suam redacti erant
potestatem, suoq. parebant imperio, eam religionem colerent & retinerent, quam vertex Apostolorum Petrus tradiderat, & Romanus Pontifex Damasus illæsam seruabat: Si non modò nullus Catholicorum vnquam fuit, qui, si quid de fide esset in dubium vocatum, non ad sedem Apostolicam id deferendum censuerit; verùm etiam idem obseruatum ab hæreticis fuisse accepimus: si Romana sedes à nemine mortalium, sed à solo Deo, qui omnium Iudex est, iudicari potest: si Romanæ Ecclesiæ prærogatiua semper tanta fuit, vt cùm aliæ omnes, quibus Apostoli præfuerunt, à fide Catholica defecerint, illa sola fidem semel haustam retinuerit: Si salus Reipub. Christianæ pēdet à dignitate summi Sacerdotis, cui nisi singularis & eminens quædam potestas data esset, tot in ea schismata, quot Sacerdotes videremus: *Cyril. in lib. thesaur. in Concil. Chalced.*
Si Christus Ecclesiæ Gentiū sceptrum, quod à Sempiterno suo Parēte accepit, Petro & eius successoribus cum plenissima authoritate gestandum tradidit: Si Episcopus Romanus est petra refugij; & solus habet potestatem ius discernendi secundùm claues sibi diuinitùs datas; &, quicquid statuerit, id ab omnibus approbari, suspici, & retineri debet, tanquàm à Christi Vicario sedente in Apostolico throno profectum: si ea est Euangelicj Regni lex, vt omnes Imperatores, & Reges, & quicunque in Regnum Christi ingredi, & ingressi intus manere voluerint, dignitatis suæ obliti se prosternant coram illo, licet piscator extiterit, quem Christus Proregem monarchiæ suæ statuit: Si omnes Principes Catholici iam inde à Constantino Magno fasces suos, sceptra sua, & ceruices suas Christi Vicario submiserunt: si Romani Pontificis est, vt fidei normam, & quæcunque credenda sunt, proponere, & explicare, ita errores corrigere, mores componere, & leges condere in vniuersa Christiana Repub. si

Pontifex

Pontifex Romanus Deo proximus iudex eſt, primus & dominus omnium; vt pote qui non modò eſt in Eccleſiæ primatu ſucceſſor, ſed etiam in doctrinæ ſoliditate, & in gregis ſibi commiſſi cuſtodia Petri conſors & hæres: ſi Romanus Pontifex ita eſt Regni Chriſti gubernator, vt, ex muneris ſui ratione, pleniſſimam habeat authoritatem in vniuerſos Principes Chriſtianos, & propter hæreſes, vel ſchiſmata, vel alias rationabiles cauſas, ex quibus Reipub. ſtatum omninò perturbari, & periclitari prudenter iudicauerit, Reges & Imperatores Imperijs ſuis priuare poſſit, & eximere ſubditos à iuriſdictione, & dominio eorum; ita vt non teneantur amplius eis obedientiam præſtare: ſi totus orbis ſemper Romanorum Pontificum magis, quàm Imperatorum, iudicium, & authoritatem ſequutus fuit: ſi denique Eccleſiaſtica hæc Reſp. hierarchica eſt à Chriſto inſtituta, & miro ordine diſpoſita; & in ea Petrus eiuſdem Chriſti iuſſu obtinuit primatum, quem Romani Pontifices in eius locum ſuccedentes magna cum authoritate ſemper exercuerunt in vniuerſos totius orbis Chriſtianos; nemo enim, niſi qui extra ouile Chriſti vagatur, ab eorum Imperio exemptus eſt: & vnitas huius Catholicæ & orthodoxæ Reipub. non ex vnitate Regij muneris, ſed Sacerdotalis pendet; ob idque ad Summum Romani Pontificis iudicium, & ad ſupremam illius poteſtatem omnia, tanquam aurum ad lydium lapidem, referenda ſunt, quia eſt Sacerdos magnus, Princeps Epiſcoporum, hæres Apoſtolorum, primatu Abel, gubernatione Noes, Patriarchatu Abrahamus, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, authoritate Moſes, iudicandi ratione Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus, qui in eo mirabili quodam Sacramento reſidet plus-quàm in cæteris omnibus mortalibus: efficitur profectò, Chriſtum Saluatorem Noſtrum in præficiendo Reipub. ſuæ Principe ac Paſtore ita ſapienter illius ſaluti, venuſtati, ac optimo ſtatui conſuluiſſe, vt

nulla

nulla alia ſub cælo ſit, quæ cum ea rectè conferri poſſit, omneſque diſſectas & diſgregatas congregationes, quas inſana hæreticorũ turba cõdidit, ita deformes, & inuenuſtas eſſe, vt nullam prorſus Rerũpublicarum formam, & ſpeciẽ præſe ferre videantur. Adeò in illis omnia ſunt incopoſita omnia malè & perperã digeſta, omnia inaudita cõfuſione permiſta, omnia fœdè & turpiter dilacerata: illud enim eis accidiſſe mihi videtur, quod olim à præſtantiſſimo ſtatuario Polycleto factum fuiſſe narrat Aelianus.

Nam vt ille Athenienſium temeritatem, & eorum procliue ad detrahendum de operibus alienis ingenium proderet &, quaſi digito monſtraret quod & quale de rebus magnis vulgi ſit iudicium, duo ſimulachra eodem tempore effinxit: vnum quidem ad arbitrium & voluntatem populi illius, alterum verò ſecundùm exactam artis regulam. Quæ ſimul curioſis ciuibus ſpectanda propoſuit, diligenter eos admonens, nè illi, quod, quia arte factum erat, ſuum vocabat, manum aut cenſuram adhiberent; in illud verò alterum iudicio ſuo vterentur, &, quicquid vellent, corrigerent. Protulit etiam normas, tornos, dolabra, & alia artis ſuæ inſtrumenta: multaque ad ſingulorum iudicium tranſpoſuit, & immutauit; adeò vt omnium voluntati plenè & cumulatè ſatisfecerit. Deinde poſtquam ſtatuam hanc ſatis deprauatam & deformatam vidit (quid enim ſtultum vulgus, niſi ineptè, niſi imperitè, niſi perperam corrigere poterat) eam cum altera ab oculis ciuium remouit: atque vtramque ſequenti anno iterum in conſpectum dedit. Tunc omnes illam, quam Polycletus ſuam appellabat, admirati ſunt; alteram verò ob nimiam eius deformitatem, & diſtortionem ac deprauationem membrorum, irriſerunt. Quod animaduertens Polycletus, atqui, inquit, quod vituperatis & reprehenditis, à veſtra arte profectum eſt, quod verò admiramini & laudatis meæ eſt facultatis opus proprium. Erubuit populus, & temeritatem, atque imperitiam ſuam damnauit.

Condidit etiam diuinus statuarius Christus Rempub. suam tanquam imaginem quandam perfecta arte elaboratam; Religione & diuino cultu conspicuam reddidit: augusto & venerando Sacrificio nobilitauit; Sanctissimis legibus stabiliuit; & mirabili Imperio vndique muniuit. Eam cunctis Gētibus, & populis videndam proposuit, permisitque Luthero, vt (antiquiores nunc prætermittam) & eius nefarijs sectatoribus, vt partes aliquas scinderent, è quibus, ad imperitæ multitudinis arbitrium, simulachrum componerent. Admouerunt operi manus imperitissimi fabri, & talem imaginem eformarunt, vt nihil ea deformius, nihil turpius, nihil magis distortum inueniri, aut excogitari possit. Primùm enim, vt ab extremo, in quem miseri inciderunt, errore incipiamus, Christianæ Religionis ritus, cæremonias, indulgentias, aquam lustralem, pro mortuis præcationes & suffragia, cæreos, ignem sacrum, cantum, atque omnem prorsus decorem & ornatum abstulerunt ab ea Reipub. parte, quam ex toto corpore præcisam in summam præcipitarūt calamitatem. Extremam deinde Vnctionem, sacrum Ordinē, & Pænitentiæ partes de numero aliorum Sacramentorum ademerūt: ineffabile illud Sacrificium quod Summus Sacerdos Christus Saluator noster in vltima Cæna instituit, longè à se allegarunt; nec vllo modo agnoscere voluerunt in hoc augusto & sacrosancto Sacramento esse re ipsa verum eiusdem Christi Domini & Redemptoris nostri corpus & sanguinem, quem pro nobis fudit? Vltimò porta illa Christianæ Religionis, arrhabo fidei, ortus iustitiæ, Baptismus, inquā, ab alijs diminutus, vel iteratus; ab alijs pollutus, & contaminatus, ab alijs verò, tanquam aliquid inutile, reiectus est. Nec his turpissimis actibus contenti, cùm ad Iustitiæ, & partium illius disciplinam tradendam accessissent, omne æqui & honesti meritum, ac præmium excluserunt: mox, alijs virtutis partibus repudiatis, solam fidem informem & mortuam admiserunt, quam tamen

facilè ſpernunt & contemnunt. Terra deinde relicta impudentes homines, more gigantum, additis impietatis, & execrabilis conuicij montibus, cælum inuadere tentarũt; diuos, ſacroſque eorum ſpiritus, qui perpetua luce, & dulci fruuntur quiete, conati ſunt ſpoliare primùm omni illa erga nos charitate, quæ illos ad æthera euexit, mox cognitione, & præſentione rerum humanarum, deinde omni cultu & reuerentia. Ad extremum eos infamia notarunt; de ſedibus ſuis deturbare, ac ſimul inde omnem Pietatem, omnem Caſtitatem, omnem Iuſtitiam, omnem Sanctitatem expellere moliti ſunt: ſacraque ſanctiſſimorum Angelorum miniſteria irriſerunt. Pulſi cælo, atque, veluti Aloidæ quidam, à magnifica gloria oppreſsi ac obcæcati, protinus cauos terræ meatus penetrarunt, purgatorium demoliri, ignem extinguere, animaſque ad ſatisfactionem vſq. ibi detentas ſoluere, inaudita quadam temeritate, conati ſunt. Inde egreſsi intra ſe, ſuoſque animos ſe receperunt, ac primo ingreſſu liberam voluntatem interemerunt: mox omnem ſpem cæli, & diuino aſpectu fruendi illis præciderunt: deinde verò, tanquam qui in omnem eorum felicitatem, & incolumitatem conſpirauerãt, eos mortales eſſe prædicantes, triſtiſsima ſententia, & duriſsima ſorte vſi, miſerè confodere pro viribus ſuis curarunt. Quò fit, vt impietatem, hæreſes, ſacrilegia, rapinas, cædes, incendia, latrocinia, inceſta, ſtupra, adulteria, reliquoſque illicitos concubitus, vagam & in omnem luxuriam libidinem, quæuis denique fœdiſsima flagitia foueant, & licenter ac impunè, in veram pietatem debacchentur. Itaque in Republica ſua, ſi Reſpub. dici debet, non modò nullam habent religionem, nullum ſacrorum modum & rationem, nullas ſacratas ædes, nullas aras ritè Deo dicatas, nulla certa & ſtata ſacrorum tempora, ſed nè Deum quidem habent, quem religioſè colant & venerentur, & cuius numinis timore à ſcelere arceantur (nam quomodo Deum in Patrem habebunt,

qui Ecclesiam illius sponsam in matrem habere noluerunt?) adeò certè, vt eos ex hæreseon colluuione in detestabilem atheismum prolapsos fuisse verè dicas. En, proh pudor, & dolor, quale simulachrum, qualem Reipublicæ suæ imaginem effinxerunt.

O si nunc Lutherus, qui non vltimus huic operi vacauit, si Oecolampadius, si Caluinus, si cæteri omnes, qui se noui orbis reformatores ac magistros prædicabant, è tartareis carceribus vel exirent, vel indè in hanc nostram, deindè in suam Rempub. oculos conijcerent; quibus hoc Christi opulentissimum, amplissimum, & augustissimum Regnum laudibus extollerent? Sanè quàm primùm viderent, quomodò illud sanctissimis legibus gubernetur; quomodò in eo summa religio vigeat, & veri Dei cultus floreat; quomodò ibi venerandũ sacrificium à Christo in salutem nostrã institutum in summo pretio habeatur quomodò omne virtutum genus longè emineat; quomodò Magistratus timeantur, & amentur simul; quomodò vnus sit supremus omnium Dux, Princeps, ac vniuersi Christiani orbis Imperator, Romanus scilicet Pontifex, cui non modò cæteri omnes Ecclesiastici Principes, & Magistratus, sed etiam ciuiles Reges, & Imperatores, ac quotquot sunt veri cultores Christi, spontè obtemperant, & ad cuius nutum (vnctus enim Domini est) ingrediuntur, & egrediuntur; & cui, dum punit, colla submittere non recusant, & à quo pro præclarè gestis ipsi etiam Reges honoris insigni cohonestantur; denique, cùm cognoscerent, quàm appositè & decenter infima medijs, media summis subijciantur; quàm rectè omnia ad normam legis diuinæ dirigantur, in quantam raperentur admirationem?

Contrà verò cùm cernerẽt in sua Repub. corpus quoddam acephalum; membra partim dissecta, partim confusa; genua propè oculos; sub pedibus ventrem: imò in corpore humano oculos Leonis, pectus Leopardi, brachia

lupi,

lupi, tibias equi, & hæc omnia ſtultè deprauata: animaduerterentque vt vno verbo cuncta complectar, nullam in populo ſuo Reipub. imaginem, (quod enim Reipub. ſimulachrum eſſe poteſt, vbi Religio nulla, Lex nulla, Sacrificium nullum, nullus Dei cultus, nullus Magiſtratus, nullus Princeps, à quo homines gubernentur: ſed omnia impunè omnibus licent?) quàm valdè irriderent opus ſuum? quàm magno ludibrio effigiem à ſe compoſitam haberent? quantum ſe ipſos temeritatis & inſipientiæ damnarent? Nec certè horum ſtatuariorum diſcipuli poſſunt non ingenuè fateri, vera eſſe, quæ dicimus: cùm eò iam deuenerint, vt ipſimet palam conquerantur, & ſæpe ac ſæpius clament ſe, quid agant, quid ſequantur, quid fugiant, quid laudent, quid vituperent, penitus ignorare: videantque imaginem iſtam à Iudæis & Sarracenis, & reliquis Chriſtiani nominis hoſtibus irrideri; qui prætereũtes labijs loquuntur, & capita ſua huc atq. illuc mouent: omnes enim tantam Reipub. deformitatem odio habent, omnes illi peſtem exoptant, omnes illam execrantur.

Sed vnde illa, quæſo, tam impiæ diſpenſationis licentia exorta eſt? Vnde tam effrænati appetitus, & immoderatæ libidinis execrabilis illa libertas egreſſa eſt? Vnde tanta legum profanatio erupit? Vnde legitimi Magiſtratus contemptus emanauit? Vnde tam nefaria in omnem pietatem conſpiratio prodijt? Vnde denique profectum eſt, vt iſti in diuinam maieſtatẽ ſibi licere debacchari exiſtiment? Proculdubiò quia, vt ſæpe diximus, Sacerdoti non obtemperatur. Quod Dominus apud Oſeam apertè ſignificauiſſe mihi videtur: ſic enim populi ſui furorem, & effrænatam violentiam, indomitam cupiditatem, & nõ obedientem voluntatem deſcribit: *Populus tuus, ſicut hi, qui contradicunt Sacerdoti. Et corrues hodie, & corruet etiam propheta tecum.* Hoc eſt, cùm homines iſti nullam admittant correptionem; nec vnquam velint reſipiſcere; ſed potiùs in ipſum Summum Sacerdotem, cuius munus eſt legem doce- *Oſeæ c. 4.*

re,

re, temerè inſurgant, breui corruent, & in maiores errores in dies prolabentur: quia ſcientiam Domini repulerunt. Quapropter, ò hæretica turba, ſiſte iam, ſiſte gradum, & ab illis quæſtionibus toties propoſitis deſiſte, an, ſcilicet, aliqua ſit in Repub. Chriſtiana poteſtas, quæ in ſceleratos animaduertendi ius habeat: an bellū gerere liceat; an ſontes iuſtè coerceantur: an Iuris, Legum, Magiſtratuum, Iudiciorum, quibus humana ſocietas ſtabilitur, aliqua ſit authoritas: ſi enim vlterius progredieris, non ſtabis, ſed rues.

Nunc ego cuperem, vt quauis tuba grandiorem, & pleniorem vocem quæ in omnium Principum auribus reſonaret, mihi concederet is, cuius eſt ea, quæ in hac noſtra Repub. collapſa ſunt, virtute ſua erigere; confracta in priſtinam ſoliditatem reſtituere; diſſecta, & ſeparata redintegrare, & coniungere. Si enim quæ hucvſque diſſeruimus ita ſe habent, vt ſe habere proculdubiò manifeſtè oſtendimus, & ratio ipſa demōſtrat: quid eſt, ò Chriſtiani orbis Principes, quòd tot veteris diſciplinæ euerſoribus, tot nouorum dogmatū authoribus, tot commētitiorum myſteriorū magiſtris, tot nefariorū hominū ducibus paſſim in quàm multis prouincijs inter Chriſtianos viuere, &, quod longè deteſtabilius eſt, regnare, & dominari licet? Proh Deum immortalē. Hoccinè eſt Chriſtianæ Religionis incrementa curare? Siccinè Reſpub. Chriſtiana defenditur? Vbi ſunt illæ dexteræ, quas in fidei teſtimonium Chriſti ſponſæ iam olim porrexiſtis? Vbi illud iuſiurandum, quo non modò ſe maiores veſtri, ſed vos etiam, cùm Reges creati eſtis; vos ipſos obſtrinxiſtis ſanguinem pro teſtamento Dei, & Apoſtolica doctrina effuſuros? Vos, vos appello, ò Catholici Reges, fidei & Chriſtianæ Reipub. Defenſores, Primogeniti Eccleſiæ, quorum maiores tot Aphricæ, tot Aſiæ vrbes, quæ Principibus Chriſtianis fuerant ereptæ magna cum gloria receperunt: & tot Hiſpaniarum Regna à ſeruili Sarracenorum iugo liberarunt, &

ex Mahometis impietate vendicarunt; & tot terreſtribus, & naualibus copijs aduerſus Chriſtiani nominis hoſtes acerrimè dimicarunt? Vos vos per Deum immortalē oro, atque obſecro, vt, quas Chriſti Reſpub. ab hæreticis hinc, à Turcis illinc patiatur iniurias, attentis animis conſideretis, & quantum ceruicibus veſtris immineat malū intueamini. Hinc enim terra ſacrilega impletur impietate; illinc innumeræ armatorum militum copiæ prodeunt, quę Chriſtianis omnibus vltimum minantur exitium. Quo affluentius delicias vndique hauriant victi & debilitati homines obiecta ſpecie voluptatis tradunt ſe libidinibus cōſtringendos: totis viribus auaritiæ incumbunt: fœdis vitijs impunè vacant: nec quò tandem peruentum ſit, vel qui futurus ſit huius incendij exitus: quouſque demum flamma euaſura: quantam ſtragem, quantam ruinam ſit allatura, præuident, & perpendunt. Quid, amabo, poſſunt animi noſtri præſagire de Regno illo, aut prouincia, vbi liberè & ſine pudore vllo peccatur? Vbi de ſcelere ſupplicium non ſumitur? Vbi nemini flagitium ſuum probro vertitur? Vbi non eſt, quem peccaſſe pœniteat? Vbi peſſimi quique improbitate ſua lætantur, & probis omnibus inſultant? Vbi ſpurciſſimi viri ampliſſimis honoribus augentur, dignitatibus ornantur, publicis muneribus præficiuntur: adeò, vt fœda vita, & morum turpitudo, quæ aliàs calamitoſa & miſeranda eſſe ſolet, quæſtuoſa eſſe videatur? Hinc, proh dolor, hinc eſt, vt ex priuatis publica fiant peccata, ſingulorumque delicta in vniuerſorum exitium tendant. Hinc fit, vt medicina, & ipſa remedia malorum, leges, inquam, & iura in venenum & peſtem vertantur: clauſtra & repagula omnis honeſti reſerentur: inde verò in omnem impietatem & religionis contemptum deueniatur; & victrix nequitia, alacriſque exultet improbitas in victoria. Quò vbi peruentum fuerit, quid mirum ſi errores paſſim ſeminabuntur? Si hæreſes vbique pullulabunt? Si, vt vno verbo dicam, poteſtas in ſontes animad-

uer-

uertendi Summo vniuersalis Ecclesiæ Præsidi interdicetur? Vbi sunt Imperatores illi, Constantinus Magnus, Theodosius, Valentinianus, Gratianus, Fredericus primus, Martianus, qui religionis caussam, tanquam arcem quandam, legibus suis munierunt? Qui licentiam propinandi impietatis virus, & impunitatem peccandi abstulerunt? Sunt nobis, fateor, nunc quidem Cæsares pietate conspicui: sunt nobis Catholici Reges: sunt nobis Christianissimi Principes, quorum præclara gesta, & pro Reipub. Christianæ emolumento exantlati labores, non tam facilè laudari, quàm in admiratione haberi possunt. Ex quo tamē vafer hostis Principum capitibus insidias struere, & ijs, quibus Pontifices pietatis Duces, custodes, & magistri erant, atque, iuxta Domini præceptum, Deuteronomij librum, hoc est, codicem legis, & diuinorum mandatorum tradebant, Machiauellum pro Deuteronomio cæpit tradere: Deus bone, quantum ab illa antiqua rectè viuendi norma, ab illo obsequio & obedientia, quæ Ecclesiæ Præsulibus præstari solebat, à vero denique Dei cultu in nonnullis Rebuspublicis declinatum est.

Clamat Machiauellus (equidem scio) & in aures Principum spargit, cuiuis Principi, spreto alieno consilio, suæ ipsius prudentiæ innitendum esse: Christianam Religionem præ qualibet Regni amplificatione, & Imperij dilatatione contemnendam: fortunæ & casui felicitatem, non virtuti & religioni veræ, tribuendam esse. Quo sanè epoto veneno plerique constitutas optimè optimorum Regnorum res facili negotio pessundederunt. Quanto rectius Augustinus ait: Christianos Principes non ideò felices cēsendos, quòd diu regnarunt; vel quod hostes suos contriuerunt; vel quòd ciuium in se insurgentium impetus retundere potuerunt? *Hæc enim*, inquit ille, *& alia vitæ huius ærumnosæ, vel munera, vel solatia, quidam etiam cultores dæmonum accipere meruerunt, qui non pertinent ad Regnum Dei, quò pertinent isti. Et hoc ipsius misericordia factum est, nè ab illo ista, qui in eum cre-*

Aug. lib. 5. de ciui. Dei. c. 24.

crederent, velut summa bona desiderarent. Sed eos Principes & Imperatores felices dicit esse habendos, qui iustè imperant; qui malunt cupiditatibus, quàm quibuslibet Gentibus dominari: qui omnia faciunt, non vt inanem gloriam captent; sed vt felicitatem æternam assequantur: qui authoritatem & potestatem quidem gerunt; sed ad Dei cultum, quo nihil sibi antiquius esse debet, maximè dilatandum: qui Deum timent, diligunt, suspiciunt, venerantur: qui regendæ, tuendæque Reipub. causa, non saturandi odij desiderio & studio facinora & maleficia grauiter vindicant: qui veniam, non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis prudenter nonnunquam indulgent: qui denique, si quid asperè coguntur pro bono Reipub. decernere, beneuolentia & liberalitate compensant; tales profectò Imperatores, & Principes Christianos felices interim spe, beatos reipsa posteà futuros esse existimauit Augustinus. Nec iniuria: naturalis enim, & diuini luminis radij ita sapientum hominum mentes illustrant, vt cũ sectati fuerint ductum maiorum, qui sapientissimi & fortissimi fuerunt, facilè experiantur stetisse quidem & floruisse Imperia, primùm pietate & Catholica Religione; deinde consilio, veritate, & Iustitiæ integritate: ijs autem omnibus remotis corruisse. Nunquam siquidem Catholici Principes ex animo Deo adhæserunt, quin de hostibus insignem victoriam reportauerint, & gloriosum triumphum egerint. Notæ sunt in primis victoriæ illæ, quas olim Abrahamus, Moses, Iosues, Gedeon, Samuel, Dauid, Ezechias, Iosias, Machabæi sibi ingenti cum laude pepererunt: quasque in lege gratiæ multi Christiani Principes mirabiliter reportarunt. Ex his enim Cõstantinus, qui primus Imperatorum Ecclesiam Catholicam defendit, eodem ferè modo Maxentium vicit, quo Moses Pharaonẽ. Et Theodosio Seniori, vt author est Augustinus, ita prosperè eueniebant semper omnia, quia Catholicus erat, vt in prælio, quod cum Eugenio tyranno commisit, tela ho-

Aug. lib. 5. de ciuit. Dei c. 25. & 26.

Theodo. lib. 5. hist. c. 24.

stium in ipsos, Deo agente, retorquerentur. Theodoretus verò addit Imperatorem in prælium descendisse, non tam militum copijs, quàm Dei auxilio nixum, qui ad se auxiliares antesignanos & Duces beatos Apostolos Ioannem, & Philippum miserat quibus belli gerendi Principibus Tyranni exercitum profligaret. Qua parta victoria in morbum delapsus, cùm filijs Imperium distribueret, eos veram pietatem colere hortabatur constanter asseuerans, ea & pacem conseruari, bellum extingui, hostes in fugam verti, trophæa erigi, & victoriam denique constare. Honorius etiam Imperator, vt scribit idem Augustinus, planè Catholicus, & Romano Pontifici addictissimus, Deo pro se dimicante, supra centum millia hostium vno prælio prostrata, & Regem cum filijs captum, & occisum vidit: cùm nemo interim ex Romanis aut extinctus, aut vulneratus fuisset. Quid dicam de Theodosio Iuniore? Certè, eo cùm Persis bellum gerente, narrat Socrates Angelos Dei iussu turbauisse Sarracenos, qui Persico exercitui in auxilium veniebant, & circiter centum millia eorum in Euphrate submersisse. Iustinianus quamdiu Catholicus fuit, gloriosas & insignes victorias consequutus est: Italiam totam, quam Gothi occupauerant, Africam, & alias quàm plurimas orbis regiones Imperio Romano restituit: magnaque cum felicitate imperauit. Sed vbi à Catholica religione defecit, & publico edicto imperare tentauit, vt hæresis sua susciperetur, inexpectata & repentina morte sublatus est. Heraclius quoque, dum intra Catholicæ Ecclesię gremium mansit, Persas magna cum laude prostrauit, & crucem Domini apud ipsos barbaros detentam eo tempore recepit, quo res Romanæ magno in discrimine versabantur. Sed postquam Monothelitharũ sectæ adhæsit, omnia ei infeliciter successerunt; morsque nouo & inaudito morbo accelerata eum inuasit, è que viuis recedere coegit. Omnibus item, qui Græcorum historias accuratè legunt, notum, compertumque est, eorum

Aug. lib. 5. de ciuit. Dei cap. 23.

Socra. lib. 7. hist. cap. 18.

Euagr. lib. 4. c. 16. & seq.

Zonar. Nicet. Niceph. &c.

Impe-

Imperium ab eo tempore, quo Imperatores propter dissidium de vsu imaginum exortum ab Ecclesia Romana se disiunxerunt, magis, ac magis decreuisse; donec tandem penitus extinctum fuit. Constat etiam ex veterum monumentis, eò semper vel magis, vel minus occidentis Imperatores, & Reges floruisse, quo vel magis, vel minus se Romanæ Ecclesiæ filios & proptectores ostenderunt. Gerente Summum Pontificatum Innocentio Tertio (vt scribit Aemilius) cæsa sunt in Gallia vno prælio ab octo Catholicorum millibus centum millia partrin hæreticorum Albigentium, partim eorum, qui illorum partes tuebantur. Nostris temporibus, anno scilicet M. D. XXXI. Heluetij Catholici quinquies dimicarunt cum hæreticis eiusdem nationibus, &, licet armis & numero inferiores, semper victores euaserunt. Carolus V. Romanorum Imperator diuina, potius quàm humana, virtute gloriosam à lutheranis anno M. D. XLVII. victoriam reportauit. In Belgia, & in alijs Galliæ partibus Catholici, non sinè Dei numine, hæreticos sæpè fuderunt. Taceo interim innumeras & sanè portentosas victorias quas Reges nostri Lusitaniæ Alphonsi, Henrici, Ioannes, Emanueles, quorum certè memoriam nulla vnquam obliuio delebit, ab hostibus Christiani nominis consequuti sunt. Vbi verò Christiani Principes, quicunque illi fuerunt, sedem Apostolicam tutari desierunt, arbitrati illius vulneribus suorum Regnorum plagas sanari; illius perturbatione pacem suam foueri; illius anxietate securitatem suam conseruari; illius inopia opes suas augeri: subditos sibi inobsequentes experti sunt; vitiorum quandam colluuiem & inundationem Regnis suis inuexerunt; leges suas, ac iudicia sua contemni viderunt; ditiones suas turbari, tumultus bellicos in se oriri senserunt. Ergo *Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram; seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Aprehendite disciplinam, nè quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.*

Naucl. Sabellic. Antoni. & cæt.

Aemili. lib. 6. hist. Franc.

ܗܫܐ ܡܠܟܐ ܐܣܬܟܠܘ ܘܐܬܪܕܘ ܕܝܢܘܗܝ ܕܐܪܥܐ:
ܦܠܘܚܘ ܠܡܪܝܐ ܒܕܚܠܬܐ . ܘܐܚܘܕܘܗܝ
ܒܪܬܝܬܐ ܢܫܩܘ ܒܪܐ ܕܠܐ ܢܪܓܙ ܘܬܐܒܕܘܢ ܡܢ ܐܘܪܚܗ ✠

Hoſcio malche eſtacl, uethrdau daioneh darho fluh lmorio bdehhltho uuhhdunoi barthitho, naſcek bro dlo nergaz utibdun men urhheh, *Nunc*, inquã (uertit Syrus) *Reges intelligite, erudimini Iudices terræ. seruite Domino in timore, & tenete eum in tremore, osculamini filium, ne iraſcatur, & pereatis de via eius.* Symacus προσκυνήσατε καθαρῶς: *adorate purè*: capita ſubmittite, ſuperbiam à vobis longè amolimini, motus inanes comprimite; date operam nè honores immodici, opes ingentes, luxus Regius, apparatus magnifici, peſtifera adulatorum frequentia, ſubdola hominum perditorum calliditas tenebras animis veſtris offundãt, & mẽtes veſtras in deteſtabiles errores impellant. Circunſpicite, vos magnoperè quæſo, obteſtorque, populos veſtræ cuſtodiæ commiſſos, & eos à ſceleratorum iniuria vindicate: regias veſtras mente, & oculis luſtrate, & ab ijs, ſi quid ibi vitij eſt, quamprimùm expellite. Ne in conſpectum veſtrum aſſentatores venire patiamini; ne hos pernicioſos homines in veſtris regionibus viuere ſinatis, neuè illorum malitiam diſſimuletis. An neſcitis in cæteris humanis rebus diſſimulationem tolerari aliqua ex parte poſſe, in ijs autẽ, quæ ad Dei cultum, & animorũ ſalutem, ac Reipub. tranquillitatẽ, & incolumitatem attinent, uobis in primis, Principes viri, qui cum Principatus veſtri hæreditate Religionis tutelam ſuſcepiſtis, nefas eſſe, aliquid diſſimulare? Idcircò profectò ſceptrum geritis, idcircò ius, & Imperium in eos, qui in dominatu veſtro ſunt, habetis, vt eadem illa in eoſdem, cùm opus fuerint exerceatis: his maximè temporibus, quibus barba-

barorum exercitus parta victoria (quæ, dum milites prædæ inhiarent, è manibus Christianorum excidit) Italiæ arci & columini dignitatis Imperij superbissimè insultat, & minatur: adeò vt quæ vniuersæ Christianæ Reipub. paccatum & felicem statum gratulabatur, nunc præ mœrore & tristitia tabescere videatur. Tot enim ac tantis victorijs, quas hinc à Cæsare, illinc à Sigismundo Principe Transiluano de Turcarum Duce singulari diuini Numinis fauore obtentas certissimi nuntij, & fama denique ipsa ad nos sua celeritate detulerat, respirare nonnihil videbatur Italia, quandò vel ipsæ etiam barbaræ Gentes, Turcæ ipsi optimis felicibusque auspicijs bellum hoc pro Christianæ Reipub. salute susceptum fuisse dicebant; sibiq. vltimum imminere exitium affirmabant. Nec aliter certè venturum fuisse suspicari licet, nisi inuidiæ, & indignationis facibus accensi Principes illi, quorum animi, ad debellandum communem Reipub. Christianæ hostem, æquiori sanè iure inflammari debuissent, victis prostratisq. aduersarijs dissidijs suis animos addidissent, & in nos rursus armauissent. Et quidem (vt de Cæsare nunc sileam, quem vel nomen ipsum Austriacum, & Imperij maiestas satis superq. commendat) qui fieri potuisset, vt potentissimum hostem instructissimis copijs stipatum, ceruicibusq. Italiæ minitantem Princeps Sigismundus toties superasset, nisi omnipotens Deus, tanquam alterum Gedeonem, vel Dauidem eum ad defensionem populi sui in Ducem assumpsisset, & pro eo in acie stetisset? Pugnauit sanè, fateor, inclytus Princeps, & egregia illius virtus, non in vno, aut altero pręlio, sed quoties ad arma ventum est, summè enituit: sola tamen manus Domini fecit virtutem. Vnus Dominus exercituum, vnus Dominus fortis & potens, vnus Dominus potens in prælio, ad nihilum ferè deduxerat inimicos nostros, & formidabiles eorum exercitus in manus Christianorum penè concluserat. Ex quo liquidò profectò cunctis innotescere libuit, non homi-

mi-

minibus ſed Deo reſtitiſſe, quicunque illis feliciſſimis cœptis non fauit. Cùm tamen aduerſarius vidiſſet, quàm lubricè in eo bello verſatus fuerit, diligenter etiam conſiderauiſſet ex Principibus Chriſtianis alios quidē ſuis potiùs quàm cõmunibus rationibus proſpicere; alios verò haud, ommiſſis diſſentionibus, vnum ſentire: non omnium vota eodem incumbere, non denique omnem laborem & meditationem ad communem vſum conferri: Sanctiſſimi verò Pontificis Clementis VIII. cuius iuſſa capeſcere, non æquum modò, ſed planè neceſſarium eſt, preces & monita moeſta reſponſa retuliſſe, comparato ſedulò innumerabili exercitu, ſed nõ tam militum virtute, aut copiarum multitudine, quàm illorum Principum diſcordia confiſus, Imperij ciuitatibus obſeſſis, oppugnatis, & expugnatis, & defenſoribus penè cõſumptis, reliquis violato fœdere partim ſeuè trucidatis, partim in miſeram captiuitatem reddactis, nullum feritatis & acerbitatis genus in oppidanos prætermiſit. Ac necubi rabies nefaria deferbuiſſe videretur, ædes ſacras fœdauit, diripuit, diruit, ſuffoſas ſimul imagines, & omni ignominia deformatas conflagrauit; cuncta denique quæ Chriſtianam Religionem redolerent, cruore & flamma extinxit. Occurrerunt quidem barbarorum exercitui inclyti Principes Sigiſmundus & Maximilianus, infractiſque animis prodierunt in aciem, vt vel eum è finibus Imperij ablegarent, vel fortiter dimicando occumberent: non enim tantam tamque miſerandam cladem æque ferre poterant. At non optatis euentus reſpondit. Arcano enim Dei iudicio factum eſt, vt, cùm hinc, inde acriter dimicatum eſſet, tandem victoria noſtris è manibus exciderit. Qua parta, quamuis totius exercitus ſui robur eo prælio amiſerit, minatur aduerſarius, non Germanis ſolùm, ſed toti etiam Italiæ vltimum exitium. Ecce quàm miſera eſt atque acerba noſtra cõditio. Quem enim ſtrenuiſſimi Principes toties fugarũt, vicerunt, proſtrarunt, funeſta potiùs, quàm glorioſa obtenta victoria,

nobis ſuperbiſſimè inſultat. Etenim dum mente recolit, quas illi ciuitates in libertatem vendicauerint, quas arces expugnauerint, quos Duces, quas legiones, quos exercitus proſtrauerint, fuderint, trucidauerint, vlciſcendæ iniuriæ cauſa, de vniuerſa Chriſtiana Repub. ſupplicium ſe ſumpturum fore temerè promiſit. Equidem omnibus iam liquere cenſeo, in eo verti omnem illius ſpem, non modò Germaniæ, ſed Italiæ etiam potiundæ, atque reliquis Europæ populis imperitandi. Quos autem animos, quos impetus, quam ferociam barbari ſumant, cùm videant Principes nonnullos, quantum laudi veræ ac ſapienti conſilio inſit, minimè exiſtimantes, communem Reipub. cauſam pro nihilo ducere, neminem latere puto. Ponite quæſo ante oculos, clariſſimi Principes (vos, vos omnes appello, ſupplico, obteſtorque, qui vos ſceptra veſtra, fidemque veſtram Chriſto obſtrinxiſtis) qui afflictæ Vngariæ, & Germaniæ vltrò offerre. ac polliceri opem debueratis, id quod á veſtra dignitate expectari par eſt, niſi malitis à veſtrorum gloria & laude turpiter deſciſcere: ponite, in quam ante oculos ſine mœnibus Chriſtianorum ciuitates, intuemini tectis nudatas domos, pecudibus phana fœdata, omniaque inuerſa, quæ vel Turcarum furor, vel hæreticorum rabies incurrerit. Moueat vos communis omnium ſalus, commune periculum, quod vniuerſæ imminet Europæ: moueant vos preces illæ, illæ lachrymæ, gemitus illi Sanctiſſimi Pontificis. Iam nolite pati, ab illuuione atque euerſione ciuitatum, populorum, Imperij, dignitatis, otij, Religionis, à Gente omni ſcelere cooperta, firmari opes, quibus Chriſtianæ Reipub. libertas deploretur. In Turcas ò Principes Catholici, & in hæreticos ſæuiendum vobis eſt: in hoſtes Chriſtianæ Reipub. ferrum & arma acuenda, à quibus non modò impendet Italiæ procella, ſed etiam ſumma tempeſtas Chriſtianis vniuerſis: in has belluas omnis vis belli conuertenda; cum quibus conflictari, & pro ſalute communi dimicare, & pium

eſt,

eſt, & ſalutare. Ne illorum voces animos veſtros præocupent, qui & flammam inuidiæ in vos iam iniectam & accenſam enutriunt & excolunt. Etenim ad diſturbandum veſtrum otium, ad ſalutem extinguendam, ad gloriam infringendam, ab hominibus publicæ incolumitatis parum ſtudioſis dolos fabricari, proſpicere mihi videor. Ego verò, nè illi ornamentum gloriæ veſtræ, & firmamentum Religionis eliminent, vos ad ſummum honorem deuoco, ad gloriam, ad triumphum. Haud enim eſt aliquis, qui in dubium vocet, quin Turcarum acies, quamuis præſenti victoria inſolens, ſi viderit à vobis hanc communem cauſam defendendam ſuſcipi, prouoluta manus det. Per Chriſtianam igitur Rempub. cuius ſalus, & incolumitas vobis maximæ curæ eſſe debet, vos rogo, atque obſecro, vt memoria veſtra repetatis, & veſtris animis recolatis, Chriſtianos omnes eſſe vnius Patris Dei, & vnius Matris Eccleſiæ filios; vnius mediatoris Chriſti fratres, & cohæredes, vnius Eccleſiaſtici corporis miſtici membra; vnius Chriſtianæ Reipub. ciues; vnius Chriſti Vicarij in terris tutellæ commendatos: vt ſicut vnus eſt Deus, vna fides, vnum baptiſma; ita ſit vnum ouile, & vnus paſtor, cor vnum, & anima vna in Deo. Mementote omnes Catholicos fieri illius vnius incruentæ hoſtiæ, & illius ſacræ menſæ participes, in qua Chriſtus, qui eſt pax noſtra, verè & re ipſa continetur, & ſumitur. Quo fit, vt lites, iurgia, bella inter Chriſtianos multò magis nefanda ſint, quàm inter reliquas Gentes, quibus huius eximij beneficij magnificentia non contigit: eo quòd peculiari & quotidiano Religionis noſtræ ſacrificio pacem & mutuam concordiam profitemur. Mementote, quæ fuerit Apoſtolicæ ſedis in vniuerſo orbe Chriſtiano tot ſæculis authoritas: quanta Reges obſeruantia coluerint Sacerdotes: quàm officioſi in Romanos Pontifices ſemper extiterint. Vos vos, iterum, atque iterum, Reges inclyti, per Summum Numen, per Cælites omnes, per omnia diuina & humana

Iura

Iura obtestor, vt recordemini vos esse Dei Omnipotentis Ministros, Pastores populorum, Iuris patronos, Iustitiæ custodes, malorum expulsores, scelerum, & flagitiorum vindices, bonorum ciuium parentes, publicæ tranquillitatis defensores, & quasi propugnacula. Attentis animis considerate, vobis hos insignes titulos, Catholicus, Christianissimus, Fidei Defensor, concessos esse, vt sitis præcipui Christianæ religionis cultores; præcipui Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ propugnatores; præcipui omnis impietatis hostes, præcipui nouarum religionũ, & earum sectatorũ exterminatores; præcipui Ecclesiasticarũ legum, & sanctionum, atque paternarum traditionum custodes; præcipui denique Romanorum Pontificum defensores. Hæc si, credite mihi Reges sapientissimi & inuictissimi, ita memoria retinueritis, vt in suscepto Catholicæ veritatis patrocinio perseueretis, & in hoc vnum toti incumbatis, tutissima erunt Regna vestra, tuta erit Christiana Religio, diuina lex syncerè & piè seruabitur: paterni ritus non profanabũtur, maiorum testimonia vbique fidem habebunt, Christi & eius Ecclesiæ hostes è finibus Christiani orbis expellentur, omnibusque rebus in pristinum splendorem restitutis, eminebit ille optimus Reipub. status, quem, nè mente quidem ab ethnicis philosophis conceptum, Christus in Ciuitate sancta à se condita, & sanctissimis legibus ornata, diuinitus instituit. Da Christe, da, per pietatem illam te supplex oro, qua pro nobis vitam cum sanguine fundere dignatus es, da, inquam, vt qui Regibus à consilijs sunt, Primates omnes, & reliqui Christiani Principes hæc æquo animo voluant, & secum perpendant: & quicquid barbaræ nationes ad perturbandam Christianam Rempub. sibi licere existimant, id, si à Christiano homine fiat, agnoscant dignum esse, quod æternis supplicijs in tremendo Dei iudicio puniatur. Da Christe, rursus te supplex oro per Virginem Mariam Sanctissimam matrem tuam, cuius nomen vniuersum orbem

Christianum exhilarat, reficit & recreat: da, inquam, vt cuncti, qui insigni tuo cohonestantur, priuato omni odio deposito, & proprijs dissidijs semotis, in communem, infestissimum, & teterrimum nominis tui hostem arma conuertant, & in hoc vnum potentiam, & omnes vires suas intendant: hac maximè tempestate, in qua illis tam ampla datur occasio Christiani, Imperij propagandi, atque de tota Christi Repub. benè merendi. Nam perterrefacto hoste, ciuitates amissas facilè recuperabunt; prouincias à barbarorum manibus ademptas suæ ditioni adiũgent; iniurias Christianis populis illatas, vlciscẽtur; pristinam Christiani nominis virtutem, & maiorum suorum laudem ab obliuione hominum vindicabunt; nec permittent (fœdum enim hoc illius erit) deuictum hostem iterum in victores insolenter & superbè insultare: efficientque vt Reipub. à te optime constructæ Principatus, quem penes Vicarios tuos Romanos Pontifices residere voluisti, in vniuerso orbe agnoscatur, nec à Christianis solùm verùm etiam ab ipsis ethnicis & incultis Gentibus, atque immanitate barbaris, obseruetur, & maximus ei honos habeatur. Ex quo optimus ille Reipub. nostræ status, quem nos demonstrãdum sucepimus, cum magna nominis tui gloria, & sapientiæ cõmendatione ante omnium oculos proponetur. Quod vnum, vt sanctissimi tui Vicarij Clementis VIII. proprium opus est: ita profectò nulla illũ cura magis angit vehementiusq. solicitat, quàm afficit solicitudo extirpandi hæreses omnes, & conterẽdi nominis tui hostes; atque euellendi è Regno tuo, cuius regimen à te sibi commendatum esse probè cognoscit, vitia & scelera omnia; veteremque Ecclesiasticam disciplinam in ciuium tuorum mores transferendi, quæ in animis eorum insideat, corroboretur, & penitus inueterascat. Quo quidem pacto & ciuium tuorum sapientia manifestabitur, & Reipub. tuæ status summoperè apud alias nationes commendabitur. Nam, licet à longè, animis tamen inspicientes

cientes optimum illius regimen; legum quibus illa continetur, firmaque cōſiſtit, ſanctitatem, & equitatem maximam; ciues, quibus, tanquam partibus & membris, conſtat, optimis moribus præditos ita voluntati tuæ ſua ſponte parere, vt non ſolùm obtemperent obediantque Magiſtratibus à te ſapientiſſimè inſtitutis, ſed etiam (vt præſcripſiſti) eos colant, diligantque: dicent proculdubio, *En populus ſapiens & intelligens, Gens magna.* Neque enim eſt natio alia & *Gens ſic inclyta, vt habeat ceremonias, iuſtaque iudicia, & vniuerſam legem*, quam tu nobis impoſuiſti, ac ſupremum Principem quendam tua authoritate & præſidio apprimè munitum, ſicut habet opulentiſſima iſta & feliciſſima tua Reſpub. Sed iam, interiecta quiete, caput aliud agrediamur. Deut. c. 4.

LIBRI TERTII ET TOMI PRIMI
de optimo Reipub. ſtatu
FINIS.

SIT BENEDICTVS QVI DAT laſſo virtutem: & his, qui non ſunt, fortitudinem & robur multiplicat. Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut Aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.

Eſa. Cap. XL.

ROMAE,

In Typographia Linguarum Externarum.

Excudebat Iacobus Luna. Kalen. April.
M. D. XCVII.



SVPERIORVM PERMISSV.

preseruauit: vt nec in conceptu quicquam pudoris, nec in partu quicquam doloris existeret.

Sabbato iiij. Idem vbi supra. Lectio iij.

7 ABsconde inquam Maria noui solis fulgorem: pone in presepio, in volue pannis infantem. Ná & ipsi panni, diuitiæ nostræ sunt. Preciosiores siquidem panni Saluatoris omni purpura sunt: & gloriosius hoc præsepe auratis regum solijs. Ditior denique Christi paupertas: cunctis opibus, cunctis thesauris. Idem in Sermone de Annúciatione. Lacta Maria creatoré tuum, lacta panem celi: lacta precium mundi. Præbe lambenti mamillam: vt ille pro te percutienti præbeat maxillam. Lacta qui fecit te: vt ipse fieret in te. Ex alio Sermone de eodem. O felicia oscula lactentis labijs impressa; cum inter crebra inditia reptantis infantiæ, vt tris reuelator, Matrisq; creator; vtero virginali receptus, sed non inclusus: in sinu patris manens, de matris vtero procedés.

Sabb. vj. Idem de Symbolo lib. iiij. Le. iij.

POrtatur manibus Matris rector totius orbis: lambit vbera regens sydera, tacet & verbum est. 9
Idem in quodam Sermone. Fatur in sinu Patris: tacet in sinu Matris. Lacta ergo Mater cibum nostrum; lacta panem de cœlo venientem, & in præsepio positum: velut piorum cibaria iumentorum. Lacta eum qui talem te fecit; qui tibi & munus fecúditatis attulit conceptus: & decus virginitatis non abstulit natus. Qui sibi priusquam nasceretur, & vterum de quo nasceretur, & diem quo nasceretur elegit; & ipse condidit quem elegit: vt illinc velut sponsus de thalamo suo procederet, quo mortalibus oculis videri posset.

10 ANte horam quidem suæ passionis, dixerat Filius Matri. Mulier quid mihi, et tibi? Ac si diceret. Quid diuinitati, quam ex patre semper habui cum tua carne commune est; ex qua carnem suscepi? Nondum venit hora mea: vt humanitatis assumptæ fragilitatem moriendo demonstrem. Prius est, vt ęterne diuinitatis potentiam virtutes operādo patefaciam. Venturum siquidē erat; vt quid sibi & Matri cōmune esset ostenderet: cū eam moriturus in cruce, discipulo virgini virginem commendare curaret. Carnis enim infirma perpessus, Matrem de qua huiusmodi susceperat, pie cognitam se nosse dissimulauit: quia hanc diuinæ natiuitatis auctricem non esse cognouit.

Sabbato ij. Ambros. super Lucam. Le. iij.

11 IPsa beata Dei genitrix fugiētibus Apostolis ante crucem stabat: & pijs oculis vulnera filij spectabat. Spectabat ta-

[...] propria dispēsatione exequēda curabat.

[...] Bernardus in Sermone de Assumptione. Lectio tertia.

MArtyrium Virginis, tā in Symeonis ꝓphetia, quā in ipsa Dominicæ passionis hystoria cōmendatur. Positus est hic, ait sanctus senex de paruulo Iesu, in signū cui contradicetur: & tuā ipsius animam pertransibit gladius. Vere tuam o beata Maria, animā pertransiuit gladius. Alioquin non nisi eam pertransiens: carnem filij penetrauit. Et quidem postquā emisit spiritū tuus ille Iesus, omnium quidem sed specialiter tuus; ipsius plane animā non attigit crudelis lancea, quæ nec mortuo parcens, cui nocere nō posset, latus aperuit: sed tuā vtiq; animā pertransiuit. Ipsius nimirum anima iam sibi non erat: sed tua plane auelli nequibat. Tuam ergo pertransiuit animam vis doloris; vt plusquā martyrem nō imme- 12

rito

Sabbato vij. Chrysostomus super Matthæum, homilia octaua. Lectio tertia.

9 CONsiderandum vero, ꝙ post stellæ gloriosum inditium, Christus Magos Persidi remittit, & ipse cũ Matre in Ægyptum fugiens descendit; vt discamus ab ipsis vitæ principijs ad tentationes, & insidias præparari: scientes tribulationes maximas, insuperabiles comites esse virtutum. Nam statim vt ortus est Iesus, contra eum tyrãnus seuit; Mater innoxia in regionem barbarorum fugatur: & Magi reorum more clam fugiũt. Sed & misericors Deus, mœstis rebus quędam etiam iucunda permiscuit. Quod certe in omnibus sanctis facit: quos nec tribulationes, nec iucunditates habere continuas permittit.

Si fuerint plura sabbata repetantur præcedentes lectiones.

IN TEMPORE PASCH.

legantur sequentes lectiones.

Sabba. j. Bernar. super Missus est. Lec. iij.

A Nte horam quidem [illegible]

men non pignoris mortem: sed mundi salutem. Aut fortasse, quia cognouerat per Filij mortem mundi redemptionem futuram: putabat aula regalis se sua morte publico munere aliquid adiuturam. Sed ipse Christus, qui factus est sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber, suscepit quidem matris affectum: non quæsiuit ad omnium redemptionem hominis auxilium. Glosa super Ioannem. Cum ergo pendens in cruce vidisset matrem, et discipulum stanẽ quem diligebat præ cæteris familiari dilectione: dixit matri suæ. Mulier ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo. Ecce mater tua. Itaque matri quam relinquit: alterum pro se Filium quodammodo tribuit. Cur enim hoc fecerit, ostenditur cum subinfertur. Et ex illa hora, accepit eam discipulus in suam. Augustinus super Ioãnem. c. xix. In quę sua; cũ reliquisset omnia? Suscepit vtiq; Matrẽ Domini Ioãnes in sua: nõ p- dia quę nulla possidebat: sed officia, quę

Duuio, 3 Opt, rep, stuty


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm